Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. *Etenim per paucis scripsi vobis.* Nota quod totam Epistolam unum verbum appellavit nec dixit : Rogo vos ut sufferatis patientier verbum admonitionis, quia pusillanimes erant; sed *verbum solatii*, hoc est verbum consolationis, verbumque adhortationis. Non enim scripsi vobis multa, sed pauca, ad comparationem illorum quæ vobis dicerem, si præsens essem, timens vobis oneri esse.

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum. Timotheus coepiscopus erat beati Apostoli, et adjutor in prædicatione, quem dicit dimissum a se, et ad prædicationem directum, sive Athenis, ubi illum dimiserat fortassin Apostolus. Potest etiam intelligi quod in carcere retentus, tunc fuerit dimissus. *Cum quo*, id est cum Timotheo, *si celerius venerit ad vos, videbo vos.* Mansuetiores eos vult reddere, dicens se paratum ad eos venire.

Salutate omnes præpositos vestros et omnes sanctos. Sicut generaliter omnibus Hebræis hanc epistolam scripserat, ita generaliter omnes salute vigere optabat, non solum prælatos, sed etiam omnes subjectos, quos sanctos vocat, quia sancti fuerant in baptismate, A simulque blanditur eis, dum honorabiliter eos salutat, quatenus animadverterent se diligi ab illo, non ad oculum, sed et ex toto mentis affectu. *Salutant vos de Italia fratres.* Apertissime his verbis nobis innuit quia Romæ hanc epistolam scripserit, quæ in regione Italica sita est, et sicut doctoribus videtur, in carcere erat tunc temporis.

Gratia cum omnibus vobis. Amen. Gratia dicitur gratis data. Gratiæ autem nomine debemus hic accipere fidem perfectam cum exsecutione bonarum operum, remissionem quoque peccatorum, quam percipiunt electi tempore baptismatis, donum etiam Spiritus sancti, quod datur tam in baptismate quam per impositionem manus episcoporum, quæ omnia gratis a Deo dantur. Orat ergo Apostolus ut ista omnia illi B quibus scribebat possiderent. Oremus et nos Dominum pia supplicatione, quatenus per suffragium egregii sui Apostoli horum numerum nos possessores in præsenti efficiat, fidemque quam docuit integerrime custodientes, bonisque operibus exornantes, ad contemplationem supernæ visionis, Christo duce, pertingere mereamur. Amen.

HAYMONIS

HALBERSTATENSIS EPISCOPI

EXPOSITIONIS IN APOCALYPSIN B. JOANNIS

LIBRI SEPTEM

(Juxta editionem datam Coloniæ anno 1531, apud Eucharium, procurante Godefrido Hittorpio.)

HAYMONIS PRÆFATIO.

Legimus in Ecclesiastica historia beatum Joannem a Domitiano impiissimo Cæsare in Pathmos C insulam relegatum, exsilio deportatum, metallo damnatum ob insuperabilem Evangelii prædicationem, ut ibi forsitan secreta marmorum, vel terram foderet, aut his similibus præceptis deserviret imperialibus, sicut legimus factum in passionibus sanctorum martyrum. Ubi quanto magis putabatur vinciri custodia humana, tanto magis metas humanitatis transcendens, meruit videre cœlestia. Et cui certa negabantur spatia terrarum excedere, secreta sunt concessa penetrare cœlestia. Et quanto magis destitutus est humano solatio, tanto ei adfuit divinum. Ibique meruit videre hanc prophetiam de statu præsentis et futuræ Ecclesiæ, quæ inter reliquos Novi Testamenti libros prophetia nominatur, sicut D in sequentibus dicitur : *Beatus qui legit verba prophetiæ hujus.* Sed tanta distantia est inter hanc prophetiam et eam quæ revelata est ante adventum Domini, quanta distantia est inter servum et dominum, inter legem et Evangelium, inter Deum et hominem : quia quod illi cernebant a longe venturum, hoc iste jam ex parte maxima factum et in præsenti faciendum ostendit. Nam sicut beatus Joannes Baptista idcirco major habetur omnibus prophetis, quia quem illi prædixerunt, iste digito demonstravit, ita et hæc prophetia major est omnibus : quia ea quæ antiqua revelanda prædixit prophetia, hæc revelata ostendit. In hac autem revelatione nihil historicum est accipiendum, quod ipsa verba, si subtiliter inspiciuntur, docere probantur. Neque enim hoc fieri potest, ut pauca e multis dicamus, quod viderit veraciter equos in visione, quorum ascensores haberent loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas. Tria namque genera visionum patres nostri intelligenda dixerunt : primum scilicet corporale, sicut

videmus per oculos corporis cœlum et terram, solem et lunam, cæteraque hujusmodi. Secundum spiritale, quod fit in exstasi, id est in excessu mentis, sive vigilantibus, sive dormientibus viris, quando non res corporales, sed similitudines rerum corporalium intuentes, futura ibi præsagant mysteria. Quod genus visionis commune est justis et reprobis, sicut Nabuchodonosor vidit lapidem præcisum de monte sine manibus, et sicut Pharao septem boves crassos septemque spicas plenas, et cætera. Sed uterque quod viderat, non intellexit, nisi et illi Daniel, et isti Joseph mysterium visionis revelasset. Nec mirum si reprobi in his obscuritatibus solutione indigeant, cum etiam Daniel non intelligens quid significarent quatuor venti qui pugnabant in mari magno, accesserit ad unum de astantibus, et quæsierit ab eo de his omnibus. Tertium genus est intellectuale, quod non fit per corporales res, neque A per similitudines, sed ipsa veritas in mente manifestatur videntibus, quod proprie electorum est. Tali modo locuti sunt prophetæ, quia ea quæ dicebant, videbant et intelligebant. Unde et videntes appellabantur, juxta quod libri Regum historia manifestat, dicens : *Qui enim propheta dicitur hodie, olim appellabatur videns.* Unde prophetiæ quæ ab ipsis prophetis videbantur, visiones dicuntur; unde est : *Visio Isaiæ*, *Visio Amos* et cæterorum. Et quia ista intellectualis est, idcirco utique subtilior aliis habetur. Hoc genere visionis locutus est Joannes, divinitus sibi dum in mente tanta ostensa sunt sacramenta. Facta est autem hæc ipsa revelatio per angelum, sed ipse angelus figuram Christi tenuit, qui loquebatur per illum, sicut et ille qui olim Moysi loquebatur. Unde idem Moyses aliquando dicit Deum ad se locutum fuisse, aliquando vero angelum.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Apocalypsis Jesu Christi. Planior esset sensus, si dixisset adjuncto verbo : Hæc est Apocalypsis ; sed hunc modum locutionis, qui cum diminutione verbi fit, frequenter invenimus in divinis Scripturis. Unde nec Salomon ait: Hæ sunt parabolæ Salomonis, aut : Hæc sunt verba Ecclesiastis, sed tantum : *Parabolæ Salomonis*, et : *Verba Ecclesiastis regis Jerusalem.* Sic etiam Isaias dicit: *Visio Isaiæ*, absque ullo adminiculo verbi. Sic et reliqui. Taliter autem loquentes, subauditiones necessarias tales sententias habere docuerunt. Verbi gratia, cum legimus : Apocalypsis Jesu Christi, saubaudiendum est : Hæc est. Est autem Apocalypsis Græcus sermo, et Latine dicitur revelatio sive manifestatio, eo quod in ea status præsentis et futuræ Ecclesiæ beato Joanni, et in illo, Ecclesiæ sit manifestatus. *Quam dedit illi Deus palam facere servis suis.* Et hic apertius esset, si dixisset, *Qua;* sed et hic modus locutionis sæpe fit in Scripturis. Unde est : *Bonum certamen certavi* (*II Tim.* IV), pro eo quod est : Bono certamine certavi. Hæc autem revelatio ipsius Domini Jesu Christi, quam a Deo accepit, ut sua revelatione manifesta faciat servis suis, quæ oportet fieri cito, sed in his verbis utraque ejus natura designatur : divina scilicet, per hoc quod ipse cum Patre et Spiritu sancto cuncta revelat mysteria : humana autem in hoc quod non solum a Patre et Spiritu sancto, sed etiam a seipso accepit, ut sua revelatione manifestaret servis suis quæ oportet fieri cito. Deus enim in hoc loco tota Trinitas intelligitur, a qua accepit ipse homo assumptus a Verbo Dei, ut ista mysteria suis revelaret servis, ubi etiam ipsa forma servi, domina prædicatur servorum. Servis suis ea manifestavit, id est præcepta sua sequentibus, quibus alibi dicit : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII). Non enim servis Mosaicæ legis, id est Judæis, non mundanæ sapientiæ philosophis deditis, sed gratiæ divinæ subjectis, revelatio cœlestis aperitur. Hinc Dominus in Evangelio dicit : *Confiteor tibi, Domine Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). *Quæ oportet fieri cito.* In his verbis duo comprehenduntur, ut ea scilicet quæ finienda sunt cito accipiant terminum : et ea quæ inchoanda sunt, cito sumant initium. Ista tamen nequaquam finem acceptura sunt. Unde nec metuenda sunt tormenta quæ transeunt, sed ea metuenda sunt quæ in æternum perseverant. Nec gaudia fugitiva sunt appetenda, sed jugi statu permanentia. Cito, id est in præsenti tempore Omne enim tempus præsentis vitæ comparatum æternitati, quasi unius horæ parvissimum est momentum. Unde et idem Joannes in epistola sua dicit de hoc longissimo tempore : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II). Revelat ergo Christus Joanni, id est Ecclesiæ suæ, et ea quæ cito transeunt et ea quæ cito adveniunt, ut dum se temporaliter cernit affligi vel prosperari, cogitet brevitatem istius temporis, et quam velociter transeant gaudia et tribulationes cum tempore, et quam velociter appropinquent eadem sine fine mansura, ac per hoc nequaquam malorum prosperitatibus invideat, sed potius in suis adversitatibus gaudeat. *Et significavit.* Hoc loco, significavit, non ab ostensione, sed a signo positum intelligere debemus, et hoc esse dictum significavit, quod est, sigillavit : signum enim dicitur sigillum. Quo in loco quæstio oritur : quare hoc dicatur cum in sequentibus inveniamus dictum Joanni ab angelo : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus* (*Apoc.* XXII); sed sciendum est quia sacra Scriptura impiis signo clau-

fidelibus aperitur. Non enim propter fideles A *vidit*, subintelligendum est quæcunque de incarnato , sed propter fures et latrones divitiæ sub ulo clauduntur Sed dicendo ergo, significavit delibus claudi, et fidelibus spiritali exercitio aperiri. Unde et Danieli dicitur : *Vade, quia sunt signatique sermones usque ad tempus itum (Dan.* XII). *Mittens per angelum suum uo Joanni*. Iste angelus in figura Christi appaeato Joanni, quia enim cum Patre et Spiritu Filius unus est Deus, omnia revelans, utique elum illum replevit ; atque in illis corde ha-, per eum locutus est Joanni. Ipse autem es figuram Ecclesiæ tenet, sicut in sequentibus mus. Cui Christus (sicut dictum est) non in atura, sed per angelum apparuit, sicut olim patribus. Expleto enim ministerio propter venerat, visus est etiam ab hominibus quanportuit, donec quadragesimo die ascendit in a ; non deinceps per eam substantiam quam sit a nobis apparere voluit. Unde non corpoejus præsentiam debemus requirere, sed poredere eum esse ubique in divina majestate. itaque Filius Dei per divinitatem erat in antotus cum Patre et Spiritu sancto consistebat in quod nulli alii posse tribuitur, nisi illi incor- et simplici naturæ, quæ tota in cœlis reperiota in terris, tota sine loco in loco, tota sine in partibus. Quid est autem mirum, si post incarnationem angelus apparens, similis filio is dicitur, sicut in consequentibus invenimus, C etiam angeli qui multo ante ejus adventum sanatribus apparuerunt, viri vocantur? Quo in licit beatus Ansbertus Ambrosius : Credi etiam beato Paulo apostolo Dominum, post suam sionem, non in sua natura apparuisse, sed poer angelum tantum in ea forma, in qua recci ab hominibus solet. Quod hinc etiam probari t, quia si beatus Paulus nuper conversus, in um substantia vidisset, consequens esset, ut mnibus dilecto discipulo, sibique ab adolescencato, non per angelum, sed per semetipsum eret. Quod dicit: Mittens per angelum suum suo Joanni, morem sanctorum Patrum tenet, suis dictis sic de se quasi de alio loquuntur. est : *Vir erat in terra Hus nomine Job*, etc . D *e, recedens a malo* (*Job.* I). Et : *Erat Moyses vir simus super omnes qui morabantur in terra* . XII), et idem Joannes sæpe in Evangelio suo: st discipulus ille quem diligebat Jesus.

i testimonium perhibuit verbo Dei, et testimo- Jesu Christi. Perhibuit testimonium verbo Dei es, cum dixit (*Joan.* I): *In principio erat Ver*et : *Omnia per ipsum facta sunt ;* et : *Erat ra quæ illuminat omnem*, etc., quæ in eodem le divinitate Verbi sequuntur. Perhibuit testimo- Jesu Christi, cum dixit : *Et Verbum caro factum habitavit in nobis* (*Joan.* I). Non tamen dividipersonas cum ista dicimus, sed utramque ostena naturam. Quod vero ait in his *quæcunque* Dei Verbo sive in divinitate, sive in humanitate cognovit. Aliud vero vidit oculis corporeis, atque aliud oculis mentis : oculis mentis vidit divinitatem, oculis corporeis humanitatem. Vidit eum ante omnia sæcula a Patre genitum, cum Patre omnia fecisse. Vidit in fine temporum natum ex matre pro nostra salute, deinde passum, a justo homine sepultum, a mortuis resuscitatum, atque in dextera Patris sublevatum, deinde ad judicium venturum. Vidit itaque hæc omnia, et testimonium perhibuit et scimus quia verum est testimonium ejus. Sed quod fecit Joannes, hoc etiam facit quotidie Ecclesia, cujus membrum ille fuit, et in cujus figura hanc Apocalypsin vidit, a cujus ore testimonium illius non recedit, quia indeB sinenter doctrinis illius resistit.

Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. In his verbis duorum personæ comprehenduntur: doctorum videlicet, qui legunt et aliis exponunt, et auditorum, qui audiunt et retinent, et opere perficiunt ea quæ in ea scripta sunt. Licet enim hic liber multa habeat in se profunda mysteria, tamen multa sunt ibi, quæ etiam ad litteram custodita, magnam utilitatem et salutem præstant suis observatoribus. Servant autem ea quæ in ea scripta sunt, qui fidem Christi et Ecclesiæ non violant, qui cavent prohibita, et implent jussa, metuunt minata supplicia, amant promissa cœlestia. Hinc autem liquido colligitur, quantæ sit auctoritatis, quantæque excellentiæ, cum inter omnes libros Novi Testamenti hic solummodo prophetia nominatur, quam qui observaverit beatus esse perhibetur. Ad quod et subjungitur: Tempus enim prope est, judicii scilicet, quando redditurus est unicuique juxta opera sua. Ac si diceret: Felix qui fidei sacramentis imbutus, et quæ in his jubentur custodit, et quæ prohibentur non præsumit. quia et observationis tempus non longas moras innectit, et retributionis dies quodammodo in januis consistit.

Joannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia. Asiæ duæ sunt, major scilicet et minor, quæ minor in sortem venit beato Joanni, in qua sunt septem civitates metropolitanæ quarum caput est Ephesus; sed cum major minori jungitur, pene medietatem mundi occupant. Huic tantæ regioni Deus omnipotens per suam misericordiam præposuit prædicatorem beatum Joannem, et ideo ille specialiter ecclesiis Asiæ suam dirigit prophetiam. Verbum quod loquitur septem ecclesiis Asiæ, utique omni Ecclesiæ dicit. Quæ cum una sit, septenario numero comprehenditur, quo sæpe solet universitas designari, juxta illud: Septies in die laudem dixi tibi, vel propter innumera dona quæ percipit a Spiritu sancto, qui cum unus sit Spiritus replens orbem terrarum, id est universam Ecclesiam ; dicitur etiam septiformis a propheta super Dominum requievisse propter septem, id est multiplicia dona sua, quæ præstat fidelibus. Una est itaque Ecclesia, sicut unus est Spiritus ; unde et catho-

lica Græce dicitur, id est universalis, et septiformis Spiritus munere est repleta. Unde et in Zacharia legimus (*Zach.* IV), candelabrum totum aureum, habens super se septem infusoria et septem lucernas; quam etiam septiformem Ecclesiam Christo conjungi Isaias commemorat, dicens : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus* (*Isa.* IV), etc. Vir iste unus Christus est quem septiformis Ecclesia complectitur, dicens : Panem nostrum comedemus, corpus scilicet tuum nobis a Deo datum manducabimus, vestimentis virtutum ornabimur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum, ut sis vir noster, ne improperando dicant nobis Judæi quod non habeamus virum. Unde et Solomon dicit (*Prov.* IX), quia sapientia excidit sibi columnas septem, columnas septem excidit, et domum fecit, quia ab amore præsentis sæculi dura corda gentilium septiformi spiritu implenda separavit, atque ad fortitudinem cœlestis ædificii erexit. Recte etiam hoc numero septenario, qui constat ex tribus et quatuor, Ecclesia comprehenditur, quæ in quatuor mundi partes diffusa inconcussa mente et fide observat sanctæ Trinitatis fidem. Cujus numeri mysterium etiam unusquisque homo in se continet, qui utique membrum est hujus Ecclesiæ, dum ex quatuor constat humoribus, quatuor pollet virtutibus, et diligit Deum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota voluntate sua. Nam tribus spiritaliter, et quatuor corporaliter viget. In dilectione enim Dei, tribus qualitatibus spiritaliter excitatur. Ipse vero corporaliter ex materia calida et frigida, humida et sicca componitur. Asia, interpretatur *elatio*. Elatio autem et in bonam et in malam ponitur partem, nec semper pro vitio ponitur, sed aliquando culmina virtutum designat. In bono ponitur, ut illud Isaiæ (*Isa.* LVIII, LX) : *Ponam te in superbiam sæculorum. Sustollam te super altitudinem terræ.* Altitudines terræ sunt divitiæ, honores, dignitates. Super altitudines has Deus omnipotens posuit Petrum, Paulum, et cæteros qui primum fundamentum Ecclesiæ jecerunt. Nam sicut cum montem quisquis conscendit, eo paulisper cætera subjacentia despicit, quo ad altiora plus gressus tendit, ita qui intentionem nititur figere in summis, eo amplius terrena despicit, quo amplius elevatur ad cœlestia, et quod prius in imo positus super se credidit, post ascendendo proficiens, sub se esse cognoscit. In hac bona elatione consistit Ecclesia, quia terrena omnia calcans, mente cœlos inhabitat, dicens cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Quod si etiam elationem in contrariam partem intelligere voluerimus, neque in hoc a sano intellectu recedimus, quia multi a sua superbia dejecti sunt per gratiam Christi atque humiliati; ad quos etiam, quia membra sunt Ecclesiæ, hæc pertinet revelatio. Impletum hoc cognoscimus in Paulo, qui prius fuit superbus Ecclesiæ persecutor, deinde factus est piissimus prædicator. De superbis enim atque elatis quotidie Christus suam Ecclesiam per internam gratiam vocans, mitissimam reddit et humilem.

Gratia vobis. Gratia dicitur gratis data, non merces reddita, sed venia gratis collata, quæ gratia specialiter in hoc est accipienda, quia sine merito hominum misit Deus Filium suum, qui nos suo sanguine redemit, et ad filiationem Dei perduxit. Unde et sequitur *et pax*, quia videlicet ipse per suam passionem genus humanum Deo Patri pacificavit. Et notandum quod non dicitur, pax et gratia, sed præmittitur gratia ac deinde subjungitur pax, quia nullus ad pacem reconciliationis venire poterit, nisi hunc gratia misericordiæ præcesserit, quia ut ad pacem Dei venire possimus, a Dei gratia perventi sumus; generaliter autem omnia quæ a Deo percipimus, sive in fide, sive in opere, in abstinentia, in jejunio et in cæteris, gratis a Deo nobis tribuuntur sola illius misericordia. Quærendum est in hoc loco cur in dato gratiæ, nominato Filio et Spiritu sancto, persona Patris reticetur? Nam cum dicit : *Ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est*, Filium in his verbis ostendit, quod maxime ex hoc probat, cum subjungit : Qui venturus est, ad judicium scilicet, ut reddat unicuique juxta opera sua. *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V), qui solus cum Patre et Spiritu sancto habet esse, quia semper est immutabilis, unde Psalmista: *Tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Sunt etiam angeli, sed mutabilitatem passi sunt, quando unus eorum motus per superbiam cecidit. Sunt homines, sed mutabiles, sicut primus homo mutatus est, et ex justo factus est injustus, ex bono impius, ex immortali mortalis. Omnis enim creatura mutabilis comparata æternitati, quasi non est, ideoque specialiter esse habere dicitur, qui semper idem est. Erat vero, quia antequam de beata Virgine nasceretur in tempore, cuncta cum Patre fecit tempora, juxta illud : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I); et : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*). Venturus est ad judicium, juxta illud angelorum promissum: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Cum itaque hæc non nisi soli Filio congruere videantur, et hanc gratiam Ecclesia justorum a Patre et Filio atque Spiritu sancto percipit, quia quorum inseparabilis est unitas, inseparabilis est etiam operatio, quod sibi vult hoc, quod solummodo mentio fit Filii vel Spiritus sancti? Sed sciendum quia mos est sacræ Scripturæ ut ubi unius fit mentio personæ de Trinitate, tota simul Trinitas intelligatur. Ergo ubi in persona Filii fidelibus gratiam tribuere legentes audivimus, simul in ipsa datione Patrem et Filium et Spiritum sanctum intelligere debemus. Iterum quæritur, cum sit unus Spiritus qui replet orbem terrarum, cur Joannes in hac revelatione septem spiritus introducit? nimirum propter septenariam, id est multiplicem ejus operationem. Simplex itaque est proprietate naturæ, multiplex vero gratiarum distributione. Hinc Salomon dicit eumdem spiritum unicum et multiplicem. *Et a septem spiritibus, quæ in conspectu throni ejus*

sunt. Thronus Dei sunt angeli sancti et homines justi, in quorum mentibus per fidem requiescit. Unde est : *Anima justi sedes est sapientiæ (Sap.* VII). In cujus throni conspectu Spiritus sanctus est, quia in sanctorum memoria (ut diximus) requiescit, et illos possidet, eorumque opera disponit, et ad Dei amorem et proximorum accendit dilectionem, ad quem etiam specialiter remissio pertinet peccatorum, quæ fit in baptismate opere Spiritus sancti ; unde Dominus dicit apostolis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (Joan.* XX). Quare septem spiritus dicantur, supradictum est.

Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis. Quia de Christo erat plura locuturus, iterum repetit ejus personam, dicens : Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, id est verax, quoniam Patri perhibet testimonium, dicens Judæis : *Pater in me manens, ipse facit opera (Joan.* XIV) ; et : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te (Joan.* XVII) ; et : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Joan.* III) ; et : *Ego a meipso non veni (Joan.* VII) ; et multa his similia. Sed sicut Filius est testis fidelis, ita etiam Pater, ita et Spiritus sanctus. Ait enim Pater de Filio, testimonium illi perhibens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth.* III). Ipseque Filius de Spiritu perhibet testimonium cum dicit : *Spiritus est qui vivificat (Joan.* VI) ; et : *Spiritus ubi vult spirat (Joan.* III) ; et : *Paracletus ipse vos docebit omnia (Joan.* XIV). Spiritus quoque sanctus de Filio testimonium dicit quod sit veritas, sicut scriptum est : *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas (I Joan.* V) ; et ipse Filius dicit : *Ille testimonium perhibebit de me (Joan.* XV). Unde sciendum est quia sicut hi tres unum sunt, sic eorum testimonium unicum est, quanquam alterius testimonio alter insinuetur. Specialiter autem Filius testis vocatur, quia pro testimonio veritatis usque ad mortem pervenit carnis, quia et cum omnis Ecclesia in prædicatoribus Christo testimonium perhibebat, illi specialiter testes vocantur, qui pro Christi nomine moriuntur. *Primogenitus mortuorum*. Primus homo ea conditione creatus est, ut nisi peccasset, immortalis mansisset ; sed quia peccavit mortuus est, et rediit in matrem suam, hoc est in terram, de qua fuerat conditus, dicente sibi Domino : *Terra es, et in terram reverteris, de qua assumptus es (Gen.* III). Quia formatus ex limo terræ in animam viventem, quasi ex matris utero vivus processerat. Postquam autem factus est ille mortalis, genuit filios mortales et peccatores, qui omnes mortui in matrem suam revertuntur. Veniens Deus ergo in carne, eadem lege mortuus est, atque in utero matris sepultus. Sed quia tertia die a mortuis jam victurus in æternum surrexit, et mors illi ultra non dominabitur, primogenitus mortuorum appellari debuit ; licet enim surrexerint alii ante, sicut Lazarus, tamen non surrexerunt in æternum victuri, quia iterum mortui carnis debitum solverunt. Unde non surrexisse vel vixisse computandi sunt. Ille ergo primogenitus mortuorum recte vocatur, quia sic surrexit a mortuis, ut ultra non moreretur. Potest et aliter intelligi : omnes electi qui se mortificant, cum vitiis et peccatis, et voluptates carnis in se occidunt, mortui sunt peccato, et vivunt Deo quorum primogenitus digne vocatur Christus, quia peccatum non fecit, et mortificationem vitæ carnalis ostendit. *Et princeps regum terræ*. Reges terræ appellantur omnes electi qui vitiorum tyrannidem in se consurgere non sinunt, sed eis jure damnantur. Possunt autem et reges terræ specialiter intelligi prædicatores, qui dum corda carnalium a pravitate restringunt, super terram ut reges imperant, cæterum bonis et spiritualibus viris in nullo se præferunt. Hinc est quod Petrus Cornelio se cœqualem fatetur (*Act.* X) ; Ananiæ vero animam gladio verbi perimit (*Act.* V).

Sciendum est autem quia prædicatores Ecclesiæ etiam ipsis carnalibus ita dominari appetunt, quatenus et compassionem naturæ, et vitiis rectitudinem exhibeant. Eorum itaque princeps est Christus, qui est rex regum, et Dominus dominantium, de quo adhuc sequitur : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Quo enim amore Filius Dei nos dilexerit, passiones illius ostendunt quas pro nobis pertulit. De hac dilectione ait Apostolus ; *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea (Ephes.* V). Ad cujus etiam dilectionem imitandam hortatur fideles, dicens : Ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis ; dilexit autem nos pulcher fœdos, pius impios, sine peccato peccatores, nec quales eramus nos dilexit, sed quales ipsa dilectione nos fecit ; unde et subditur : et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Iste et amor ineffabilis et incomprehensibilis, quia cum pro justo vix aliquis moriatur, Christus secundum tempus mortuus est pro impiis, ut nos offerret Deo, justus utique pro injustis. Et cum essemus maculati delictis, lavit nos suo sanguine, ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid hujusmodi. Qui etiam sanguinem suæ passionis vertit nobis in mysterium ablutionis, ut in fide mortis ejus baptizati, ab omnibus mundemur peccatis. Hinc Apostolus dicit : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (Rom.* VI). Est autem et secundum baptismum effusio lacrymarum, quo momentis singulis baptizantur publicani et peccatores, quomodo videlicet Maria post multas criminum lacrymas, et Petrus ablutus est post ternam Domini negationem.

Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Per hanc sententiam omnes electi, sacerdotes demonstrantur, qui supra reges fuerant appellati. Quia enim caput fidelium rex est et sacerdos, congruenter et membra capitis, reges et sacerdotes vocantur. Quibus per Petrum dicitur : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium (I Petr.* II). Ipsi enim sunt reges,

ipsi et sacerdotes et sacrificium et altare, quia et tumultus carnalium voluptatum contra se insurgentes ut reges refrenant, et sacrificium laudis et mortificationis Deo immolant, corpusque suum a præsentis sæculi cupiditatibus mortificant, ut hostia viva fiant. Ipse itaque Unigenitus Patris, rex et sacerdos, fecit suos electos reges et sacerdotes, quos reges terræ constituit, et ipso opere sacerdotes monstravit. Quod autem dicitur, Deo et Patri, non duæ naturæ, nec duæ personæ, sed una ostenditur; ubi etiam Spiritus sanctus juxta regulam præmissæ intelligentiæ pariter intelligitur. *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Filio scilicet, qui nos fecit, et qui nos sacerdotes fieri voluit, ubi etiam amborum accipimus charitatem, quæ est Spiritus sanctus.

Ecce venit cum nubibus. In nube venturus est Dominus ad judicium, quia in nube ascendit in cœlum. Sic enim dixerunt angeli apostolis : *Quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (Act.* I). Nubium autem sæpe fit mentio in sacro eloquio, unde legimus in Exodo, quod omnipotens Deus in nube filios Israel eduxit de Ægypto. Tabernaculum quoque Moysi et templum Salomonis nubes implevit, et in Domini transfiguratione Moysen et Eliam nubes obumbravit. In nubibus etiam sancti venturi sunt ad judicium, juxta illud Apostoli, quia *rapiemur obviam Christo in nubibus* (*I Thess.* IV) . Illa autem nubes quæ filios Israel illuminabat, et Ægyptios tenebris circumdabat, Domini significat clementiam, quæ illuminat perfectos, et obcæcat reprobos. Ita quippe veniens Dominus ad judicium, apparebit blandus justis quos etiam illuminabit, dum ad contuendam suam majestatem eos perduxerit ; et terribilis reprobis, quos in tenebroso carceris loco constituet. De quo in Evangelio dicitur : *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores ;* illis enim dicet : *Venite, benedicti Patris mei;* istis autem : Ite *in ignem æternum, qui paratus est diabolo (Matth.* XXV). Nam et hoc quod Ægyptii et filii Israel ad se non poterant accedere, hoc significat quod Abraham diviti respondit : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est (Luc.* XVI). Aliquando etiam nubes corpus Christi significat, ut illud : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (Isa.* XIX). Super nubem quippe levem ascendit, et in Ægyptum venit, quando carnem humanitatis nostræ assumens, sine gravedine peccati in mundo apparuit. Nubes autem pluraliter, sanctos significant prædicatores, qui pluunt verbis, et coruscant miraculis ; de quibus per prophetam dicitur : *Et nubibus mandabo ne pluant super eam (Isa.* V), hoc est, super vineam imbrem. Cum his nubibus, hoc est, cum multitudine sanctorum venturus est Dominus ad judicium, quia in eorum cordibus habitabit ; unde est: *Dominus veniet ad judicium cum senioribus populi sui (Isa* III). *Et videbit eum omnis oculus.* Omnem oculum usitato more locutionum, pro omni homine positum hic accipiamus. Omnis itaque oculus, id est omnis homo, qui tunc resurrexerit, videbit eum corporaliter, sive ad vitam, sive ad mortem; non autem animalium quorum vis in sanguine est, et cum moriuntur esse desinunt, oculus enim videbit, sed potius oculus hominum. Alia translatio dicit : Videbit eum omnis oculus talem, qualem scilicet despexerunt, et qualem credere noluerunt, et tunc implebitur : *Videbit omnis caro salutare Dei (Luc.* III). *Et qui eum pupugerunt,* subaudis videbunt eum, Judæi scilicet, qui crucifixerunt eum lingua, sicut Marcus dicit (*Marc.* XV) : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt illum,* clamantes: Reus est mortis; et milites Pilati videbunt eum quem illudentes crucifixerunt; videbunt autem non ut jam contemnant, sicut prius irridebant, insultent, ac lætentur, sed ut paveant, gemant, lugeant et tristentur, unde et subditur, *et* tunc *plangent se super eum omnes tribus terræ*, id est, omnes reprobi terrena desiderantes, et per desiderium terram inhabitantes, honoribus semetipsos extollentes, in luxuriis degentes, quibus Dominus dicit : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI). Præcipue autem hi plagent se super eum, qui eum pupugerunt. Magis autem dolebunt miseri quia talem perdent Dominum quam quod atrocissimum inciderunt tormentum. *Etiam : Amen.* Quod est apud Latinos etiam, hoc apud Hebræos amen ; utrumque autem est adverbium affirmantis. Dicit ergo : Etiam, amen, ac si diceret ingeminando : Verum est, verum est, et mutari non potest, quia plangent se super eum omnes tribus terræ. Cognoscite eum pro certo futurum, quod tali sententia firmat.

Ego sum alpha et omega, principium et finis. Hic jam manifeste ostenditur, quia angelus qui hæc Joanni nuntiavit, personam Dei in se habebat, cum dicit : Ego sum alpha et omega, principium et finis. Similiter et ipse Joannes qui hæc dicit nobis, tale est et quod Paulus dicit: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ? (II Cor.* XIII) et David: *Attendite, populе meus, legem meam* (*Psal.* LXXVII). Alpha apud Græcos, Latinos, et Hebræos, principium est elementorum; quod enim apud nos A, hoc est apud Græcos alpha, apud Hebræos aleph. Porro omega finalis est elementorum apud Græcos. Quid autem sit alpha et omega, manifestat, cum subjungit: Principium et finis ; principium scilicet, ante quem nullus, finis vero, post quem nullus; vel principium, a quo omnia sumunt initium, finis vero, in quem cuncta terminantur ; vel principium, quia in principio erat Verbum, finis, quia Verbum caro factum est, unde et ipse per Isaiam dicit : *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit* (*Isa.* XLIII). Nam et quod Joannes, imo angelus ex persona Dei hoc dicat, manifestat cum subjungit : *Dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est omnipotens.* Quod jam supra expositum est.

Ego Joannes frater vester. Hucusque præfatio sequentis libri, exhinc historia incipit. Loquitur autem ecclesiis Asiæ, quibus et se æqualem ostendens, hu-

militatis causa dicit: *Ego Joannes frater vester* in fide, *et particeps in tribulatione et regno, et patientia in Christo Jesu*. Quo in loco duo sunt simul conjungenda, tribulatio scilicet et patientia. Tribulatio enim et patientia pertinent ad caput et ad membra, regnum autem solummodo ad caput. Particeps Christi fuit Joannes in tribulatione et patientia, quia sicut Christus passus est opprobria, irrisiones, colaphos, et verbera, ita et beatus Joannes qui flagellatur legitur in Actibus apostolorum, et a Domitiano in fluentis olei dolium missus, ad ultimum ab hominibus separatus est. Particeps quoque fuit in patientia, quia sicut Christus patienter sustinuit passionem, et suos crucifixores diligebat, pro quibus orabat, dicens: Pater, *ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII) : ita et beatus Joannes diligebat eos qui ei mala infere-B bant, et pro illis orabat. Regnum autem proprie ad caput pertinet, qui est regnum perpetuum sanctorum suorum. Neque enim aliud regnum est suis daturus electis quam seipsum, quibus dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV), quasi dicat : Venite, membra, regnate post tribulationem in capite, quia ego regnum vestrum ; de hoc regno ipse dicit Judæis: *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Considerandum denique quia in tribus participem se dicit Joannes, in tribulatione scilicet, et regno et patientia ; sed media horum est regnum, nec potest possideri, nisi et hinc tribulatio exercuerit, et illinc patientia defenderit. Tenet enim in hoc loco personam omnium fidelium.

Fui in insula quæ vocatur Pathmos propter Verbum C *Dei et testimonium Jesu Christi*. Quatuor rebus hic suam confirmat narrationem : persona, cum dicit : Ego Joannes ; loco, cum se in Pathmos insulam relegatum ostendit ; causa, quare hæc passus sit, propter Verbum scilicet Dei, et tempore, id est die Dominica. Fui in insula quæ vocatur Pathmos ; historia nota est, beatum Joannem scilicet in Pathmos insulam relegatum propter Verbum Dei, cui testimonium perhibebat, dicens : In principio erat Verbum ; et propter testimonium Jesu Christi, quod ei perhibebat, quod scilicet esset verus Deus et verus homo : et cui negabatur terra apertum est cœlum. Interpretatur autem Pathmos fretum ; ibi quippe amplius fervet mare, quod fretum dicitur, ubi angustius est : et ideo non inconvenienter per nomen istius insulæ D angustia passionis exprimitur, quam patiebatur beatus Joannes, sicut cæteri quorum personam gerebat. Quanto magis enim sancti in præsenti vita affliguntur, eo amplius illis secreta cœlestia manifestantur. Unde Paulus in carcere positus dicebat: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Sustinent quoque et ipsi mali pœnas, quia homicidæ interficiuntur, in carceribus recluduntur : sed non pœna facit sanctos, sed justitia. Sustinet plerumque justus similia, sed justus propter justitiam coronatur, injustus vero propter iniquitatem damnatur. Hinc Psalmista dicit: *Judica me, Deus, et discerne causam meam* (*Psal.* XLII). Unde bene propter Verbum Dei et testimonium Christi se dicit relegatum, non propter homicidium aut cætera crimina. Ex illis quippe erat unus quibus dicit Dominus : *Beati eritis cum vos oderint homines, et separáverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter* me (*Luc.* VI, et alibi : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X). Omnis enim qui idcirco patitur passionem, quia divinitatem et humanitatem Filii Dei prædicat, beatus erit, et talibus secreta cœlestia revelabuntur, cum ad visionem sui pervenerint Creatoris.

Fui in spiritu in die Dominica. Hic jam aperte demonstratur, beatum Joannem hanc visionem non corporaliter, sed in spiritu vidisse. Non tamen in somnis, sed in exstasi raptus est, sicut et Ezechiel, qui cum sederet in domo sua, et senes Juda sederent coram illo, ductus est mente in Jerusalem. Itaque sicut dictum est, nihil per corpus vidit vel audivit, vel sensit, vel intellexit, vel ipsam carnem funditus deseruit, quando hanc revelationem vidit, sed docendus ejus spiritus, a Spiritu docente assumptus est ut alta et mystica posset intueri. Notandum autem quod se non in die sabbati, aut sexta feria, sed in die Dominica raptum fuisse dicit. Solet enim qualitas rerum ostendi pro qualitate temporum. Hinc est quod Abraham in fervore fidei suæ angelos meridie vidit, et Loth in perditione Sodomorum vesperi, Adam post meridiem ; Salomon quoque sapientiam non servaturus in nocte percepit. Ita ergo in hoc loco per diem Dominicam aperte fides intelligitur, quæ jam manifesta erat in toto mundo, quando ista videbat beatus Joannes. Jam enim Apostoli profecti prædicaverunt ubique, et jam corporalis illius vacatio sabbati in spiritalem transierat ; Ecclesia quoque quam beatus Joannes significabat, jam facta carnis mortificans, in lucem Spiritus assurgebat : et omnes electi in die Dominica sunt, quia ad gaudia futuræ resurrectionis hilarescunt.

Et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis mihi: Quod vides scribe in libro. Sicut in spiritu positus spiritualia vidit, sic ea quæ audivit vox spiritualis fuit ; scilicet, qui extra corpus per contemplationem eductus fuerat, quemadmodum dorsum habebatur. Non enim per corpus ista vidit, ut post dorsum corporis aliquid videret ; sed facies illius intelligitur ipsa vis contemplationis, quæ extendebatur ad ea quæ videbat, dorsum vero oblivio de præsentibus, ex quibus eductus per spiritum jam videbat Idcirco itaque cœlestibus intentus, vocem in his quæ oblitus fuerat audivit, ut faciem mentis ad ea converteret, et ea quæ videbat auditoribus profutura scriberet, ita et sancti post se omnia præsentis vitæ gaudia habent, et in ante se extendunt, pro nihilo ducentes omnia temporalia, dum considerant futuræ vitæ gaudia, juxta illud Apostoli : *Unum quod retro* est *obliviscens*, in anterioribus me extendo, sequens *bravium* æternæ *vocationis* (*Philip.* III). Sic autem dicitur ei : Quod vides scribe in libro, ac si diceretur : Quod visurus es. Necdum enim aliquid

viderat, sed tantum ad videndum elevatus fuerat. Librum autem memoriam ejus appellat, id est: ea quæ vides reconde in mente tua, et aliis etiam manifesta, nam quod libri significent corda hominum et conscientiam, testatur Daniel qui dicit: *Antiquus dierum sedit, et libri aperti sunt, et alius liber qui est vitæ* (*Dan.* VII). Sic etiam fidelibus dicitur, ut quod vident, id est quod intelligunt, et ipsi in cordibus suis recordant, et aliis etiam manifestare studeant. Vox autem hæc sive in Joanne, sive in Ecclesia, recte magna vocatur, quia non de mediocribus, sed de summis loquitur. Quæ etiam quasi tuba dicitur, quia per ora prædicatorum sonat, quibus per Isaiam dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII). Nam et bene vox quam audivit Joannes, et in illo Ecclesia, tanquam vox dicitur tubæ, quæ ab interioribus sine strepitu sonum accipit quem profert exterius, quia videlicet ille sine sono vocis audivit prius in corde, quod postmodum sonuit exterius in voce, quia aliter ad prophetas divina vox sonuit, atque aliter ipsi postea locuti sunt. Deus enim locutus ad illos in corde sine sono vocis, ipsi autem postea locuti sunt, operantes verba cum lingua carnis.

Et mitte septem ecclesiis, id est generali Ecclesiæ; quia sicut supra dictum est, in septenario numero universitas exprimitur fidelium. Nam et quod uni illarum loquitur, utique omnibus ecclesiis, loquitur. Unde et in sequentibus dicit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis* (*Apoc.* II).

Epheso. Ephesus interpretatur *voluntas* sive *consilium meum*. Quo nomine generaliter omnis Ecclesia comprehenditur, in qua est Dei voluntas per fidem, spem et charitatem, cætera bona opera. Unde et ipsa non suam, sed Dei potius voluntatem in se fieri optans, dicit quotidie in oratione, ut non sua, sed Dei in ea fiat voluntas. Cui etiam a Domino per prophetam dicitur: *Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea* (*Isa.* LXII). Quæ etiam bene consilium meum dicitur, quia videlicet non suum, sed Dei sui sequitur consilium, audiens illud Salomonis: *Audi consilium, et suscipe disciplinam ut sis sapiens in novissimis tuis* (*Prov.* XIX); et iterum: *Omnia facta cum consilio, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII); quod reprobis contradicitur: *Despexistis omne consilium meum* (*Prov.* I), et alibi: *Non est voluntas mea in nobis* (*Malach.* I), ait Dominus. Sciendum autem quia voluntas pertinet ad charitatem, qua sancta Ecclesia non timore cogente Domino servit, sed sponte Creatori se subdit, dicens cum Psalmista: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Consilium autem ad correctionem, quia quamvis quidam in suis permanere sceleribus omnimodis velint, fit ad eos tamen per Dei misericordiam sermo correctionis, ut rejecto errore consilium salutis percipiant. Sic enim correctus est Saulus, cui erat consilium ut nomen Christi deleret de terra, et ex lupo factus est agnus. Consilium autem Christi sancta Ecclesia accipit, quia et a peccatis se custodit, et ut perfectionem consequatur, sequitur ejus consilium, quo ait cuidam: Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me, et habebis thesaurum in cœlo.

Smyrnæ. Smyrna dicitur *canticum eorum*: quorum canticum nisi electorum? Idem est canticum, de quo Psalmista dicit: *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* XCV). Verum hæc verba non uni tantum ecclesiæ dicuntur, sed tantum generaliter Ecclesiæ universali conveniunt. Ad cujus membra pertinebant apostoli, quibus Dominus dicebat: *Mandatum novum do vobis* (*Joan.* XIII). Ipsa enim diligendo Deum et proximum, canticum novum cantat, qui adimplet hoc mandatum. Cantat etiam canticum novum, quando mysterium incarnationis, passionis, ac resurrectionis ejus concelebrat. Perfectius autem in futuro cantabit, quando videbit in re quod nunc videt in spe, et implebitur illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Psal.* LXXXIII). Unde Ezechiel dicit (*Ezech.* II) se vidisse librum, in quo erat scriptum carmen et lamentationes et væ. Qui enim ibi voluerit cantare carmen, hoc est canticum novum, necesse est ut in præsenti vita habeat lamentationem deflendo sua et aliena peccata. Qui vero in præsenti contempserit habere lamentationem, væ illi sine dubio in futuro erit, ut illis sine fine habentibus væ, isti sine termino Alleluia decantent victuri.

Pergamo. Pergamus interpretatur *divisio cornuum*. Cornua significant regna, ut habes in libro Danielis et in Zacharia: cornua ergo Christi intelliguntur sancti ad regnum illius venturi; sed sicut Christi cornua ejus membra sunt quibus regnum daturus est perpetuum, ita sunt cornua diaboli ejus membra quæ cum eo damnabuntur. Inter hæc itaque cornua, id est inter justos et reprobos, et inter regnum Christi et diaboli, sancta Ecclesia facit divisionem, quia segregat bonos a malis, superbos ab humilibus judicio sententiæ, dicens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII). De his cornibus et Psalmista dicit: *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi* (*Psal.* LXXIV). Hinc enim discernitur Christi regnum et diaboli, humilitate scilicet regnum Christi elevatur, superbia vero regnum diaboli dejicitur.

Thyatiræ. Thyatira dicitur *illuminata*; quo nomine generaliter Ecclesia designatur, quæ illuminata est ab eo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cui Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* IV), de qua et Isaias: *Populus qui ambulabat in tenebris* (*Isa.* IX).

Sardibus. Sardis sonat in lingua latina *principi pulchritudinis*, apta subauditur et ornata. Cui scilicet, nisi illi de quo Psalmista dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal* XLIV), et in Canticis canticorum: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi* (*Cant.* I). Huic itaque principi pulchritudinis est apta et præparata Ecclesia per ornamenta virtutum; unde et per Psalmistam dicitur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu*

deaurato (*Psal.* XLIV) ; et in Canticis canticorum : *Murenulas aureas faciemus tibi* (*Cant.* I).

Philadelphiæ. Philadelphia dicitur *salvans hæreditatem Dei*. Ipsa enim Ecclesia hæreditas dicitur, de qua Pater ad Filium : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II), et de qua coloni mali videntes hæredem, dixerunt : *Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI). Ipsa est ager Dei, ipsa et vinea, quæ per prædicatores suos ita salvare satagit semetipsum, ut fide et opere Deo placeat, et ab illius voluntate nunquam recedat.

Laodiciæ. Laodicia vertitur in nostra lingua *tribus amabilis Domino*, sive fuerunt in vomitu. Tribus nomine sacra Scriptura sæpe utitur ; unde est : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini* (*Psal.* CXXI). A tribus scilicet ordinibus, qui forsitan erant in populo Judæorum, sicut fuerunt apud Romanos, in senatoribus scilicet, militibus, et agricolis, ita et Ecclesia eisdem tribus modis partitur, in sacerdotibus, militibus, et agricultoribus, quæ tribus amabilis dicitur, juxta quod Apostolus dicit : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris. Et ipse Dominus : *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III). Porro quod dicitur fuerunt in vomitu, ad reprobos pertinet, qui simul permixti sunt bonis, sicut in area grana cum paleis. Qui etiam sua præsentia gravant sanctos, veluti noxii cibi. Unde et necesse est ut ejiciantur de corpore Christi. Tales utique fuerunt hæretici, qui ejecti sunt ab Ecclesia, de quibus Joannes dicit : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*Joan.* II); et Psalmista : *Expelle eos quoniam irritaverunt te, Domine* (*Psal.* V). In quorum etiam persona in sequentibus hujus prophetiæ verbis dicitur : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III).

Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Hic liquido claret, non corporalem, sed spiritalem vocem Joannem audisse, quia non ut audiret, sed ut videret dicit se conversum. Quod utique juxta corporis sensus impossibile esse cognoscitur, non enim vox unquam videri potest. Sed ille raptus spiritu ad summa contemplanda, nihil aliud audivit quam vidit, quia hoc est illic audire quod videre, hoc videre quod audire. Ecclesia quoque quæ in Joanne figuratur, post se videt vocem, quia mysteria quæ in se videt completa, in lege et prophetis considerat prænuntiata ; sic enim scriptum est in Genesi : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II), Christus scilicet et Ecclesia. Unde Paulus : *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V).

Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis. Septem candelabra aurea hoc ipsum significant quod septem ecclesiæ, id est universalem Ecclesiam, dum verba eorum lumen scientiæ simul et amoris incendium præbent, donis septiformis Spiritus refertam. Sed non incongrue in septem candelabris aureis figuratur ; habet enim Ecclesia aureum colorem, quia refulget divina sapientia, de qua scriptum est : Thesauris desiderabilis requiescit in ore sapientis. Habet lucernam, quia lucet verbo et exemplo, juxta quod Paulus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Philip.* II). Habet quoque et longitudinem in longanimitate spei et perseverantiam, dicente Domino : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Quia etiam candelabrum tundendo producitur, satis convenit Ecclesiæ, quæ diversis afficitur in hoc sæculo pressuris, inter quas consolationem adhibet illi Dominus dicens : *Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te* (*Isa.* XLIII); et per Prophetam : *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam* (*Isa.* I). Et bene in medio septem candelabrorum aureorum videt Joannes similem Filio hominis, quia Christus qui Ecclesiæ suæ præsidet, et præsidendo eam protegit, in medio electorum suorum est, secundum illud : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII) ; et alibi : *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel* (*Isa.* XII). Intuendum est autem quia non absolute dicit se vidisse Filium hominis, sed similem Filio hominis. Ille enim angelus (ut sæpe dictum est) personam Christi gerebat, qui idcirco non jam Filius hominis, sed similis Filio hominis appellatur, quia devicta morte jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur ; vel certe similis Filio hominis vocatur, quia etsi carnem nostram accepit, tamen non fecit peccatum, sed apparuit in similitudine carnis peccati. Proprium enim est hominum peccato non carere, unde et quia ipse peccatum non fecit, per Psalmistam dicitur : *Ego autem sum vermis et non homo* (*Psal.* II). *Vestitum podere*. Poderis vestis est talaris, quia et Græci podas pedes dicunt. Per poderem itaque carnem Christi debemus intelligere, quam ipse verus sacerdos obtulit, quando se crucis patibulo Patri pro nobis obtulit hostiam viventem, sanctam in odorem suavitatis. Quæ videlicet vestis usque ad talos pertingit, quia ipse suos usque ad mortem dilexit, dicente Joanne : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (*Joan.* XIII). Sive per poderem possumus intelligere generalem Ecclesiam, quæ vestis est Domini, juxta quod ei paterna voce per Prophetam dicitur : *Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris* (*Isa.* XLIX); et Paulus fidelibus dicit : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*I Cor.* I). Quæ vestis usque ad pedes tendit, quia usque ad novissima membra fidelium in fine sæculi nascitura est. *Et præcinctum ad mamillas zona aurea*. In Veteri Testamento legimus Danieli Dominum præcinctum apparuisse in renibus, ipso attestante qui ait : *Levavi oculos meos, et vide, et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti* (*Dan.* X). Hic autem Joanni angelus non jam in renibus, sed ad mamillas præcinctus ostenditur. Præcinctio renum cohibitionem significat luxuriæ ;

unde est : Sint lumbi vestri præcincti. Angelus itaque Danieli apparens, jure in renibus cinctus fuisse refertur, quia Scriptura Veteris Testamenti ipsum opus luxuriæ damnat. Joanni verò bene in pectore, quia Novum Testamentum etiam cogitationes nefarias culpat, dicens : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v). In pectore enim cogitationes versantur. Nam et quod fidelibus dicitur : Sint lumbi vestri præcincti, sciendum nobis est quia quisquis adhuc fornicationem carnis non refrenat, ad vitæ veteris hominem pertinet. Possumus et hoc aliter intelligere : per duas mamillas designantur duo Testamenta ; per zonam verò auream electorum figuratur Ecclesia, quæ bene per mamillas jungitur angelo, quia per observationem utriusque Testamenti Ecclesia copulatur Christo in vinculo charitatis, hoc est in dilectione Dei et proximi. Vel certè in mamillis angelus zona cingitur, quia ex duobus populis una electorum Ecclesia per charitatis compagem Christo unitur.

Caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix. Legimus in Danielis volumine (*Dan.* vii) quod Antiquus dierum sedit, cujus vestimentum erat quasi nix candidum, et capilli ejus tanquam lana munda. Ibi itaque his verbis designatur æternitas Patris, quod in sequentibus ostenditur, cum deinde persona Filii commemoratur, dicente eodem Daniele : *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit* (*ib.*), id est usque ad Deum Patrem ; hic autem in candore capitis et capillorum angeli, candor innocentiæ Filii Dei designatur. Et bene ipse candor per lanam exprimitur ; lana quippe ovium est vestis, ipse quippe est ovis, de quo Isaias : *Tanquam ovis ad occasionem ducetur* (*Isa.* liii) ; quia secundum quod ait Apostolus : *Cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* ii). Et per caput intelligimus ipsum Christum, de quo Paulus dicit : *Caput viri Christus est* (*I Cor.* xi) ; et iterum : *Ipse est caput omnium ecclesiarum* (*Ephes.* i). Per capillos autem, perfectiores qui capiti suo arctius adhærent ; qui etiam candorem lanæ habent, quia imitantur simplicitatem et innocentiam capitis sui dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi) ; et quibus ipse dicit : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* x). Per nivem vero, novitas designatur resurrectionis. Unde Dominus claritatem futuræ resurrectionis niveo candore expressit tribus discipulis, quando resplenduit facies ejus tanquam sol, et vestimenta ejus tanquam nix. Hinc est quod testis resurrectionis ejus angelus mulieribus apparens, vestimenta alba tanquam nix figuraliter exhibuit. *Et oculi ejus sicut flamma ignis.* Oculi Domini dona significant Spiritus sancti, de quibus in Zacharia dicitur : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* iii) ; et in sequentibus dicitur quod viderit Joannes agnum tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et bene flammæ dicuntur, quia accendunt nos ad amorem Dei, et illuminant cognitione divina ; de hoc igne Dominus in Evangelio : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* xii) ; possunt et per oculos angeli intelligi eminentiores et spiritales viri in Ecclesia, apostoli scilicet, quibus Dominus dicit : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v), qui non solum lucent, sed etiam ardent, dum verba eorum lumen scientiæ simul et amoris incendium præbent. Possunt etiam per oculos eloquia divina intelligi, de quibus scriptum est. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Ps.* cxviii) ; et de Joseph : *Eloquium Domini inflammavit eum* (*Ps.* civ).

Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Pedes Domini aliquando significant stabilitatem æternitatis ; aliquando vero humanitatem, per quam ad nos venit cognitio divinitatis ; aliquando prædicatores, de quibus scriptum est : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* x) ; aliquando vestigia imitationis ejus, aliquando vero novissima membra. In hoc autem loco proprie membra ejus significant, quæ tempore Antichristi igne tribulationis probabuntur ; nam sicut aurichalcum multis medicaminibus ex ære perducitur ad colorem auri, ita et illi tribulatione novissimi temporis exurentur, ut probentur velut mundissimum aurum. Et sicut Antichristus crudelior erit omnibus persecutoribus, ita et illi fortiores erunt omnibus retro ante martyribus, nam ipse caminus validissimam tribulationem significat, de qua Dominus dicit : *Erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet* (*Matth.* xiv). Quod autem alia translatio auricalchum Libani posuit, pro eo quod mons ipse in Judæa esse perhibetur, liquido manifestavit novissima corporis Christi membra in illis tunc regionibus vehementius esse vexanda camino tribulationis, ubi et Dominus eorum crucifixus est ab impiis Judæis. *Et vox ejus tanquam vox aquarum multarum.* Superius legimus quod audierit vocem angeli tanquam tubæ, nunc autem tanquam vocem aquarum multarum, quia videlicet prius per paucos prædicatores sonuit, de quibus Dominus dicit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth* ix) ; et postea populorum multorum officio resultavit. Aquæ enim multæ populi sunt, sicut in sequentibus legimus, quod enim primum pauci prædicatores, hoc postea totus mundus clamavit. Potest et vox similis aquarum multarum charitas intelligi, quæ est fons et origo omnium donorum spiritualium, sicut ipse Dominus manifestat, cum dicit : *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* xxii) ; unde et ipse in die magno festivitatis stans clamabat, dicens : *Qui sitit, veniat et bibat ; et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* vii). Ac si diceret : Qui intelligentiam Scripturarum sitienter cupit, ad me veniat, veniens Spiritum charitatis bibat, Deus enim charitas est. Bene itaque vox singularis Christi tanquam vox aquarum multarum dicitur, quia cum una sit charitas, si mentem repleverit, hanc ad innumera virtutum opera multiformiter accendit.

Et habebat in dextera sua septem stellas. Quid sint septem stellæ, ipse angelus aperit in sequentibus, dicens : Septem (inquit) stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum. Hoc ipsum etiam et superius comprehendit in candelabris septem, id est universalem Ecclesiam, sive omnes doctores. Quod enim singulis angelis dicitur ad universos utique refertur. Hoc quippe Dominus manifestat, qui cum de singulis angelis dicat : Angelo illius Ecclesiæ scribe. in fine ita concludit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis (Apoc.* II). Stellæ enim in nocte lucent, similiter et candelabra ; atque ideo non inconvenienter persona Ecclesiæ in his verbis exprimitur, maxime vero doctorum, qui in nocte hujus sæculi lucent verbo et opere, aliisque exemplum sanctitatis et luminis ostendunt, quibus utique Dominus dicit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut* videntes *opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (Matth.* VI). Dextera autem Christi, in hoc loco intelligitur summa beatitudo et prosperitas futuræ vitæ, quæ nunc manet in spe, tunc autem erit in re. In hac dextera jam sancti consistunt, quia in Dei prædestinatione jam certum manet, qui sint in dextera collocandi, quando agni separabuntur ab hædis, nequaquam pars sinistra erit, quia infelicitas vel adversitas nulla eos nocebit, quibus et dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXIII) et cætera. De hac dextera Dominus per Prophetam Ecclesiæ dicit : *Ne timeas, quoniam auxiliatus sum tui, et suscipiet te dextera Justi mei* (*Joan.* XLI). *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Gladius utrinque acutus, Scriptura Veteris ac Novi Testamenti intelligitur ; hinc Paulus dicit : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (Ephes.* VI). Qui gladius de ore ejus procedit, juxta quod ipse Dominus dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Matth.* IV). Utraque autem parte acutus dicitur, quia videlicet hinc culpas operis, illinc resecat peccata cogitationis ; Vetus enim Testamentum dicit : *Non occides ; non furaberis* (*Exod.* XX ; *Deut.* V) : Novum vero (*Matth.* V) : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ;* et : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Vocatur etiam sermo Dei gladius utraque parte acutus, quia dividit bonos a malis. Unde ipse Dominus dicit : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). *Veni enim separare patrem adversus filium, et filiam adversus matrem suam*, et cætera. Vel certe ideo gladius bis acutus vocatur, quia et imperfectos secundum litteram exterius informat, et perfectos juxta mysticum intellectum interius erudit. Audit enim simplex quisque ibi : Non adulterabis ; non occides, et cætera, et ponit in animo suo hæc custodire : dum autem hæc facit, abscidit se per Dei verbum a carnalibus delectationibus, ut hæc divini verbi custodiendo præcepta possit salvus fieri. Sapientior quoque considerat altiora mysteria, cum audit : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I), et cætera. Quibus sublevatus, nihil in hoc mundo ambit, quia desiderat jam frui ejus præsentia, cujus tanta in divino eloquio prædicatur magnificentia.

Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Quia Christus et Ecclesia una est persona, caput videlicet et membra, per faciem ejus possumus intelligere sanctos, non tamen tales quales nunc sunt, sed quales postmodum futuri, cum ad sui Creatoris visionem pervenerint. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris* sui (*Matth.* XIII). Quod videlicet non de isto solo visibili intelligere debemus, cum et ipse multo tunc majus lumen habiturus sit, juxta illud propheticum : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis sicut lux septem dierum* (*Isa.* XXX), sed potius de illo de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV). Si autem sancti majus lumen habebunt quam sol iste visibilis, quantum putamus excellentiorem et sublimiorem esse capitis claritatem, a quo membra illuminabuntur ! Unde et cum de sole hic loqueretur Joannes, addidit : Sicut sol lucet in virtute sua, quando scilicet meridiano tempore in centro cœli ita resplendet, ut nullatenus humanus aspectus ferre valeat claritatem luminis ejus. Hanc claritatem ostendit in monte coram tribus discipulis, quando facta est facies ejus sicut sol. Centies enim tantum (sicut dicit beatus Hilarius) fulsit, sed non nabuit Evangelista creaturam splendidiorem cui comparare posset eamdem claritatem, idcirco dicit sicut solem resplenduisse faciem ejus. Et qualis tunc apparuit Dominus, talis utique venturus est ad judicium. Quo in loco quæri potest : si Dominus ad generalem resurrectionem cum tanta claritate venturus est, quare non in eadem claritate post suam resurrectionem apparuit discipulis ? Ad quod dicendum est, ideo post suam resurrectionem claritatem sui vultus discipulis abscondisse, ut eum vel sufferre quivissent vel cognoscere ; quod si non fecisset, mortalium oculi videre eum non possent. Si enim, cum adhuc mortale corpus gestaret, ferre non potuerunt claritatem vultus ejus, quando transfiguratus est in monte, quanto minus hoc possent, si post suam resurrectionem ipse, non ut sol, sed septempliciter sole fulgente suam manifestaret claritatem. Quid autem ista de Domino dicimus, cum etiam nos, miseri atque mortales, claritatem sanctarum animarum cum æterno sole fulgentium sustinere non valemus ? Porro quod dicitur, solem sive lunam majorem luminis claritatem habere post diem judicii, utique ad lapsum et reparationem primi hominis pertinet. Postquam enim homo Dei mandatum transgrediendo peccavit, tenebras incurrit, et idcirco etiam ipse sol, qui ad obsequium hominis fuerat conditus, claritatem sui luminis maxima ex parte perdidit. Sed cum reparatus fuerit homo, atque post generalem resurrectionem renovatus, tunc et ipse sol renovabitur, et septempliciter, id est multo clarius quæ modo lucebit. Unde etiam nec postea occasum patietur, sicut Isidorus testatur, ne impii claritate luminis ejus perfruantur. Aliter : Sol habet ortum et occasum, ideo-

que congrue comparatur Christo, qui habuit ortum nascendo temporaliter ex matre, et occasum per mortem. Porro facies illius, manifesta in carne præsentia intelligitur, quæ abscondita est quando in cruce occubuit, sed iterum resurgens a mortuis, cœpit lucere in virtute sua, in multitudine scilicet miraculorum, et prædicatione doctorum. Nam et de occasu Psalmista dicit : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII). Super occasum namque ascendit, quia unde occubuit, inde surrexit, Et quando ista dicebat Joannes, jam ortus, jam ad occasum versus, jam surgens iterum lucebat in virtute sua ; id est jam in carne natus, passus, et suscitatus, ipsaque ejus nativitas, passio, et resurrectio totum claruerat per orbem ; et idcirco facies angeli non simpliciter, sed sicut sol lucet, in virtute sua splendebat.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Joannes in hoc loco significat omnem electorum multitudinem, angelus autem solius capitis personam gerit. Non autem hic pedes Domini, sicut superius æternitatem divinitatis ejus, non prædicatores, non denique cætera membra, sed tantum indicia passionis ejus et humilitatis significant, qui se humiliavit usque ad mortem. Ad pedes ergo angeli Joannes cadit, dum sancta Ecclesia vestigia passionis ipsius imitatur, juxta illud Petri : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*Petr.* II), et hoc mortificando se cum vitiis et concupiscentiis. Ad pedes ejus cadit, quia dum considerat Redemptorem suum mortuum, mox mundo moriens, ad imitanda ejus vestigia semetipsum humiliter prosternit. Bene autem Joannes non mortuus, sed tanquam mortuus cecidisse dicitur ad pedes angeli, quia electi imitantes vestigia passionis Christi, etsi moriuntur mundo, vivunt tamen Deo. Hinc Apostolus dicit : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II) : et iterum : *Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (*Rom.* XII), et cætera. Hostia quippe immolatur, et viva est, quia sancti etsi se mortificant cum vitiis et concupiscentiis, non tamen penitus a corpore recedunt. Vel certe tanquam mortui fiunt, cum se mortificant, quia in spe futuræ resurrectionis jam vivunt, juxta illud Apostoli : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, et cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Colos.* III). *Et posuit dexteram suam super me, dicens : Noli timere.* Non semper in sacro eloquio unus sermo pro uno accipitur sensu. Legimus quippe superius dexteram significare summam beatitudinem futuræ vitæ et prosperitatem, in qua sancti jam consistunt Dei prædestinatione. Non ergo hic taliter accipienda est dextera, sicut in superiori versu : pedes non priora in se continent mysteria, sed tantum exempla imitationis Christi et passionis significant. Itaque in hoc loco per dexteram angeli debemus intelligere sanctos prædicatores. Unde per Moysen dicitur : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII) ; ac si diceretur : In sanctis prædicatoribus doctrina Spiritus sancti. Notandum autem quia non dicit Joannes quid angelus fecerit, ponens dexteram suam super illum, utrum videlicet levaverit eum a terra, an detraxerit illum ad terram ; sed ex Danielis volumine (*Dan.* X) discimus quod a terra eum levaverit, qui dicit quod angelus qui erat accinctus auro obryzo, et corpus ejus quasi chrysolithus, posuit dexteram suam super eum, et erexit eum super genua sua. Ponit itaque angelus manum super Joannem jacentem ad pedes suos tanquam mortuum, et erigit illum, quando Christus Ecclesiæ suæ, quæ se mortificat, auxilium consolationis porrigit per suos prædicatores. Quasi enim dextera Christi super fidelium corda pressuris et angustiis pressa, Paulus apostolus positus erat ut eos sublevaret, cum eis consolationem adhibebat, dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Non autem Ecclesia ita erigitur a terra, ut penitus ab omnibus angustiis submoveatur ; sed cum talia et his similia audit pro illatis passionibus, cor ad gaudia cœlestis patriæ sublevat. Tale quippe est illud Evangelii : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X) ; et alibi : *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælo* (*Luc.* X). Bene autem illic additur : Nolite timere, ac si electorum Ecclesiæ diceretur : Erige mentis auditum in passionis certamine ad futura præmia, et accepta desuper fiducia, humanum timorem audacter longe propulsa.

Ego sum primus, et novissimus, et vivus ; et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Hic manifestissime apparet, quia angelus qui beato Joanni apparuit, figuram Christi tenuit. Non enim alii quam Christo nato, passo, ac sepulto, et resuscitato hæc verba conveniunt. Ipse est primus, in quo facta sunt omnia ; ipse novissimus, per quem restaurata sunt universa : ipse est primus qui ante sæcula natus : in principio erat Verbum ; ipse novissimus, quia in fine temporum natus : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vivus fui, ait, vel ante omnia sæcula in divinitatis essentia, vel ante mortem in carne. Et mortuus, subaudis post nativitatem carnis. Et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, post resurrectionem, sicut Apostolus dicit : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Quo in loco magna consolatio intelligenda est adhibita beato Joanni, cui jacenti tanquam mortuo dicitur : Vivus fui et mortuus, et sum vivens in sæcula sæculorum. Nihil enim hac affectione congruentius quam quod sibi similem in morte Dominum audiret, qui tanquam mortuus jacebat. Ac si diceret Christus tam sibi quam omnibus fidelibus : Nolite timere pro me pati, qui estis membra, cum ego qui sum caput, pro vobis mori non dubitaverim, quia sicut ego post mortem vivo, ita et vos vivetis resuscitati a capite. Attendite ergo quia post mortem vivit vita vestra, quæ constat in capite, exemplum vobis ostendens quandoque in gloriam resurgendi, si modo vano timore non reces-

seritis de corpore. *Et habeo claves mortis et inferni.* Per claves potestas æterna et judiciaria designatur. Unde Petro dictum est : *Tibi dabo claves regni cælorum (Matth.* XVI). Neque enim pueriliter intelligere debemus claves esse in cœlo, quemadmodum sunt in ostio, sed per claves potestas intelligitur ligandi atque solvendi. Ita ergo et hic clavium nomine potestas æterna ostenditur. Unde et alibi dicitur : *Qui aperit et nemo claudit ; claudit et nemo aperit (Apoc.* III). Porro mors diabolus intelligitur, quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; infernus autem, membra illius ad pœnas inferni ventura. Habet itaque Filius Dei claves mortis et inferni, quia sua occulta reseratione dat potestatem diabolo, vel ejus membris, ut sæviant in persecutionem sanctorum, et iterum cum vult, facit omnem conquiescere B eorum tentationem. His clavibus conclusus erat diabolus, cum dicente Domino (*Job.* II) : *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terra, vir simplex et rectus,* tentando eum appetiit, dicens : *Nunquid Job frustra timet Deum ? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus ?* et cætera usque : *Mitte manum tuam,* nisi in facie benedixerit tibi (*Job.* I, II). Reseravit ei Dominus clavem, cum potestatem tentandi dedit ei, dicens : *Ecce in manu tua est* (*Job.* II). Et ille, accepta potestate, *egressus, percussit Job ulcere pessimo (Ibid.).* Sed postea cohibitus est et sub clavi reclusus, quando ipsa tentatio profuit beato Job ad gloriam et restaurata sunt ei omnia duplicia, ipsique tentatori eadem tentatio crevit ad cumulum damnationis suæ. His clavibus fuerat dimissus, quando Petrum timore C concutiens, compulit negare Deum : reclusus est iterum, quando Dominus respexit Petrum, et ille flevit amore, ac maculas ternæ negationis lavit amarissimis lacrymis. His etiam lacrymis fuerat laxatus, quando Mariam multis criminibus sibi devinxerat ; sed clausus est quando dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. His quoque clavibus apertis fuerat dimissus, quando tentabat Paulum, cui, ne magnitudo revelationum eum extolleret, datus est stimulus carnis. His divini judicii clavibus quotidie reseratur, cum electos tentationibus fatigare permittitur ; iterumque restringitur, cum non supra modum, sed ad mensuram ipsus tentationes exaggerare permittitur, juxta illud : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum* D *tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X).

Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. Hic Joannes typum tenet ordinis prædicatorum, cui dicitur : Scribe quæ vidisti, id est quæ intellexisti, in lege scilicet et prophetis de me, ut ea in corde teneas, et aliis profutura pandas. Vel etiam, si specialiter hæc verba referimus ad apostolos, dicitur illis ut miracula Christi quæ viderunt scribant, et aliis annuntient, et per hæc ad fidem Christi alios trahant ; quæ etiam nunc impleta sunt in me, et quæ oportet fieri post hæc in membris meis. Quod autem superius jam dictum est ei, ut scribere debeat ea quæ vidit, et nunc iterata voce ad scribendum compellitur in repetitione verbi, negligentia torporis removetur a studio prædicatorum, ut quæ sæpius admonentur, sine tarditate impleantur. Sequitur :

Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea : septem angeli sunt septem ecclesiarum et candelabra septem : septem ecclesiæ sunt. Sacramentum mysterium est, ubi aliud videtur, et aliud intelligitur, sicut (verbi gratia) in Christi corpore, ubi cum videatur panis, vera est caro. Unde ipsi sacerdotes dicunt : Sacramenta quæ sumpsimus, Domine, proficiant nobis ad salutem corporis et animæ. Ita ergo et hic sacramentum erat, quia in septem stellis vel septem candelabris, universalis Ecclesia exprimebatur. Quod enim significatur per septem stellas, id ipsum significatur et per septem candelabra, id est omnis Ecclesia, vel specialiter sancti doctores, qui nimirum recte per stellas designantur et per angelos, quia et in hujus sæculi nocte lucent per munditiam vitæ, et aliis cœlestia ministrando, angeli veritatis existunt. Quibus Paulus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento cœli.* Hoc etiam sciendum, quia hoc est unus angelus quod septem, hoc septem quod unus, quia quod uni loquitur ad omnes pertinet ; et item quod omnibus dicit ad singulos refertur. Quod autem idem angelus qui beato Joanni apparuit quædam exposuit, quædam vero signata reliquit, nimirum idcirco hoc egit, ne nobis lectio illius vilesceret, et ut haberemus etiam ubi sensum nostrum exercitare possemus. Exposuit quædam, quia si ex toto nobis clausus esset liber, tæderet nos eum legere, ad cujus mysteria intima non possemus pervenire. Iterum, si per omnia eum aperiret, facilis nobis esset ad intelligendum, et idcirco etiam minus studiose eum legeremus. Angeli autem quibus scripsit, sicut in consequentibus inveniemus, non cœlestes intelliguntur spiritus, quia absurdum est credere aliquid esse in cœlestibus spiritibus dignum reprehensione, sed potius fideles in Ecclesia consistentes, de quibus scriptum est : *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII) ; et Malachias : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus* (*Malach.* II) ; quia angelus Domini exercituum est. Sanctos Ecclesiæ doctores angelos vocari, quia ut præmissum est, stellæ et candelabra in hujus sæculi nocte lucent et aliis ministrando cœlestia, angeli veritatis existunt, quos Paulus dicit, sicut luminaria in firmamento cœli in medio nationis pravæ et perversæ, per munditiam sinceræ vitæ lucere. Sequitur :

CAPUT II.

Et *angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Ephesus interpretatur *voluntas vel consilium meum ;* quod et ipsi Ecclesiæ convenit specialiter, in qua erat Dei volun-

tas, sicut invenimus in sequentibus, eodem angelo dicente : *Scio opera tua*; et consilium correctionis in hoc quod subjungit : *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti*, et omni Ecclesiæ generaliter. Quod enim dicitur angelo, id est sacerdoti ipsius Ecclesiæ, in illo omni Ecclesiæ dicitur ; et in Ecclesia Ephesiorum, universæ Ecclesiæ fidelium. Nam et per septem stellas quas tenebat in dextera sua, omnes sancti intelliguntur, qui in prædestinatione æternæ beatitudinis jam tenentur in Dei præsentia. Ipsi quoque designantur et per septem candelabra, in quorum medio ambulat Christus, quia dona gratiæ suæ eis particulatim diffundit. Alii scilicet sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum, alii hospitalitatem, alii abstinentiam, contemplationem, et cætera his similia, *quæ operatur unus atque idem Spiritus* (*I Cor.* XII). Qui cum ubique præsens sit, dum donorum gratiam eis largitur, quasi in medio candelabrorum quotidie ambulat. Vel certe per manum possumus intelligere clementiam divinitatis ejus, quam nullus potest evadere, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. In hac dextera sunt boni et mali : boni quidem comprimuntur, ne vel ultra mensuram acceptæ virtutis per inanem gloriam transeant, vel ad vitiorum illecebras ruant ; mali autem, ne quantum volunt, nocere possint, hac virtutis dextera retinentur, sed tanquam servi sub potestate Domini, ad mensuram filios verbere cædant. Sunt ergo quidam ad quod Dominus venit per fidem quam habent, et aliquando per bonam voluntatem : sed quia iterum reprobis moribus eum ejiciunt, et ad vitia labuntur, non potest ibi manere, idcirco ambulat, et ad electos transitum facit, apud quos diu manet, et in eorum cordibus moratur. Facit quippe adventus sui præsentiam sentire reprobos : sed quia fidem illorum opera non sequuntur, nequaquam apud eos manet, sed ad electorum corda ab eis transit, in quibus per opera virtutum inhabitet. Hoc enim indicat columba ex arca dimissa, quæ super aquas diluvii volitans, cum non inveniret ubi requiesceret pes ejus, ad arcam reversa est. Hinc in Evangelio dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). In quibus verbis ostendit quia ad eos venit in quibus mansionem non invenit. Bene itaque dicitur : Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Ac si aperte diceretur : Tandiu inter electos et reprobos exhortationis verbo discurrit, quousque inveniat apud quem per opera virtutum mansionem faciat. Vel certe dum quemlibet electorum intimo discretionis examine probandum ad tempus, in tentatione deserit : atque ut alium a tentatione eripiat, pio favore prosequitur, tanquam in medio septem candelabrorum aureorum discurrere videtur.

Scio opera tua et laborem et patientiam tuam. Hoc autem non specialiter, sed generaliter omnibus electis congruit, quorum opera, labor, et patientia Deo sunt cognita. Scire autem Dei, eligere est. Unde in libris Moysi frequenter populo dicitur : *Vos scit Deus ex omnibus gentibus* ; id est : Vos elegit ; et ipsi Moysi : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII), id est : Te eligo specialiter præ cæteris. Aliquando autem scire dicitur scientes reddere ; unde est : Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum an non, id est ut scire vos faciat ; et Abrahæ : *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Gen.* XXIV), id est cognoscere te feci. Dicitur quoque scire Deus, et ipsa scientia vis divinæ subtilitatis accipitur, cui nuda et aperta sunt omnia, juxta illud : *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (*Psal.* CXXXVIII). In istis itaque locutionibus Ecclesiæ, pro locorum qualitatibus scire Dei debemus accipere. Dicitur ergo Ecclesiæ a Christo : Scio opera tua, id est approbo et eligo, vel scio opera, id est scire te facio mercedem operum tuorum et laborem. Quia homo operans laborat, idcirco post opera virtutum recte etiam subjungitur et labor, quia sancta Ecclesia sicut magna est in operibus, ita magna est et in labore. Cujus etiam patientia specialiter prædicatur, quæ cunctos tolerat labores patienter, et eos quos male agentes portat, sinceriter amat, et usque ad finem vitæ in hoc perseverat, juxta illud : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, XXIV). Opera enim et labores communia sunt bonis et malis : patientia autem vera, singulare munus collatum est in cœlestibus ; quæ si desit, multa opera, multique labores subito ad nihilum rediguntur. Patientia autem vera est quæ et mala proximorum æquanimiter tolerat, et eos quos prave agentes portat, sinceriter amat. *Et non potes sustinere malas*, subaudis libenter ; et hic jungendum est scio, sicut supra. In hac enim vita simul misti sunt boni et mali. Ideoque necesse est, quia aliter esse non potest, ut ipsi mali tolerentur a bonis. Debent enim in illis odio habere quod mali sunt, et debent eos diligere per hoc quod homines sunt. Hinc David ait : *Iniquos odio habui* (*Psal.* CXVIII). Non quia naturam iniquorum, sed opera iniquitatis odio habuerit. Nonnunquam itaque infirmi quique, malorum pravitates atque eorum consortia gressibus corporis conantur effugere, ignorantes quam impium sit propter pravorum perversitatem relinquere sanctorum unanimitatem, qui si patientiæ studerent, quia alibi locus deest, in semetipsis invenirent ubi eos evadere possent. *Et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt.* Tempore beati Joannis surrexerunt falsi apostoli, id est hæretici. Marcion, Ebion, et Cherintus in Asia volentes corrumpere rectam fidem, et prædicantes Christum minorem Patre, qui utique falsi apostoli erant, juxta illud, apostolus interpretatur missus. Sed isti non erant missi a Christo, sed a diabolo, transfigurantes se in apostolos Christi, a quo et se missos dicebant, cum non veritatis, sed falsorum dogmatum essent. De talibus Dominus per Prophetam dicit (*Jer.* XXIII) : Ipsi veniebant, cum ego non miserim eos. Dicit ergo : Tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, id est probasti fidem illorum et doctrinam. *Et invenisti eos mendaces.* Tentationes enim duæ sunt,

sed hic tentatio ad probationem pertinet, sicut et ibi: *Tentat nos diebus decem (Dan.* I). Sic et sancta Ecclesia quotidie tentat, id est probat corda singulorum, ut qui fidem rectam non tenent, aut corrigantur, aut ab Ecclesiæ societate pellantur, sicut ejecti sunt hæretici. Isti enim, id est Ebion et cæteri, antequam examinarentur, occulti erant, sed probati sunt tam a beato Joanne quam ab angelo illius Ecclesiæ. Et quia perversi doctores reperti sunt, damnati sub anathemate, ejecti sunt ab Ecclesia. Similiter Sabellius, Photinus, et cæteri latrones, qui non per ostium intra sinum Ecclesiæ intraverant, latebant quousque ab Ecclesiæ pastoribus probarentur.

Et patientiam habes tolerando patienter illorum perversitatem, qui tibi mala ingerunt. *Et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Ac si electorum omnium Ecclesiæ diceretur: Quia in omnibus patientiam habuisti, idcirco utique ea quæ tibi ab impiis sunt illata tormenta sustinuisti, quia nisi patientiam habuisses, in tot adversis defecisses. Et ideo patientiam habens non succumbis, quia non pro terrena gloria, sed propter nomen meum hæc sustines.

Sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti. Superius locutus est sanctis, nunc autem loquitur reprobis, quia (sicut supradictum est) sicut sunt misti boni et mali in præsenti vita, ita communiter eos alloquitur divinus sermo: Habeo (inquit) adversus te, id est adversum reprobos qui in te sunt, quia primam charitatem reliquisti, id est fidem Dei et dilectionem, et subdidisti te delectationibus sæcularibus et terrenis, sicut mulier deserit primum viri amorem, et jungit se adultero. Dum enim a quibusdam charitas inchoata repellitur, protinus cupiditas sæculi introducitur, fitque modo miserabili, ut nec ad memoriam illa redeat, cum hæc mentem plene possederit. *Memor esto itaque unde excideris*, id est a qua gratia separatus sis, qui prius mihi conjunctus splendore sanctitatis fulgebas. *Et age penitentiam*, pro eo quod me dereliquisti, et terrenum amorem tanquam mulier adulterum suscepisti, et prima opera fac, id est redi in amorem prioris viri; *sin autem, venio tibi*, et præsentiam iræ meæ tibi ostendam, *et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, id est movebo te de loco virtutis tuæ, et de societate fidelium. Notandum autem hoc quod non dicit: Ejiciam candelabrum de loco suo, sed tantum movebo; quia videlicet, licet quis peccet, tamen si pœnitentiam egerit perfectam, non amittet pristinam dignitatem suam aut gradum. Unde Petrus licet negaverit Christum, non perdidit apostolicum gradum. Sed dicamus hoc sub exemplo: si enim quilibet hominum grave peccatum admittit in conspectu hominum, de loco suo movetur, at attamen si cito per pœnitentiam surrexerit, non est motus in conspectu Dei, quia licet per peccatum in conspectu hominum motus esse videretur, tamen quia in Dei præscntia resurrecturus erat, non est A motus, quia nequaquam minoris sanctitatis locum habebit, si perfectam pœnitentiam egerit. Dicatur itaque impœnitenti et ad Deum redire nolenti: Movebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris, ac si diceretur: Munus sanctitatis post lapsum criminum a me nequaquam recipies, nisi cor ad pœnitentiam emollire curaveris.

Sed hoc habes, bonum subaudis, *quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Iterum in hoc loco vertit sermonem ad personam fidelium, dicens: Odisti facta Nicolaitarum, Nicolaus unus fuit ex septem diaconibus qui electi et ordinati sunt ab apostolis, sed cæteris permanentibus in ministerio suo, ille recessit ab eorum fide et doctrina. Qui cum culparetur eo quod haberet pulcherrimam mulierem, et nimium zelaretur eam, ut se excusaret ab hac suspicione, respondit: Non est mihi curæ quid faciat; qui vult, utatur illa. Unde et transiit in communem usum; quod factum cœperunt etiam multi sectatores ejus imitari, qui etiam idolothyta comedebant, et cibos suos cibis gentilium commiscebant. Dicebant quoque hunc mundum non a Deo, sed a quibusdam principibus factum, contra quod in Genesi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum et terram (Gen.* I) Et hæc facta Nicolaitarum a bonis repudiantur, et veluti sterçora detestantur. Videamus autem quos isti spiritu aliter significent. Interpretatur autem Nicolaus populus stultus; quo nomine gentiles figurantur, qui stulti sunt, quoniam veram B sapientiam, id est Christum, credere nolunt, unde dicit Apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (I Cor.* I). Nam hi communiter utuntur uxoribus, et idolothyta comedunt, atque hujus sæculi conditores homines esse affirmant, id est: Jovem, Saturnum, et reliquos, qui licet ab illis dii putentur, homines tamen fuerunt, et in hac terra, licet turpiter vitam ducentes, regnaverunt. Significat quoque Nicolaus hæreticos, qui cum de sapientia Dei Patris, quæ est Filius, vera non sentiunt, licet secundum sæculum sapientes videantur, tamen secundum Deum stulti sunt. Dum enim Arius vel sectatores Christum creaturam esse affirmant, fatui atque stulti sunt: quia dum Trinitatis substantiam confundunt, Christum esse Deum contradicunt. De C quibus Psalmista dicit: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus (Psal.* LII.) Quorum facta duo specialiter notantur, quia et idolorum cultores et fornicarii sæpe vocantur. Quia enim rectam fidem non habent, suus ipse error quem sequuntur, pro cultura idolorum ipsis imputatur. Fornicarii quoque sunt, qui immunditiæ carnis serviunt, et ob hoc maxime pereunt. Judæi quoque sunt stulti, quia in Christum qui est sapientia Patris, nolunt credere, frustraque jactant se habere Patrem, cujus Filium odiis insequuntur: quoniam qui non habet Filium, nec Patrem habet. Sed et (si diligenter inspicimus) intra sanctam Ecclesiam Nicolaitas invenimus, eos videlicet, quos in terreno amore D

thesaurizare videmus; quid enim stultius esse potest, quam eo loco tota mentis intentione pecunias recondere, quo non licet in perpetuum sustinere? Unde Dominus discipulos hortatur, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* (*Matth.* VII). In hoc autem stultorum numero computatur ille, qui cum diceret: *Destruam horrea mea, et majora faciam, quia non habeo quo fructus meos congregem* (*Luc.* XII), audivit a Domino: *Stulte, hac nocte animam tuam repetam a te; quæ autem* congregasti *cujus erunt?* (*Ibid.*) Quæ scilicet lucra hominum insipientium, solummodo terrena quærentium, pariunt in illis genimina omnium vitiorum, quia et secundum Apostolum: *Radix est omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI); quia videlicet per hanc alius ad rapinam, alius ad falsum testimonium, alius rapitur ad perjurium, atque ad cætera crimina: Quæ etiam Judam ad hoc perduxit, ut ipsum Dominum morti traderet. Nam et per hanc homo cupidus animam suam venalem facit, et idololatra efficitur, plus amando creaturam quam Creatorem. Quod enim dicit Apostolus de gulosis, *quorum Deus venter est* (*Philip.* III), potest intelligi de cupidis similiter, quorum Deus nummus est auri vel argenti. Hæc sunt facta Nicolaitarum, id est stultorum hominum, paganorum scilicet, cæterorumque infidelium et falsorum Christianorum, quæ Dominus et quæ ex parte illius sunt, odire probantur. Notandum autem, quia non naturam, sed opera hominum Dominus se odio habere dicit. Unde non dicit: Odisti Nicolaitas, quos ego odi; sed: Odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Homo enim diligendus est, opus autem illius malum odio habendum

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Cum in principio locutionis hujus uni angelo, unique Ephesi ecclesiæ scribere Dominus jusserit, hic autem non unum angelum vel unam ecclesiam ad audienda dicta spiritus invitet; patet profecto, quia quod uni dicit, omnibus dicit, et in uno angelo unaque Ephesiorum ecclesia, unitatem Ecclesiæ depingit. Verum quoties hæc admonitiuncula ponitur sive in hoc libro, sive in Evangelio, quod sequitur vel præcedit, spiritualiter est intelligendum; quia non corporis hic auris requiritur, sed cordis, quam videlicet aurem nisi quis habuerit, eloquia spiritus capere non poterit. Sic Dominus loquens turbis in parabolis, cum illic omnes qui aderant aures haberent, monet apostolos dicens: Vobis dico qui auditis, ac si dicat: Verba cœlestium sacramentorum illis aperio, quos eadem interna cordis aure percipere cognosco. Carnis itaque auris ad auditum transit, cordis vero auditu simul et intellectu viget. Intuendum quoque est, quia cum angelus in principio harum locutionum ex persona Filii Dei, imo certe per angelum Filius Dei loquatur, non dicitur hic: Qui habet aurem, audiat quid Filius Dei dicat; sed, quid Spiritus; quia videlicet verba Filii, verba sunt Spiritus sancti. Quo nomine etiam tota Trinitas intelligitur, de qua dicitur: Spiritus est Deus. Ideoque dum Christus loquitur, in eo pariter loquitur Pater et Spiritus sanctus: quia sicut sunt inseparabiles unitate, sic inseparabiliter loquuntur, et docent sanctorum unitatem. Sciendum vero, qui in hac revelatione sicut in sequentibus, aperte monstratur: aliquando loquitur Filius ex persona sua, quod illi solummodo convenit: aliquando vero ex persona Trinitatis. Ideoque singulæ locutiones considerandæ sunt, quæ scilicet referendæ sint solummodo ad humanitatem Filii Dei, quæ autem ad totam Trinitatem. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitæ, sapientia est Dei Patris, Salomone attestante, qui ait: *Lignum vitæ his qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam, beatus* (*Prov.* III). Quia utique Apostolus Christum esse testatur, dicens Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Quæ recte lignum vitæ dicitur, quia fidelibus suis vitam æternam tribuit, quos in præsenti satiat suo corpore, in futuro satiabit sua contemplatione. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Bene lignum vitæ vocatur, quia in te præsenti vita electos suos ab æstu vitiorum umbra protectionis defendit, et in futura beatitudine cibum æternæ contemplationis desiderantibus præbet. Dicatur itaque: Vincenti incentiva carnis suæ, tentationes dæmonum, adversitates pravorum hominum, dabo edere de ligno vitæ, id est, meipsum dabo illi in remunerationem, cum eum perduxero ad meam contemplationem. Paradisus autem vel præsens intelligitur Ecclesia, in qua quotidie comedunt fideles ejus corpus et sanguinem bibunt: vel vita æterna, quæ ipse Christus est, sicut ipse Dominus dicit: *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Quod autem Deum se habere dicit, in cujus paradiso hoc esse lignum asserit, secundum humanitatem loquitur, quam assumpsit pro nobis. Quæ ergo vincunt oblectamenta peccati in hoc paradiso Ecclesiæ, illa ad accipienda corporis et sanguinis sacramenta digne pertingunt, et ad Dei contemplationem pervenient, ipsumque lignum vitæ in remunerationem accipient, quia et ipse est lignum vitæ quod dat, et ipse de ligno vitæ vincentibus dat, et ipse fructus ligni est quod dat.

Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Smyrna interpretatur canticum eorum, canticum ad lætitiam pertinet, quod aperte congruit fidelibus, quibus in persona istius ecclesiæ loquitur Dominus. Non enim hæc verba uni tantum dicuntur, sed magis unitati sanctorum.

Hæc dicit primus et novissimus. Primus, scilicet ante quem nullus: novissimus, per quem restaurata sunt omnia. *Qui fuit mortuus et vivit.* Quia etsi mortuus fuit *ex infirmitate*, ut Apostolus dicit (*II Cor.* XIII), *vivit ex virtute Dei.* Hoc enim est primus et novissimus, quia qui semper vivit in sua substantia, primus existendo, mortuus in humanitate nostra in fine temporum, ut homo nascendo.

tribulationem tuam. Scio, id est approbo et A
.icet vero hic tribulatio singulariter ponatur,
omnifaria et multiplex intelligitur. Unde
sta dicit : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.*
Sancta Ecclesia, in cujus persona hic loqui-
mo divinus Ecclesiæ Smyrnæ, multas tribula-
sustinet exterius, cum ab adversariis probra,
, carceres, cæteraque hujusmodi tormenta
, aut cum etiam a dæmonibus interius invi-
r cruciatur : cum etiam a seipsa, jejuniis,
ibus et vigiliis, lassata, pene succumbit. Af-
quoque et tribulatur a seipsa, cum caro
spiritui. Has omnes tribulationes scit Domi-
approbat, de quibus omnibus in futuro libe-
os, quando auferet omnem lacrymam ab ocu-
m. *Et paupertatem tuam*, subauditur scio B
obo.

ives es in Deum, juxta illud : *Tanquam nihil*
s, *et omnia possidentes* (*II Cor.* VI). Mirum
est quomodo electi, pauperes et divites sint;
uobus modis intelligi potest : fuerunt sancti
livites in hoc sæculo, sicut Abraham, David
nulti; sed quasi nihil habentes erant, quia ter-
livitias contemnentes, se peregrinos cognosce-
œlestes divitias jam mente tenentes. Expleta
sua suorumque necessitate ex his quæ habe-
eliqua in usus pauperum consumebant. Vel
auperes re, sicut sunt apostoli sancti; divites
in fide, per spem jam cœlum possidentes, qui-
minus dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam*
n est regnum cœlorum (*Matth.* III). Dicatur C
: Scio paupertatem tuam, sed dives es, ac
retur : Unde te per humilitatem spiritus pau-
existimas, inde per omnia dives comprobaris.
nim idemque electus et pauper et dives est :
scilicet adhuc peregrinus, dives autem quan-
civis futurus : pauper terrena commoratione,
eata prædestinatione. *Et blasphemaris ab his*
licunt esse Judæos, et non sunt, sed sunt syna-
atanæ. Hoc non solummodo ad unam pertinet
eorum ecclesiam, sed generaliter ad omnem
am, quæ est in universo mundo, quæ et in
s locis et in toto orbe blasphematur ab im-
ui se dicunt esse Judæos, et non sunt, quia
s interpretatur confitens, sed sunt congregatio D
. Qui enim vere confitetur Christum, ipse
læus. De talibus Dominus dicit : *Qui me con-*
fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum
Patre meo (*Marc.* VIII ; *Luc.* XII). Judæorum
ominis expressio mediatoris nostri est confes-
: per hoc quicunque Christianitatis nomine
tur, spiritualiter Judæi appellantur. Quod
utique Judæi tunc generaliter perdiderunt,
Christum negaverunt, dicentes : *Hunc ne-*
unde sit (*Joan.* IX). Quique modo aperte,
occulte, semper autem corde Ecclesiam Dei
emant. Ad quorum societatem pertinent etiam
ristiani, qui Christianum nomen quidem ha-
ed opera Christianitatis non habent. De qui-
bus per Paulum dicitur : *Confitentur se nosse Deum,*
factis autem negant (*Tit.* I). Blasphematur itaque Ec-
clesia a Judæis falsis, quia electorum verba a repro-
bis dijudicantur, quia semper eloquia et facta justo-
rum contraria sunt cogitationibus reproborum.
Qui licet intra sinum Ecclesiæ consistant, vita ta-
men et moribus in multas Satanæ synagogas seipsos
dividunt : quia quot vitiis serviunt, tot de se partes
reddunt. Tales itaque falso Judæorum sibi nomen
usurpant, quique vehementius zeli flammis succen-
si, gravius Ecclesiam blasphemare consueverunt
quam hi qui nunquam ad ejus consortia injuriarum
accesserunt. Sed usquequo zizania novissime sepa-
rentur a tritico, nullus horum desecrendus est, sed
omnes admonendi sunt, omnes tolerandi, in exem-
plum Redemptoris nostri, qui sacrilegum impium-
que proditorem usque ad passionem mortis Judam
toleravit. Ad quorum mala perferenda exhortatur
Ecclesiam, et quasi armis potentibus adjungit, cum
subdit :

Nihil horum timeas quæ passurus es. Id est quid-
quid a Judæis falsis, quidquid a falsis fratribus vel
paganis injuriarum læsionumque pertuleris, pro eo
quod transeunt ne formides. Hoc est quod in Evan-
gelio dicit fidelibus : *Nolite timere eos qui occidunt*
corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X).
Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem
ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem.
Hinc liquido jam claret diversas in uno angelo per-
sonas alloqui. Præmisit enim divina vox quasi ad
unum loquens : Nihil horum timeas quæ passurus es :
nunc vero adjungit tanquam ad multos : Ecce missurus
est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, et cætera.
Carceris autem nomine omnis tribulatio intelligitur
passionum, quam sancti sunt perpessi a diabolo, qui
per membra sua diverso modo eos cruciat, reclu-
dens in carceribus, et diversis ac variis tribulationi-
bus afficiens. Quod autem non ait : Missurus est
diabolus vos in carcerem, sed ex vobis, non ad
omne corpus angeli pertinet, quod constat ex san-
ctis et reprobis, sed illos vult intelligi, qui ex illatis
tribulationibus victores exsistunt : qui ideo tribu-
lantur ut probentur, ideo probantur ut coronentur.
Dicatur itaque : Ecce, id est in præsenti tempore,
missurus est diabolus per membra sua, sicut fuit
Nero, Domitianus et cæteri : ex vobis in carcerem,
id est in diversas afflictiones : ut tentemini, ut post
tentationem victores effecti coronemini, juxta illud :
Beatus vir qui suffert tentationem (*Jac.* I) : et habe-
bitis tribulationem diebus decem. Per decem dies
quibus Ecclesia tribulatur, omnes præsens tempus
intelligitur, in quo Decalogi mandata sunt necessa-
ria. Sicuti enim (verbi gratia) mittens quilibet im-
perator milites contra hostes, omni genere armo-
rum munit, sic Deus omnipotens mittens electos
suos ad bellum in hunc mundum, contra dæmones
vel perversos homines Decalogi mandatis eos in-
struit, quibus muniti eis resistere possint. Et quan-
diu Decalogum habent, necessario in procinctu sunt

positi, recte dicitur : Habebitis tribulationem diebus decem. Acsi dicatur : Nolite quærere in bello vitæ præsentis requiem, quandiu contra tentamenta inimici sive aperta, sive occulta, decem præceptis tanquam milites armamini. Neque enim gaudii locus est, ubi vita hominis tota tentatio est. Quidam dicunt (ut beatus Beda) decem tentationes ad decem persecutiones gentilium referri, et putant a Nerone Cæsare usque ad Diocletianum. Quod quomodo sit, ipsi viderint qui hoc dicunt. Potest autem et hic denarius numerus aliter intelligi. Cunctis autem legentibus liquet tribus tentationibus principaliter primum hominem a serpente in paradiso tentatum ac superatum : quibus etiam tribus modis post secundo homini tentato succubuit, id est avaritia, vana gloria, et cupiditate ; contra quas, scilicet principales tentationes, quotidie Ecclesia dimicat. Septenarius autem numerus ad præsens tempus refertur, quod septem diebus volvitur. Quia ergo in omni hujus vitæ termino trina ista tentatio non potest deesse, in quibus cætera vitia potissimum obtinent principatum, et hæc ipsa mortalis vita per septem dierum curricula evolvitur, recte decem dierum numero principalis Ecclesiæ tribulatio exprimitur. Hac enim trina tentatione septem diebus applicita, denarius numerus adimpletur ; dicatur itaque de electis : *Habebitis tribulationem diebus decem*, acsi diceret : Usquequo præsens vita finiatur, quæ per septem dies volvitur, contra diversas tentationes, quæ in tribus suum maxime obtinent principatum, certamen habebitis. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Hic jam ostendit aperte ad quos decem dies pertingunt, id est ad omne tempus quandiu fidem servare electi debent. Hoc autem et generaliter omni Ecclesiæ, et specialiter dicitur unicuique fideli animæ. Hinc est quod in Evangelio Dominus dicit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Esto itaque fidelis usque ad mortem, et inter multas pressuras, inter innumeras clades, semper victoriæ triumphum attende. Quia enim hoc dicturus erat, præmisit superius : *Hæc dicit, qui fuit mortuus, et vivit.* Acsi diceretur : Noli fidem regis amittere, quia si mecum toto belli tempore dimicaveris, post mortem mecum coronaberis ; sed et regnandi sortem accipies. Nunc enim est tempus decertandi, tunc autem coronandi. Unde et in sequentibus dicitur (*Apoc.* III) : *Qui vicerit*, faciam eum *sedere in throno meo, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus.*

Qui habet aurem cordis et intelligentiam mentis, *audiat* et intelligat ad se pertinere quod dictum est, et *quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit* tentamenta diabolica, incentiva carnis suæ, *non lædetur a morte secunda*, id est a damnatione perpetua. In sacra enim Scriptura tres mortes sæpe ponuntur : una scilicet peccati, altera carnis, tertia vero supplicium æternæ damnationis. Quæ mors hic secunda, non tertia nominatur, quia videlicet de his tantummodo agitur sermo, quæ nocent, de morte scilicet peccati et morte æterni supplicii. Ad quarum comparationem ista quæ communis est, mors non est dicenda. Unde et Apostolus carnaliter mortuos dormientes vocat, dicens : *Nolumus vos ignorare de dormientibus* (*I Thes.* IV). Mors itaque prima, quæ lædit, peccatum est. Huic itaque quæ lædere possit, nulla alia nisi æterna damnatio succedit. Ideoque prætermissa media quæ non lædit, alia debuit vocari secunda, quæ post peccatum lædit. Dicatur itaque : Qui vicerit, non lædetur a morte secunda, id est qui mortem peccati in hoc tempore animas necantem superaverit, ad læsionem ejus quæ post hanc et corpora et animas sine fine cruciat, non perveniet. Quæ mors semper occidit, et nunquam ad integrum exstinguit In læsionis autem verbo, miserlarum debet intelligi corruptio. Lædi enim non potest, nisi quod corruptioni subjacet.

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Pergamus interpretatur divisio cornuum. Quod aperte Ecclesiæ congruit, in qua sunt simul boni et mali, et quæ judicando facit distantiam inter bonos et malos, ut confringantur cornua peccatorum, et exaltentur cornua justi. *Hæc dicit qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam.* Rhomphæa est gladius utrinque acutus. Gladii autem nomine, Scriptura sacra intelligitur, dicente Apostolo : *Et gladium Spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). Qui gladius Veteris et Novi Testamenti bene utraque parte acutus dicitur, quia videlicet hinc peccata operis, illinc resecat peccata cogitationis. Vetus quippe Testamentum dicit : *Si quis adulterium* fecerit, *morte moriatur* (*Levit.* XX : Novum vero : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V), et multa his similia. Vel certe utraque parte ideo acutus dicitur, quia sicut gladius biceps carnem dividit, et membra a membris separat, ita gladius verbi Dei separat bonos a malis. Unde Dominus dicit : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X), et cætera. Sive etiam idcirco dicitur utraque parte acutus, quia et simplices per historiam, et perfectos instruit per allegoriam.

Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. Et hoc generaliter universali Ecclesiæ dicitur, quæ mixta cum reprobis, ubique per orbem Satanæ tentationibus sese exercere. Sicut enim sedes Dei sunt electi omnes, ita sunt sedes diaboli cuncti reprobi, in quorum medio habitat Ecclesia, juxta quod Apostolus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Phil.* I) : et in Canticis canticorum dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II), et inde haus electorum amplius crescit, et ubique diffunditur, quoniam in medio malorum innocentiæ servant opera. Hinc est quod Loth sacra Scriptura teste laudatur (*Gen.* XIX), quod esset visu et auditu justus, habitans apud eos qui quotidie affligebant ejus animam injustis operibus. Hinc etiam Ecclesia dicit electorum : *Circumdederunt me sicut apes* (*Psal.* CXVII). Apis quippe in ore mel portat, in cauda ve-

nenum occultat. Sic nimirum hi qui fraudes moliun- A tur, dulcia præponunt, ut amaris inficiant. *Et tenes nomen meum*, id est nomen Christianitatis integra fide colis, etiam in tempore tribulationis. *Et non negasti fidem meam*, afflictionibus perfidorum pressa. *Et in diebus illis Antiphas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos.* Cujus Latinitatis sit hæc locutio, non facile patet, nisi forte per subauditiones intelligatur. Si enim dixisset : Non negasti fidem meam in diebus Antiphæ testis mei, qui occisus est apud vos, planus esset sensus, et facile intelligeretur; at cum dicitur : Non negasti fidem meam, et in diebus Antiphas testis meus, et cætera, obscura est sententia. Ideoque necessariæ sunt subauditiones, ut ita hanc sententiam pronuntiemus : Et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam ; et in diebus illis, in quibus B exstitit Antiphas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, non negasti fidem meam. Tale est et illud in Psalmo : *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum in iniquitatem* (*Ps.* LXXIV). Si subjungeret statim, *quoniam Deus judex est*, aperta sententia videretur : sed cum in medio interponit : *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus :* et deinde subjungit : *Quoniam Deus judex est*, obscura sententia redditur. Aut ergo vitio scriptorum ista talis facta est locutio, aut certe more Scripturarum, ut dictum est, necessarius habet quasdam orationum particulas. Sed nunc sensum videamus : fuit enim quidam martyr, qui occisus est in ecclesia Pergami, per quem utique omnes martyres intelliguntur, quicunque in hoc mundo, C sive aperto, sive occulto martyrio patiuntur : quia sicut in una Ecclesia omnes, ita in uno martyres omnes Christi martyres reperiuntur præconio laudis attolli. Quod autem apud sanctos suum testem interfectum esse commemorat, sic intelligendum est, non quod ab illis, sed quod inter illos fuerit interemptus, ab his videlicet in quibus Satanas habitat, id est a reprobis, qui sedes sunt Satanæ. In quorum persona statim subjungit.

Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari. Hæc enim verba non ad eum pertinent cui superius dictum est : Tenes nomen meum, et cætera, sed ad eos qui simul misti erant cum reprobis, quos ange- D lus Pergami, id est episcopus ipsius civitatis, prava docere permittebat. Historia patet (*Num.* XXII), qualiter scilicet Balaam a Balac ad maledicendum filiis Israel fuerat evocatus, quem maledicere noluit, cui se etiam similem fieri in morte optavit. Sed postea muneribus victus, in ejusdem populi mortem consilium dedit. Prævidit enim animos filiorum Israel ad fornicationem promptos ; ideoque consilium dedit Balac ut pulcherrimas mulieres coram eis poneret, quarum speciebus illecti, ad illicitos amplexus ruerent, illarumque blanditiis illiniti, de sacrificiis Phegor manducarent, per quod videlicet factum derelicti a Deo, caderent coram illis. Completumque est hoc consilium de filiis Israel, et facile decepti sunt. Egressa itaque ira a Domino, percussit ex illis viginti tria millia, donec Phinees, zelo Dei actus, vindictam exercuit in adulteros. Hæc tunc facta sunt docente impio divino et mago, et hoc specialiter in Pergami ecclesia, generaliter autem fit in toto mundo. Balaam itaque interpretatur populus vanus, Balac elidens, Israel vir videns Deum. Balaam itaque significat hæreticos, qui pondus virtutum et fidei in se non habent, ideoque vani sunt. Balac autem, qui elidens dicitur, hujus sæculi significat principes. Quibus nimirum bene congruit hoc quod Balac elidens dicitur, quia procul dubio dum hujus terræ principes semper aliis superiores existere quærunt, si quem ad dignitatis suæ culmen ascendere nitentem conspiciunt, pro viribus ad terram elidunt, videlicet ad humilia deponunt. Qui plerumque suadentibus hæreticis, contra Israelitas (hoc est viros videntes Deum) pugnant, ut de idolothytis edant, et fornicentur a Deo, illorum prava dogmata sequendo. Dum enim suasoria quædam et dulcia præponunt in suis falsis dogmatibus, quasi per pulchras mulieres eos seducere cupiunt, ut comedant idolothyta, id est ut acquantur idolorum doctrinam plenam omni spurcitia : ibique fornicentur, id est, ut, relicta veritatis doctrina, ardentissimo libidinis incendio, mendaciis perversorum doctorum inhæreant. Aliter : Balaam, qui ut diximus) interpretatur populus vanus, et significat dæmones per inania discurrentes ; Balac autem, qui elidens dicitur, carnem nostram, quæ plerumque animam elidit ad perversa trahendo opera, quæ debuerat Deum videre tota mente. Et hoc per mulieres, id est per hujus sæculi delectationes et voluptates, quarum amore plerumque anima dæmonum insidiis illecta, ad consensum utendi illicitis trahitur. Israel enim significat animam Deum contemplantem. Docente ergo Balaam, misit Balac voluptatum amatrices coram filiis Israel, quarum suasionibus edant de immolatis, et fornicentur cum eis, quia videlicet spirituum immundorum suasionibus caro delectata, ad aspectum mentis ipsarum cupiditatum illecebras deducit, quarum amore (ut dictum est) ad consensum rapitur.

Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. De factis Nicolaitarum, vel quos significaverint suis actionibus, satis supra dictum est. Ita habes, inquit, et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, id est sicut sunt in te qui sequuntur doctrinam Balaam, ita sunt qui sequuntur doctrinam Nicolaitarum. Quod utique illis dicitur, qui hujus erant imitatores, qui et ad pœnitentiam hortantur, cum dicitur :

Similiter pœnitentiam age a factis scilicet Nicolaitarum, sicut a factis et doctrina Balaam. *Sin autem venio tibi, et pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Hortatus jam fuerat in superioribus angelum ut pœnitentiam ageret eo quod permitteret quosdam tenere doctrinam Balaam vel Nicolaitarum. Unde cum dicit : Sin autem venio tibi ; et deinde subjungit : Pugnabo

cum illis, ita accipiendum est, tanquam diceret. pugnabo tecum, quia videlicet hæc verba et ad eos pertinent, qui prædictam doctrinam sequebantur, et ad eos etiam qui eos non corrigebant. Pari enim reatu astringitur et ille qui prava docet, et ille qui prava doceri tacens permittit. Talibus itaque dicit Dominus: Venio tibi, id est adventum iræ meæ et vindictam te sentire faciam, et pugnabo cum illis in gladio oris mei, id est acutis eloquiorum meorum sententiis illos damnabo. Gladius enim oris Dei sermonem illius valida præcepta significat, Paulo attestante, qui dicit: *Et gladium spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI).

Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui utique quod uni illarum dicit, omnes Ecclesias cupit audire.

Vincenti desideria propria et dæmonum tentamenta, *dabo* ei *manna absconditum*, id est meipsum tribuam illi qui sum panis vivus de cœlo descendens, quique ideo factus sum homo, ut panem angelorum manducaret homo. Hunc significabat panem olim illud manna, quod filiis Israel datum est in eremo. Quod qui spiritualiter manducaverunt, sicut Moyses, Aaron, et Josue, et si mortui sunt corpore, immortales fuerunt mente. Qui autem nihil aliud præter quod videbant ibi intelligebant, mortui sunt morte æterna. De quibus Dominus dicit Judæis: *Patres vestri manducaverunt manna, et mortui sunt* (*Joan.* VI). Sicut et nunc qui digne corpus et sanguinem Domini accipiunt, vitam ibi sumunt: qui hoc indigne manducant, judicium sibi manducant et bibunt. Istud autem manna quod hic promittitur fidelibus, modo quidem in sacramento accipiunt per fidem, quandoque hoc in veritate per spiritualem sumetur: et quod nunc manet absconditum, tunc erit manifestum. Qui itaque vacerit, dabo illi manna absconditum, id est, meam post finitos hujus vitæ labores contemplationem illi concedam. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Manna etenim interpretatur: Quid est hoc? Nos autem nequaquam dicimus: Quid est hoc, nisi de re quam ante non vidimus. Istud enim manna nunc manet absconditum, juxta quod Apostolus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II).

Et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Calculus lapis est pretiosus, qui et carbunculus appellatur, eo quod in tenebris constitutus, sicut carbo succensus fulgere perhibetur. Per hunc autem lapidem ipse intelligitur Christus, qui inter hujus sæculi tenebras refulsit, quando Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Unde et bene candidus dicitur, quia sine ulla peccati offuscatione mundus apparuit inter homines, et divinitatis suæ luce tenebras nostræ mortalitatis illustravit. Dicit itaque: Dabo vincenti calculum aureum, id est dabo ei meipsum, qui de mundo atque auctore mortis triumphat, ut sit scilicet meus frater et particeps regni in gloria. Unde Joannes dicit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I), ut sicut est Filius Dei ipse per naturam, ita sint isti per gratiam. In qua videlicet adoptionis gratia, nomen etiam novum datur, id est nomen Christianum prius inauditum. A Christo enim fideles Christiani vocantur, sicut ab Israel Israelitæ, et a Juda Judæi. De hoc nomine per prophetam Isaiam Ecclesiæ suæ ipse Dominus ante dixit: *Vocabitur tibi novum nomen, quod os Domini nominavit* (*Isa.* LXII). In calculo itaque habet hoc nomen, quia ab ipso cepit exordium, a quo omnes Christiani nominantur. Et hoc nomen solis datur victoribus, id est omnibus ad vitam æternam prædestinatis, qui hujus nominis dignitatem operibus exornant. Unde subjungitur: Quod nemo scit, subauditur digne, nisi qui accipit. Scire enim positum est hic pro eo quod est, nisi virtutem hujus nominis expertus fuerit. Tali modo dicuntur mulieres nondum cognovisse viros, id est quæ nondum fuerunt expertæ viri thorum. Nemo ergo scit hoc nomen, nisi qui accipit, id est nemo virtutem hujus nominis et dignitatem moribus et vita defendit, nisi qui ante fuerit prædestinatus a Deo, ut filius Dei non solum nominetur, sed etiam sit. Nosse etenim Christi nomen, ad custodiam mandatorum pertinet. Quo contra Joannes de quolibet reprobo dicit: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et veritas in eo non est* (*I Joan.* II). Nemo itaque scit hoc nomen, nisi qui accipit, id est qui ad hoc prædestinatus est a Deo, ut jure Christianus vocetur et sit. Pot est et per hunc lapidem ignitum charitas intelligi, quæ candorem habet, per hoc quod vestis est operiens nigredinem peccatorum: per ignem autem, amor quo diligitur Deus et homo. Datur ergo vincentibus calculus candidus, ut diligant Deum et proximum. Datur in calculo nomen, ut ipsam dilectionem adimpleant in mandato novo. Scriptum quippe est: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII). Cujus nominis virtutem solus scit qui accipit, id est qui in novo mandato illud custodit, quod discipulis est collatum.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Thyatira, sicut supra dictum est, illuminata dicitur, significans universam Ecclesiam, quæ illuminata est per Christum, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ideoque quod uni specialiter Ecclesiæ dicere sermo divinus videtur, generaliter ad omnem Ecclesiam pertinet.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flammam ignis. Hic jam aperte ostenditur, cujus typum angelus gerebat, qui hæc ostendebat beato Joanni, cum sua verba. Filii Dei verba, profitetur, dicens: Hæc, dicit Filius Dei, cujus oculi velut flamma ignis exsistentes, sunt dona Spiritus sancti, quæ totum corpus Ecclesiæ illuminant. Vel certe divina eloquia, de quibus scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal.* CXVIII); et iterum: *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Ibid.*), Vel etiam, oculi Domini in-

telliguntur doctores, qui nos sua doctrina et exemplo illuminant, et lumen scientiæ præbent.

Et pedes ejus similes aurichalco. Pedes Domini sunt vel sancti prædicatores per quos mundum circuit, tribulationis igne probati, vel certe ultima ac novissima illius membra, extrema persecutione cadentia.

Novi opera tua, id est tua bene gesta approbo, ut pote qui ut eadem ageres gratuite contuli. In hoc autem loco generalis Ecclesiæ persona introducitur.

Et charitatem tuam et fidem, subaudis novi eo modo quo et opera tua. Charitatem, scilicet qua Deum ex toto corde et proximum diligis sicut teipsum; et fidem, qua credis Deum trinum in personis, unum in majestate. Est autem hic præposterus ordo : dum prius ponuntur opera, postea charitas, dehinc fides, cum prius sit utique credere, deinde quod quisque credit amare, inde etiam quod credulitas et amor docuerit, operari. Subjungitur autem ad hæc in laudibus Ecclesiæ et dicitur : *Et ministerium et patientiam tuam.* Ministerium illud intelligitur quo ministrabant Ecclesiæ illis qui erant in Hierusalem nihil habentibus de suis facultatibus, misericordiæ opera illis exhibentes. Apostolo monente (*Gal.* II), ut essent memores fratrum. Patientia vero in hoc intelligitur, quia omnia hujus sæculi adversa libenter pro Christo sustinebant, ut perseverantes usque in finem salvi essent. *Et opera tua novissima plura prioribus.* Quantum ad Ecclesiæ faciem pertinet, bene opera illius plura prioribus commemorantur, quia videlicet Ecclesia prius facilioribus et levioribus præceptis solidata est. Unde et apostoli (*Act.* XV) tantum quatuor capitula illis qui credebant imposuerunt, videlicet ut abstinerent se ab immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Deinde vero cum multitudo Ecclesiæ crevisset, ad hoc usque perventum est ut omnia relinquerent pro Christo, et ad culmen perfectionis tenderent, habita pauperibus tribuerent, fratres, sorores, patres et matres uxoresque relinquerent. Abhinc etiam exordium sumpsit religio monachorum. Vel certe potest hoc referri ad diem judicii, quando immanissima crebrescente temporibus Antichristi persecutione, amplior in ea virtus enitebit operationis, dum Judæi et gentiles pariter in fide Christi fundati, duplo quam nunc laborabunt.

Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, et docet fornicari, et manducare de idolothytis. Nulla ratio permittit ut hæc verba ad eos pertineant quos superius tanta laude fuerat prosecutus, sed a generali corpore electorum vertit sermonem ad partem reproborum, quæ in doctoribus intelligitur, qui sua negligentia fornicationem et idololatriam in Ecclesia esse sinunt sub nomine Christiano. Sed jam nunc videamus sensum : fuit Jezabel uxor Achab regis Israel, idololatra simul et fornicaria, quæ etiam Dei servos insecuta est. Verum hæc mulier non vixit usque ad adventum Domini : nam et in ungulis equorum legimus illam conculcatam. Sed quia erant in eadem Ecclesia qui opera illius mala imitabantur, idcirco in eis mater ipsa fornicationum Jezabel notatur. Sicut enim omnes electi unam vitam ducentes, unum corpus Christi faciunt, sic omnes reprobi unum corpus diaboli de se reddunt, sicque fit, ut præcedentia membra sequentibus, et sequentia præcedentibus inveniantur conjuncta. Unde scriptum est : *Væ illis qui in via Cain abierunt* (*Jud.* I); et Joannes dicit : *Nunc antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II). Potest etiam fieri ut tunc temporis sicut et quidam affirmant, et alia translatio demonstrat. Fuit hæc mulier in eadem Ecclesia, uxor scilicet ipsius angeli, quæ docebat Dei servos edere de idolothytis et fornicari. Ex cujus specie speciali ad generalem totius orbis Jezabel sermo figurate transfertur. Fornicatio vero istius Jezabelis quadriformis intelligitur : primum videlicet in animo, de qua scriptum est : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V); deinde etiam cum animi voluntas ad effectum perducitur; hinc Paulus dicit : *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI); tertium genus fornicationis est, quando simulacra pro Deo colimus. De qua Dominus per Prophetam contra Jerusalem loquitur, dicens : *Mœchata est cum ligno et lapide* (*Jerem.* III). Quartum vero genus est, quando terrenæ divitiæ immoderate concupiscuntur, et creatura plus quam Creator diligitur De qua etiam Paulus dicit (*Ephes.* V) : Et avaritia quæ *est idolorum servitus.* Hujus fornicationis tria genera nunc in Ecclesia hujus mundi vigent : id est in appetitu luxuriæ corporalis, et in effectu ipsius obscœnæ commixtionis, atque in avaritia terrenæ felicitatis. Sed nec quartum genus ad plenum exstinctum est, quod constat in simulacrorum culturis. Notandum vero quod Jezabel prophetam se dicit, et idcirco servos Dei seducit. Hoc quippe factum multi imitantur qui divitiis deservientes, ne soli sint, hortantur alios ut cupitis fruantur delectationibus, dicentes quia si hoc fieri Deus voluisset, masculum et feminam non fecisset, nec corporis membra tali usui apta formasset. Stultum est ergo abstinere ab hujusmodi delectatione, qua fruuntur non solum aliæ pecudes aut volucres, sed etiam muscæ. Dumque hoc dicunt, fit aliquando ut carnem delectari compellant, et ad consensum libidinis pertrahant, sicque perveniant ad opus malum, intantum ut in processu temporis nullam reverentiam habentes pudoris, quod turpiter gesserunt, coram aliis laudibus efferunt. Unde bene Jezabel sanguinis fluxus, aut fluens, vel sterquilinium dicitur. Mulieres quippe per singulos menses (sicut dicit beatus Hieronymus in libris prophetarum) fluxum sanguinis sustinent, quia cum menstruum tempus advenerit, superabundans sanguis egeritur. Sanguinis autem nomine peccata designantur; unde

David dicit : *Libera me de sanguinibus, Deus* (*Psalm.* L), id est a peccato adulterii et homicidii. Dicitur itaque Jezabel sanguinis fluxus, quia videlicet reprobi malam voluntatem, quam prius concipiunt, mox et tempus venerit perpetrandæ iniquitatis, ad effectum perducunt operationis. Dumque opus desideratæ voluptatis ad effectum perducitur, fit mens vehementius anxia quam fuerat, et auget in corde flammas libidinis, totamque se in voluptate corporis dejicit, sicque, ut ita dixerim, totus humor pariter liquescit. Et hic est quod Jezabel fluens dicitur. Quia vero opus malum in consuetudinem peccandi vertunt, unde et absque ulla reverentia opinionem de se emittunt. Bene eadem Jezabel sterquilinium dicitur, quia videlicet ex ipsis perpetratæ luxuriæ inquinamentis longe lateque malæ opinionis fœtorem de se reddunt, unde per Prophetam dicitur : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I). Jumenta ergo in stercore putrescere est, ut dicit beatus Gregorius, luxuriosum quemlibet in cœno libidinis vitam finire. Talibus quippe congruit illud Psalmistæ : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Tertio quoque fornicationis genere, multi hæc sectantes solent fideles decipere, dum eos invitant pro quibusdam ægritudinibus, pro quibusdam rerum eventibus ad arbores, ad fontes, cæteraque hujusmodi, dicentes quia hoc agendo tale et tale evasi periculum, talemque consecutus sum prosperitatem, dumque hæc agunt, quasi ad spiritualem fornicationem Dei servos invitant. Sed et in alia fornicationis specie reprobi multos decipiunt, dum perversis suasionibus quosdam ab amore Dei retrahunt, et desideriis terrenis servire compellunt, ideoque væ illis qui toties fornicantur, quoties plus terrena quam cœlestia appetunt, plus creaturam quam Creatorem diligunt.

Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua. De talibus Job dicit : *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam* (*Job* XXIV). Quisquis enim delinquit, et vivit. Ideo hunc divina pietas iniqua agentem tolerat, ut ab iniquitate resipiscat. Unde et talis quo amplius exspectatur, et non vult pœnitere, eo arctius reatus sui vinculis astringetur, et justo judicio punietur. Unde est : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit* (*Isa.* LXV). Sed quærendum nobis est, cum in præcedenti versiculo negligenti prædicatori atque ab exhortatione torpenti dictum sit : Habeo adversus te quod permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, cur non subjungitur, dedi tibi et illi, aut certe sub uno, dedi vobis ut pœnitentiam ageretis ? Ad quod dicendum est quia in angelo omne corpus Ecclesiæ comprehenditur, et quando ipse increpatur, ad eos increpatio pertinet, qui rei sunt. Ideoque a specie prædicatorum qui superius fuerant reprehensi, redit sermo ad generalitatem populi, et in eo partem speciei reprobam, quasi ex occulto impœnitentem redarguit, quam supra aperte increpaverat. Hoc autem ideirco ne pars speciei, quæ prius in sanctis prædicatoribus constat, illi quæ in reprobis est, videretur conjuncta. In perversis itaque doctoribus unus idemque angelus, et pro reatu taciturnitatis aperte corripitur in specie, et pro mentis obduratione occulte redarguitur in genere. In sanctis vero nec aperte corripitur in specie, nec increpatur occulte in genere. In eo enim quod divina vox ait : Habeo adversus te quod permittis Jezabel quæ se dicit prophetas docere, et seducit servos meos, torpentium ab exhortatione prædicatorum innotescit silentium. In eo vero quod subjungit : *et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua*, a specie ad genus transiens, et speciem et genus simul sub uno comprehendit.

Ecce pono *eam in lecto, et qui mœchantur cum eo in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, et filios ejus interficiam in mortem.* Quod est Jezabel, hoc sunt qui mœchantur cum ea, hoc etiam filii ejus ex fornicatione procreati, id est unum corpus Satanæ. Sed quia reprobi reprobis succedunt, dividitur genus in species, ut ostendatur quibus successibus totum corpus diaboli proficiat, quibus incrementis coalescat. Perfectum autem quo Jezabel cum suis omnibus ponitur, intelligitur audacia et securitas peccandi. Ponitur autem in lecto ista universalis meretrix, non ut quiescat, sed ut febre languescat, ut phrenesim sustineat, quatenus ea jam dicat, vel agat, quæ alii audire erubescant. Sæpe enim justo Dei judicio propter peccata præterita homines ad majora ruunt facinora, dumque sine timore audacter peccant, quasi in lecto, id est, in peccandi securitate quiescunt. In qua securitate Deus eos ponere dicitur, quia justo judicio permittitur ut ibi ponantur ; tale est et illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Exod.* X), id est non emollivit. Sic et hic dicitur : Pono eam in lecto, id est non retraham illam, sed permittam, propter transacta peccata, libere et sine timore peccare, et qui mœchantur cum ea, id est cum seipsis, quia supradictum est quod est meretrix. Hoc sunt illi qui cum ea fornicantur, in tribulatione maxima erunt, hoc est in augmentum peccatorum, per quod venturi sunt ad maximam tribulationem gehennæ. Quasi enim quædam sunt peccatorum supplicia, ipsa vitiorum incrementa, et hoc fiet nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis. Dum enim peccatores quidam de perpetratis criminibus nolunt agere pœnitentiam, fit ut ad alia ruant etiam crimina graviora. Unde Paulus de quibusdam Deum cognoscentibus et non glorificantibus dicit : *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Et filios ejus imitatores illius interficiam in mortem. Non enim istam communem hic mortem debemus accipere, qua moriuntur et justi, sed illam quæ post mortem corporis sequitur animam, id est damnationem perpetuam. Nam et per lectum quo Jezabel mitti com-

minatur, æterna pœna potest intelligi, qua miseri et reprobi cruciandi tradentur. Et qui mœchantur cum ea, hoc est qui fornicationem illius quocunque modo imitantur, erunt in tribulatione maxima post mortem carnis, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et hoc ideo quia pœnitentiam agere negligunt, donec eis repentinus superveniat interitus. Porro filii secundum præcedentem sententiam, vel imitatores malorum intelliguntur, vel opera illorum perversa quæ tunc dabuntur in mortem, quando post lætitiam temporalem pro his miseri peccatores perpetuis tormentis tradentur cruciandi, dum per impunitatem scelerum ad mortem pervenerint animarum. Quo contra electi affliguntur hic, ut postmodum lætentur. Quibus per Prophetam dicitur: *Israel, jam non irascar tibi, quia zelus meus recessit a te* (*Ezech.* XIV); et in hac Apocalypsi: *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* I). Prosperantur siquidem ad tempus iniqui æterna morte plectendi; affliguntur ad modicum electi, perennibus bonis vegetandi. Dicit ergo, quos amo, arguo et castigo, per flagella scilicet corporis, per damna temporalium rerum, per varias et diversas afflictiones corporum et animarum. Etiam quos despicio in lecto, id est securitate peccandi manere permitto. Agit vero hoc omnipotens Deus more patris duos filios habentis, quorum alterum quidem suæ potestatis esse permittit, sinens eum libere dormire, manducare, bibere, cæteraque quæ sibi videntur facere, quia vult eum hæreditate privare. At contra, alterum excommunicat, verberibus afficit, aliquando tota nocte vigilare facit, et vinctis pedibus stare, quia vult eum sibi hæredem substituere. Tali itaque modo Deus suos electos, quibus daturus est hæreditatem cœlestis patriæ, arguit et castigat, ut post finitos hujus vitæ labores, ad æternam perveniant possessionem. Reprobis autem permittit suæ voluntatis esse, et in lecto securitatis quiescere, quo postea damnentur omnes cum suis patribus iniquis, ibi erit tribulatio magna, quam nulla carnis explicat lingua, ubi et deficiens quisque non defecit, et moriens semper vivit.

Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans corda et renes. In renibus delectatio signatur concupiscentiæ carnalis, quia humanæ conceptionis semen de lumbis egreditur. In corde vero cogitationes exprimuntur, quæ de corde prodeunt. Juxta quod Dominus dicit: *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta* (*Matth.* XV), etc. Quia enim præcedenti versiculo dixerat Omnipotens non aperte, sed occulte, idololatras et adulteros morte damnandos, nunc fidem Ecclesiæ demonstrat, quæ etiam non visa credit. Novit enim fidelium Ecclesia Deum scire omnia, qui licet reprobos tolerare videatur, tamen occulte in sua præscientia jam eos damnat. Ait ergo: Scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda, id est, facta et cogitationes singulorum intueor. Hominibus quippe opera nostra et dicta possunt esse nota, Deo autem etiam cogitationes manifestabantur, quoniam ipse videt quod quisque cogitet, vel quod delectet, unde ille sapientissimus orator dicit: *Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum* (*Paral.* VI). Nam et veniens ad judicium non solum opera, sed etiam ipsas damnabit tenuissimas cogitationes cordis. Juxta quod per Prophetam (*Isa.* LXVI) dicit: Ecce *ego venio, ut opera et cogitationes* singulorum *congregem*. Potest et hoc quod in Ecclesia in reproborum ultione Deum scrutatorem esse renum et cordium perhibetur, non incongrue ita intelligi, ut quod nunc fide retinet certa, in futurum cernat rerum experientia, unde Psalmista: *Cognoscetur Dominus judicia faciens* (*Psal.* IX), non quod ante per fidem non sit cognitus, cum occulte judicaret, sed quod tunc judiciorum experientia cognoscatur. *Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Hic aperte demonstratur, quia nomine fornicationis superius omnia comprehendit, quia non per hanc sententiam unius operis, sed multorum futura damnatio prædicitur; punientur enim manifesta crimina, punientur et occulta, atque ideo fornicationem quam supra quadriformem intelleximus, hic omnifariam cogimur confiteri, unde Psalmista: *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (*Psal.* LXXII). Dicatur itaque: Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua, justis scilicet præmium laboris, impiis vero supplicium æternæ damnationis, ubi quod amplius exponi debeat, non est, sed quod magis timeri. Nam et per prophetiam hic dicitur, quod Noe, Daniel et Job, ipsi soli animas suas salvabunt, filium autem et filiam non liberabunt. *Vobis autem dico et cæteris qui Thyatiræ estis: Qui non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ.* Superius increpaverat reprobos, nunc autem ad electos verbum vertit. Ideoque bene dicit: Vobis dico et cæteris, id est justis qui supra non estis comprehensi in numero reproborum. Qui non habent doctrinam hanc, id est, quos prava persuasio Jezabelis non inclinat ad malam operationem, ut malos videlicet imitentur. Qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, id est superbiam illius non sunt imitati. Sic enim dicuntur altitudinem Satanæ ignorare, sicut sacra Scriptura dicit mulieres non cognovisse viros, quæ necdum sunt expertæ viri thorum, vel sicut nos quotidiana locutione dicimus hominem veracem ignorare mentiri. Altitudo autem Satanæ superbia intelligitur, quia tumens contra Deum voluit similis fieri Altissimo; pro qua ruens ad terram, multas angelorum legiones sibi consentientes secum dejecit. Cujus altitudinem tunc homo cognovit, cum hanc imitando Deo similis fieri concupivit. Juxta promissionem scilicet deceptoris dicentis: *In quacunque die comederitis, eritis sicut dii* (*Gen.* III). Hanc quoque altitudinem illi cognoverunt, qui turrim usque ad cœlum erigere gestiebant. Sed electi notitiam altitudinis Satanæ non habent, quia in cunctis semetipsos humiliant, vestigia Redemptoris sequentes, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Attendunt enim quod Dominus dicit: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se hu-*

miliat exaltabitur (*Luc.* XIV). Hinc ergo rationis accepto consilio, humilitatis semitam arripiunt, per quam ad celsitudinis culmen ascendant, *quemadmodum dicunt*, quidam : *Non* ponam *super vos aliud pondus, tamen id quod habetis, tenete donec veniam*. De illis hoc dicitur, qui inflati contra Dei Filium, altitudinem Satanæ cognoscentes, nitebantur eos qui crediderant in Christum ex gentibus ad veteris legis cæremonias trahere, de quibus Lucas dicit (*Act.* XV) : Quia *quidam descendentes a Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum* legem *Moysi, non potestis* salvi fieri. Propter quod etiam miserunt Barnabam et Paulum ad apostolos in Hierusalem, a quibus et didicerunt posse sufficere gentibus, ut abstinerent se ab immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Cumque quidam eis de gentibus dicerent : Nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvi fieri, ait Petrus : *Quid tentatis imponere jugum cervicibus discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?* (*Act.* XV.) De illis itaque hæc dicentibus, hic Dominus Ecclesiæ dicit : Non ponam super vos aliud pondus, hoc est observantiam veteris legis, quemadmodum dicunt illi qui sunt synagogæ Satanæ, sed sub levi sarcina vos permittam manere, ideoque id quod habetis tenete, id est onus leve ad quod vocati estis, nolite abjicere. De hoc onere, id est, gratia Redemptoris nostri, Petrus dicit : *Quia per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari* (*Ibid.*). Ad hoc onus ipse fideles suos invitat, dicens : *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI), et cætera. Atque post pauca : *Jugum enim meum suave est*, etc. Ab onere ergo ad onus vocat, sed a gravi ad leve, id est a lege ad gratiam, per quam non solum impletur lex, verum etiam transcenditur. Sed dum hoc dicimus, quæstionem nobis ipsi ligamus : si enim, secundum prædictam beati Petri sententiam, lex importabilis est, quomodo transcendi potest? Sed sciendum nobis est quia in observatione carnalium præceptorum eadem lex importabilis est, in custodia vero spiritualium mandatorum, quæ in decem constat verbis duarum tabularum, adimpletur. In actione autem quam illæ victimæ futuram præsignabant transcenditur, quia comparatione illarum quæ nunc in veritate aguntur, vilissima apparent, quæ sola littera exterius prolata ab auditoribus impleri nequeunt, alia enim fuerunt in Veteri Testamento præcepta vitæ figurandæ, id est carnalium victimarum oblationes : alia vero vitæ peragendæ, quod in decem legis verbis impletur lex a credentibus. In mandatis autem vitæ figurandæ, juxta littéram quidem importabilis est, sed juxta spiritum transcenditur lex. Quod autem Dominus, hac expleta sententia, ita concludit, ut dicat donec veniam, nimirum ostendit usque ad instaurationis tempora Ecclesiam sub gratia permanere, ac nequaquam juxta mendacium Judæorum ultra onus legis credentium humeris aggregari.

Et qui vicerit desideria carnis et dæmonum tentamenta, *et qui custodierit usque in finem opera mea*, A id est, in fide mea perseveraverit usque ad terminum vitæ, *dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vos figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo*. Filius Dei potestatem hanc non per divinitatem, quia æqualis est Patri, super gentes accepisse credendus est, sed per humanitatis formam, qua minoratus est etiam ab angelis. Secundum quam in Evangelio dicit : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* (*Matth.* XVIII) ; secundum quam etiam paterna ad eum dicitur voce : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). Cæterum de potestate quam cum Patre habet ante tempora, Daniel testatur dicens : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur* (*Dan.* VII). Illam igitur potestatem quam in tempore B Christus homo factus accepit a Patre, electis suis se dare promittit, sed in se a quo totum regitur corpus, et cui totum Ecclesiæ adhæret corpus. Cum enim ipse sit caput electorum, electi vero membra illius, quod ipsum caput habet, hoc membra illius hæreditario jure possidere videntur. Dicatur itaque : Vincenti dabo potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea. Hanc potestatem ipsi apostoli primum, deinde sequaces illorum acceperunt, quibus data est potestas ligandi atque solvendi. Sciendum autem quia cum prædicatores potestatem super alios accipiunt, sibimetipsis prius dominantur, qui sic se ab illicitis compescunt, sicut subditos compescere satagunt. Nam et illorum regimen per virgam ferream exprimitur, quæ rectitudinem ha- C bet, mollitiem non habet, quia videlicet sancti prædicatores nec sibi nec aliis contra justitiam parcere noverunt, qui et in se et in aliis tantum justitiæ tramitem dirigere student, unde capiti eorum dicitur (*Psal.* XLIV) : *Virga* recta est *virga regni tui*. Quod protinus quod sit, aperitur cum dicitur : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*. Quo contra mollis et distorta est virga quorumdam in Ecclesia præpositorum, ipsa justitiæ permutatio. Dum enim æqualiter grex pastorque peccat, et tamen qui prius est molliter delinquens se palpat, subditos vero temporali pœnitentia graviter exaggerat, mollem procul dubio et flexibilem virgam portat. Econtra Dominus admonet dicens : *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Matth.* VII), quia videlicet æqualiter quisque prælatus sibi et gregi sub- D jecto parcere, atque æqualiter se subjectumque gregem debet corrigere. Bene autem gentes in Christum credentes, vasis comparantur fictilibus, quia in fragilitate carnis thesaurum a sæculis absconditum habent reconditum. Hinc Paulus dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). Quod autem vasa tactu virgæ confringi dicuntur, dupliciter potest intelligi, quia quidam dissipantur, ut in melioris vitæ studium commutentur : quidam vero ut æternaliter pereant, atque ideo una eademque virga regit ad vitam prædordinatos, destruit et confringit ad mortem præscitos. Hinc est quod Jeremiam Dominus ad domum figuli ire jubet, ibique vas dissipatum atque a figulo in melius reformatum ostendens

dicit : *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israel? dicit Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea* (*Jerem.* XVIII). Hinc etiam alibi ipsi figulo humani generis dicitur: *Verte impios et non erunt* (*Prov.* II), id est, post eversionem non impii, sed pii permanebunt. Quo contra alibi dicitur : *Destrues illos, et non ædificabis eos* (*Psal.* XXVII).

Et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Stellam matutinam quantum ad litteram, appellat luciferum, qui oriens suo ortu vicinum solis demonstrat adventum. Spiritualis stella matutina Christus intelligitur qui surgens a mortuis tenebras hujus sæculi fugavit, et luce fidei totum replevit mundum, et fulgore sui luminis illuminavit tenebras nostræ mortalitatis. De hac stella Petrus fidelibus dicit : *Donec dies* illucescat, *et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I). Nam in Scriptura sacra cum singulari numero stella matutina ponitur, per hanc homo Christus figuratur. Cum vero pluraliter astra matutina interseruntur, angelicæ creaturæ designantur. Unde est : *Cum me laudarent simul astra matutina* (*Job.* XXXVIII). Sed et cum simpliciter ac sine additamento stellæ ponuntur, doctores Ecclesiæ nonnunquam exprimuntur ; unde est : *Qui docti fuerint fulgebunt* sicut stellæ *firmamenti* (*Dan.* XII). Christus itaque apparens vivus post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequeretur indicavit. Stellam ergo matutinam vincentibus se dare profitetur, id est semetipsum et gloriam futuræ resurrectionis. Quod tunc implebitur, quando qui in monumentis sunt *audient vocem Filii Dei, et configuratum corpori claritatis suæ, corpus humilitatis nostræ reformabit* (*Mat.* V; *Ph.* III). Mortalitatis etenim tenebris resurrectione fulgente depressis, quasi quidam lucifer apparebit, quæ perfectum æternitatis diem demonstrabit.

CAPUT III.

Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe. Sardis, ut supra dictum est, interpretatur principi pulchritudinis, apta subaudis atque ornata. Et hic quoque dicendum, quia sicut superius ex abundanti disseruimus, quod uni ecclesiæ dicitur, utique omnibus convenit.

Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei et septem stellas. Filius Dei septem habet spiritus, videlicet septiformem spiritum æqualem sibi in natura unitatis ; unde Isaias (*cap.* XI) : *Requiescit*, inquit, *super* humilem *spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus.* Habet quoque septem stellas, id est septiformem Spiritum sanctum, tanquam ancillam in ditione potestatis. Et bene cum unius sit substantiæ Filius Dei cum Patre et Spiritus sancto, habere dicitur septiformem Spiritum, quia omnis gratia ejusdem Spiritus per Christum credentibus tribuitur.

Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, sed mortuus es. Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Ex parte hunc jam mortuum, ex parte vero adhuc vivum esse demonstrat, id est, ex parte criminibus mortuum, ex parte autem vivum bonis operibus ostendit. Dicatur ergo : *Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.* Acsi diceretur : Ideo te vivere putas, quia in quibusdam bonis operibus exercitium habes. Sed attende, quia vivere non vales, si vitia prævaluerint virtutibus, quibus vivere videberis. Sunt enim nonnulli, qui eleemosynis insistunt, pauperum curam gerunt, sed ipsi a rapina manus non coercent. Nonnulli autem eleemosynarum largitati inserviunt, et a rapina manus coercent, atque ab adulterii perpetratione se cohibent, sed iræ atque invidiæ stimulis agitati, quorumdam vitam extinguere quærunt. Sic quoque in similibus, dum se in quibusdam bonis operibus vivere putant, unoquolibet facinore multi moriuntur. De quibus per Jacobum dicitur : *Quicunque servaverit totam legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Ad quorum personam, videlicet benigna exhortatio dirigitur, qua dicitur : *Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant*, acsi diceretur : Si vis ut in illis quæ bene gessisti vivas, ab iis quæ male gessisti per pœnitentiam evigila, quia si in illis mortuus permanes, in istis nullatenus vives. Hinc Psalmista admonet dicens : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Nam et in hoc quod dicitur, confirma cætera quæ moritura erant, ostenditur quia si a peccati somno per pœnitentiæ lamentum perfecte quis evigilat, nec illa quæ etiam mortuus bene gessit, post vivens opera amittit, atque ideo illa vivificat, quod ipse a peccati somno evigilat. Sic enim dicitur : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant*, tanquam diceretur : Si ex ea parte qua mortuus es, reviviscis, cætera quæ adhuc in te vigent, ne moriantur confirma. Possunt et hæc aliter intelligi. Sunt enim multi qui vitam ab omni crimine custodiunt, virtutibus etiam serviunt, sed tamen humanam laudem requirunt. Ideoque quia intentio recta non præcedit in cogitatione, pravum est omne opus quod sequitur in ostensione. Per hoc ergo quod exterius procedit in publicum, vivi apud homines arbitrantur. Ideoque nomen habent quod vivant. Per hoc autem quod latet interius, apud Deum mortui deputantur. Unde pia admonitio subinfertur, qua dicitur : *Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant*, acsi diceretur : Si vis vivere, cave ne laudem ab hominibus requiras, ne intentionem operis elatio vitiet favoris. Hinc in Evangelio dicitur : *Attendite ne justitiam vestram facialis coram hominibus* (*Matth.* VI.) *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Illius opera plena non sunt coram Deo, qui virtutes sibi a Domino datas vitiis commaculat, vel qui de bonis quæ operatur exterius humanam gloriam per elationem quærit. Hinc in Evangelio dicitur : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI). Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Cuncta autem hæc quæ sub duplici intellectu discussimus, possunt de his intelligi, qui sine charitate virtutes reliquas habere se jactant. Notandum vero

quod unigenitus Dei Filius unus scilicet cum Patre Deus et Spiritu sancto, Deum se habere dicit per humanitatem, quam ex nobis atque pro nobis assumpsit, secundum quam etiam clamabat in cruce : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

In mente ergo habequaliter acceperis et audieris. Hæc sententia singulis superioris intelligentiæ congruit sensibus : et illis enim potest aptari, qui reliquis virtutibus vigent, sed uno facinore tabescunt, et illis qui vitam ab omni crimine custodiunt, sed gloriam humanam inde requirunt. Sed et illis qui sine matre virtutum, quæ est charitas, licet operationis genimina pareant, non tamen ad perfectionem perducant. Dicatur ergo : In mente habe qualiter acceperis a sanctis prædicatoribus, et qualiter audieris, quia si quis *totam legem servaverit*, offenderit *autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II) ; vel in mente habe, ut prava intentio non præcedat virtutum opera, scilicet ut gloriam requiras humanam, si vis ut ad mercedem retributionis ipsa opera perveniant, vel in mente habe qualiter acceperis et audieris, quia si omnibus virtutibus abundaveris, charitatem autem non habueris, nihil es. Unde est illud Apostoli : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII). *Et serva.* Qualiter accepisti, et audisti a sanctis prædicatoribus. *Et pœnitentiam age.* Ut et ea quæ male sensisti, lacrymarum gemitibus diluas, et quæ a prædicatoribus accepisti, operum exsecutione adimpleas.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies quando *veniam*. Vigilat qui, ad aspectum luminis divini, oculos mentis apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui a se torporis negligentias repellit. Vigilat qui et bona desiderabiliter providet, et mala solerter cavet. Vigilat qui ex iis quæ gerit non humanam laudem, sed Dei gloriam requirit. *Si ergo non vigilaveris*, ut solo conditoris amore cuncta peragas, si negligentiarum torpores a te non excusseris, atque adventum superni judicis præstolari non studueris, *veniam ad te tanquam fur*, id est subito et insperato. Unde sequitur : *Et nescies quando veniam*. Sicut enim fur improviso adveniens, dormientes jugulat, et bona illorum deprædatur : sic cœlestis judex vel quotidie specialiter quibusdam reprobis insperatus occurrit, eosque a felicitate præsentis sæculi impœnitentes animadversionis sententia perimit, vel generaliter in die judicii hoc facturus est, quando repente veniens ad judicium, omnes reprobos damnabit, eorumque facta velut fortissimus prædo disperdet, secundum quod in Evangelio ipse loquitur, dicens : *Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* (*Matth.* XXIV). Et admonendo subjunxit : *Ideoque et vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est* (*Ib.*)

Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Per nomina ipsos homines intelligere debemus. Ideo autem nomina ponit, ut ostendat se non solum numerum, sed etiam nomina scire electorum suorum, qui Moysen novit ex nomine, et suorum scribit in cœlo nomina sanctorum, ut ipse eis dicit : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc* X). Habes pauca nomina, id est paucos homines comparatione cæterorum, criminibus et immunditiæ carnis deservientium, *qui non inquinaverunt vestimenta sua*, hoc est vestem baptismatis, vestem scilicet immortalitatis atque innocentiæ. Ista sunt nimirum vestimenta, quibus diabolus in paradiso primum hominem exspoliavit, cum sibi hunc per peccati consensum stravit. Quibus vestimentis tunc homo ornatus exstitit, cum per immolationem vituli saginati, junior filius patri reconciliatus, prima stola rursus indui meruit. Hinc Paulus dicit : *Exuentes veterem hominem cum actibus suis, et induite eum qui renovatur in agnitionem Dei* (*Coloss.* III) Ille autem vestimenta sua sordibus non intingit, qui post baptismatis sacramentum mortale crimen non admittit. Sed quia pauci sunt qui a cognitione criminis se post baptismum immaculatos custodiant, idcirco præmittitur : Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. De quibus adhuc subditur : *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Et illi ambulabunt cum eo in albis, qui innocentiam et sanctitatem illius, quantum eis est possibile, imitantur. Præcedit quippe Christus exempla dando, sequuntur electi exempla ejus imitando. Unde Petrus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Quod autem sequitur, quia digni sunt, subauditur, quia mundi, vel quia in ea dignitate condigni. Sed nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum maculis criminum vitam coinquinant? Non utique, quia et illi si pœnitentiam egerint, lacrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod est secundum baptismi genus. Sicut enim sunt duo martyrii genera, sic sunt duo baptismata. Hæc itaque vestimenta in aliis immaculata servantur, in aliis post maculas candidantur, quia et alii, ut dictum est, post lavacri undam nullum crimen admittunt, et alii admissum pœnitentiæ fletibus abstergunt. Unde admonendi sunt illi, ut ne post baptismum maculas criminis easdem semper inducant ; exhortandi sunt isti, quibus hoc contingit, ut sine tarditate easdem maculas lacrymarum undis diluant. Unde in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI).

Qui vicerit sic vestietur vestibus *albis*. Acsi aliis verbis diceretur : Qui pro recipiendis vestibus cum inimico fortiter dimicaverit, dimicans vicerit, ita rursus eisdem indutus splendebit, ut illi qui eas aut immaculatas servaverunt, aut post maculas abluerunt. Potest etiam hæc exhortationis sententia et illis aptari, qui adhuc diabolicæ dominationis jugo detenti, fide necdum fuerunt vestiti, hortantur autem ut vincant, id est ut credant in Christum,

quia *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v), quatenus in abrenuntiatione antiqui hostis *per lavacrum regenerationis* cœlestis vitæ munditiam ab ipso in quem crediderunt percipiant. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Hoc est, scribam nomen ejus in libro vitæ. Sic enim dicitur : *Non delebo*, tanquam diceretur, scribam. Quo contra de reprobis qui non vincunt, dicitur (*Psal.* LXVIII) : *Deleantur de libro viventium.* Quod exponens subjungit. *Et cum justis non scribantur.* Librum autem vitæ, quo scribuntur electi, prædestinationem omnipotentis Dei debemus intelligere, quia præsciti et prædestinati sunt omnes sancti ante omnia sæcula ad vitam præordinati, sicut scriptum est : *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II). *De* hoc ergo *libro vitæ*, reproborum nomina deleri dicuntur, pro eo quod est per meritum reprobationis nequaquam scribi, sicut et Pharaonis cor a Domino indurari dicitur, pro eo quod est duritiam cordis ejus per gratiam non emolliri. Dicatur ergo de victore : *Non delebo nomen ejus de libro vitæ* ; quod tale est, quale si diceretur : Quem victorem futurum scio, nomen ejus scriptum in cœlis teneo. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus.* Illius nomen coram Patre suo Christus confitebitur in futuro, cujus approbat opera in præsenti. Quæ confessio tunc coram Patre et angelis ejus implebitur, cum ad dexteram positis dixerit justis : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV). Quæ tunc ab eo laudabilis in publicum proferetur, cum in Evangelio idem Dominus dicit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* X), et coram angelis ejus.

Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe. Philadelphia, juxta quod Beda exponit, interpretatur *dilectio fraterna.* Quo nomine universalis Ecclesia designatur, quæ in dilectione Dei et proximi versatur, quæque a Domino diligi probatur, quæ dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI), etc. Vel, secundum Ansbertum Ambrosium, Philadelphia interpretatur *salvans hæreditatem Domini.* Quo nomine ipsa quoque Ecclesia exprimitur, quæ semetipsam salvat cum in fide et opere bono proficit, et a voluntate sui Creatoris nunquam recedit. Ipsa est enim Domini hæreditas, de qua per Psalmistam paterna ad Filium voce dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal* II). *Hæc dicit Sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Scio opera tua*, id est, eligo opera tua. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Idcirco principaliter ac singulariter sanctum et verum Dominum seipsum appellat, quia et si quosdam inter homines sanctos dicimus et veraces, ad comparationem tamen illius nullus est sanctus et verus, quia ipse est sanctitas et veritas. Unde scriptum est : *Ecce inter sanctos nemo immutabilis* (*Job.* XV). Itemque Apostolus : *Omnis homo mendax* solus *autem Deus verax* (*Rom.* III, 4). *Clavem David* debemus intelligere incarnationem Christi. De stirpe enim David secundum carnem descendit. Ostium autem quod eadem clavis aperit vel claudit, ipsum intelligimus Dei et hominum mediatorem, per quem ad vitam æternam, quæ ipse est, intramus, ipso docente, qui ait : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X), etc. Sic enim ipse clavis et ostium dicitur, sicut pastor ostiarius simul et ostium vocatur. Quare cum clavis David ostium aperit, seipsum aperit utique, qui est secundum carnem natus, passus, ac tertia die suscitatus. Quod ostium prius clausum omnibus fuit, exceptis prophetis et sanctis Patribus, qui per Spiritum sanctum cognoscebant ejus adventum, modo autem omnibus in Christum credentibus patefactum est, clausum vero infidelibus manet. Istud ostium nemo potest claudere cui ipse Christus illud vult aperire. Unde legimus in Actibus apostolorum, quia cum cæsis discipulis denuntiarent Judæi, ne loquerentur in nomine Jesu, protinus illo os aperiente, nemo poterat claudere. Unde responderunt : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* IV). Hoc Asianis clausum aperire tentaverant apostoli, sed quia, eo claudente, nemo aperit, prohibuit eos spiritus Jesu, ne in Asia loquerentur verbum Dei. Sive istud ostium possumus intelligere sacram Scripturam, quam ipse Christus aperit fidelibus in se credentibus, et nemo claudit. Claudit Judæis in infidelitate permanentibus, et nemo aperit. Hoc ostium ipse Redemptor noster tunc primum aperuit, quando post resurrectionem suam duobus in via ambulantibus, ut intelligerent Scripturas, sensum aperuit, atque in se adimpleta quæ scripta erant in lege Moysi et prophetis et psalmis edocuit : *Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum* inter angustias et perturbationes hujus sæculi. Causam ostendit quod ideo hæc dona promeretur Ecclesia, quia non in suis viribus, sed in regis æterni gratia confidit. *Et servasti verbum meum*, id est verbum fidei, *et non negasti nomen meum* inter angustias et perturbationes hujus sæculi. Idcirco autem sancti inter perturbationes hujus sæculi insuperabiles et invicti, modicam virtutem habere dicuntur, cum multa sit, quia multa per Christum, parva autem per se posse præsumunt, unde et dicunt (*Psal.* LIX) : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet* inimicos nostros. Unde et apostolus Paulus cum dixisset se plus omnibus laborasse apostolis, custos suæ humilitatis statim subnexuit, dicens : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor* XV). Et alibi : *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV). Sic itaque dicitur : *Modicam habes virtutem*, tanquam diceretur : Parvam te putas habere virtutem, sed in hoc magnam habes, quia me largiente tenes verbum fidei meæ, et non negasti nomen meum, et ideo per me multa potuisti, quia in collatis virtutibus non timuisti. Vel certe modicam virtutem habet sancta Ecclesia in præsenti comparatione illius virtutis, quam habitura est in futuro quando nulla tristitia, nullo labore affligetur.

Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Hoc ex parte quidem jam completum est in illis, qui per Christi gratiam illuminati sunt ex Judæis, et dati sunt universali Ecclesiæ, id est in unitatem fidei illius collecti. Generaliter autem in fine sæculi complebitur, quando sicut Apostolus ait : *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit* (*Rom.* XI). Modo autem in Synagoga Satanæ, hoc est, congregatione diaboli dicunt se Judæos esse, hoc est confitentes, sed mentiuntur, quia quotidie Christum blasphemant in Synagogis. Judæus namque interpretatur *confitens*, et ideo Judæorum nominis expressio, Christi est confessio. Dicunt itaque Judæos se esse, sed mentiuntur, quia sicut Apostolus dicit (*Rom.* II): *Non qui in manifesto Judæus,* non quæ in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio non carnis sed spiritus. Hujus nominis dignitatem tunc perdiderunt, quando Christum negantes dixerunt : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX). *Ecce faciam illos ut veniant* gressibus fidei *et adorent ante pedes tuos.* Id est, ut venerentur opera tua, et venerantes imitentur, qui modo, quia non credunt, et Ecclesiæ opera non solum non venerantur, sed etiam despiciunt. *Et scient quia ego dilexi te.* Tunc scient quod Christus diligat Ecclesiam suam, quando ipsi cum ea una fuerint effecti Ecclesia. Unde per prophetam ad Jerusalem dicitur : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te in civitatem Domini, Sion sancti Israel* (*Isai.* LX).

Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Verbum patientiæ est quod ipse Dominus monstravit exemplo, cum positus in cruce pro persecutoribus exoravit. Quod videlicet verbum patientiæ in omni pressura et angustiis sibi proponit sponsa Christi, propter quod principaliter quoque hanc ab hora tentationis se servaturum esse promittit. Hora autem tentationis intelligitur omne præsens tempus, in quo, etsi Ecclesia variis tentationibus exercetur, tamen non superatur. De qua tentatione precamur quotidie liberari, dicentes : *Ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI ; *Luc.* XI), id est in lapsum deceptionis, quo tentantur inhabitantes terram, id est, terrena diligentes, mundi desideriis æstuantes, et vincuntur. Electi autem quorum conversatio in cœlis est, ad hoc tentantur, ut probati coronentur, non ut seducti damnentur. Possumus et hanc horam quæ non jam venisse aut in præsenti esse, sed futura esse prædicitur, referre melius ad tempora Antichristi. Tunc enim veniet illa tentatio, quæ non partes, sed totum simul mundum examinabit, et hinc tormenta sævient, illinc miracula suadebunt. Unde merito de illo tempore a Domino dicitur : *Erit tunc tribulatio qualis non fuit, sed nec fiet* (*Matth.* XXI). A qua tentatione liberabuntur electi, id est non decipientur, propterea utique quia electi sunt.

Venio cito, ne electi, cum viderint se tribulatione A tentationis alteri, succumbant, cito se Dominus ad remunerandum venire promittit. Cito enim fit omne quod transit, et ideo omne præsens tempus inde ad finem citius tendit, unde quasi crescere videtur, indeque defectum patitur, unde augmentum percipere videtur. *Tene quod habes.* Id est, cœlestis vitæ conversationem et fidem, per quam regni percipias decorem. *Ut nemo accipiat coronam tuam.* In hac sententia ostenditur, quantum remuneratio quæ superbientibus aliquibus justo Dei judicio aufertur, aliis misericorditer tribuitur. Cum enim certus sit Deo numerus electorum suorum, dum alii remunerationem sibi promissam, ob sui perdunt negligentiam, ne illorum locus vacuus remaneat, alii in locum eorum subrogantur, sicut, verbi gratia, gentes Judæis in infidelitate permanentibus in locum illorum B substitutæ sunt. Ideo videndum est unicuique qui stat, ne, vel superbiendo vel alio quolibet modo, cadat, ne videlicet alius coronam ejus accipiat. Qui autem aliquo lapsu cecidit, surgat, ut ad repromissam coronam perveniat.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius. Templum Dei electorum esse Ecclesiam nullus ambigit. Juxta illud Apostoli : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Et beatus Petrus apostolus loquitur fidelibus : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spiritales* (*I Petr.* II). Columnæ autem hujus templi non solum sunt quique perfectiores, juxta quod Paulus dicit : *Petrus et Jacobus et Joannes qui videbantur columnæ esse* (*Galat.* II), etc., verum etiam C auditores illorum, de antiquo hoste triumphantes, atque operationis firmitate pollentes. Unde et ipsa Ecclesia generaliter ab Apostolo columna et firmamentum veritatis appellatur. Dicit ergo Dominus : *Qui vicerit,* subaudis testamenta diabolica, et concupiscentias mundanas, et delectationes carnis, *faciam illum columnam in templo Dei mei,* id est faciam eum fortem in opere bono, ut nullam timeat jacturam, sed insuper robore fortitudinis suæ, id est exemplo et doctrina Ecclesiam sustineat. Quod autem dicitur : *Et foras non egredietur amplius,* aperte cognoscitur, quia jamdudum in præcedentibus humani generis membris exierat, in illo scilicet juniori fratre qui, relicta domo paterna, abiit in regionem longinquam, ibique substantiam suam vivendo luxuriose D cum meretricibus dissipavit. Ab unitate siquidem fidei atque operationis Ecclesia recesserat in ædificationem turris ; sed occisione illius vituli saginati revocata, foras ultra non exiet, id est a gratia Christi non separabitur. Possumus et hoc de utroque modo intelligere populo. Primus enim homo ad imaginem Dei conditus, in paradisi deliciis est positus, quasi quædam columna felicitatis, sed audiens diaboli vocem a paradisi felicitate ad ærumnam sæculi, et a quiete ad laborem exiit. Quo scilicet ruente, nos quoque pariter ruimus, quo exeunte, nos quoque simul exivimus. Unde est : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho* (*Luc.* X). Cujus miseriam intuens auctor humani generis, ad hoc unde exierat

effusione sui sanguinis, hominem cum sua progenie reduxit. Quæ videlicet introductio non solum in his intelligenda est, qui jam exuti corporibus in specie lætantur in cœlis, verum etiam de his qui adhuc commorantes in carne per fidem ambulant, spe gaudentes in terris. Ab hoc gaudio spei non egredientur amplius, quia in superna sanctorum gloria solidantur, qui in primo Adam amisisse ac foras exisse probantur. Unde Dominus in Evangelio dicit: *Et eum qui venit ad me non ejiciam foras* (*Joan.* VI). Et Psalmista: *Ipse Deus meus et salutaris meus, non movebor amplius* (*Psal.* LXI). Dicatur ergo: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei;* acsi diceretur: Electorum numerum quem victorem esse prænosco, mandatorum meorum præceptis astringens in cœlestis patriæ ædificio, quod utique ex ipsis constat electis inflexibili amore solidabo. *Et foras non egredietur*, subaudis, nullis inimici suasionibus vel terroribus ab illa cœlestis patriæ communi felicitate avelletur. Quod autem Filius Dei Deum se habere dicit, sicut in præcedentibus jam diximus, secundum humanitatis formam accipiendum est, in qua etiam non solum Patre, sed etiam seipso minor esse probatur. *Et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo.* Calamus quo nomen istud inscribitur, gratia Spiritus sancti intelligitur, per quam Filii Dei efficimur. Hoc est enim quod dicit, *scribam super illum nomen Dei mei*, id est, faciam illum esse filium Dei mei; ut, sicut ego sum filius per naturam, ita et ille sit per gratiam. Quod autem hoc per Spiritum sanctum fiat, Paulus manifestat dicens: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* (*Galat.* IV). Et ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Quod autem dicit: *Et nomen civitatis novæ Jerusalem*, subaudis scribam super eum qui vicerit, ita est intelligendum, quia in numero sanctorum per donum Spiritus sancti consortium Dei merebitur. Jerusalem autem, quæ visio pacis interpretatur, de cœlo a Deo descendere perhibetur, in capite scilicet suo, cui unita est per fidem, secundum quod alibi dicitur: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III), etc. Vel certe in eo de cœlo descendit, quia quidquid habet in fide, in operibus bonis, cœlitus a Deo percepit; juxta illud apostoli Jacobi: *Omne datum optimum* (*Jac.* I), etc. Bene autem nova vocatur, quia videlicet per lavacrum regenerationis simul et spiritum dilectionis vetustate terreni hominis exspoliatur, et cœlesti novitate vestitur. Hinc Paulus dicit: *Exuentes veterem hominem cum actibus suis, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei* (*Colos.* III). Et alibi: *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia* (*II Cor.* V). *Et nomen meum novum*, subaudis, super eum qui vicerit scribam, ut scilicet a me qui Christus vocor, ex tempore vocetur ipse Christianus, id est gratia Spiritus sancti unctus. Quod nomen novum non secundum divinitatem, quam æqualis Patri semper et Spiritui sancto mansit, sed secundum formam servi accepit, quam in tempore gratia unxit Spiritus sancti, et a suo nomine nobis hoc privilegium dedit, ut ab ipso Christiani appellemur, de quo nomine Isaias propheta dicit: *Et servos suos vocabit nomine alio* (*Isa.* LXV), id est Christiano. Hinc certe dignitas nobis, hinc celsitudo provenit, hinc reges, hinc sacerdotes, hinc Christiani vocamur. Ubi autem potius nomen salutis sonat, ibi tandem hic liber debitum finem accipiat.

LIBER SECUNDUS.

SEQUITUR CAPUT III.

Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe. Laodicia interpretatur *tribus amabilis Domino*, sive *fuerunt in vomitu.* Quæ utique interpretationes ambæ Ecclesiæ Laodicensium aptantur, in qua erant quidam spiritu ferventes, et Dei amore dediti, atque alii tepidi, ideoque ut noxii cibi evomendi. Hæc autem verba quæ Ecclesiæ Laodicensium dicuntur generali Ecclesiæ conveniunt, in qua simul sunt misti boni cum malis, quorum quidam a Deo diliguntur, quidam vero ab ore Dei repelluntur. Sed primum considerandum est quod dicitur Joanni: *scribe*, id est litteris manda ad utilitatem fidelium futurorum. Sive quod illi dicitur, omni ordini prædicatorum congruit, cui dicitur *scribe*, id est manda mente tua, vel in mentibus auditorum tuorum qui audiunt reconde. Libri enim et sanctos significant, et ipsum Dominum. Unde est: *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ* (*Apoc.* XX). Ideo dicitur *scribe*, in cordibus scilicet auditorum bonorum, quia ipsi sunt libri, diligenter exara, quæ intelligis. *Hæc dicit, amen, testis et fidelis verus.* Amen Græcus sermo est, Latino interpretatur verum, sive fideliter, quod verbum nemo interpretum in aliam linguam transtulit, sed eisdem litteris apud omnes gentes habetur, veritas autem ipse est Christus qui in Evangelio dicit: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV). Unde et ipse maxime in Evangelio hoc juramento suum sermonem format, acsi dicat, quia veritas sum incommutabilis, per hujus orationis particulam demonstro. Ipse enim singulariter amen, id est, sempiterna veritas, atque ideo ut incommutabilis ista veritas et æterna ostendatur, etiam ipsum verbum a nullo commutatum est interprete. De quo etiam subditur, *testis fidelis.* Sed nunquid non fuerunt alii testes fideles, id est veri? Nam Jacob perhibuit testimonium Christo, dicens: *Non deficiet princeps de Juda* (*Gen.* XLIX), etc. Moyses quoque ait: *Prophetam vobis suscitabit Deus vester de fratribus vestris* (*Deut.* X). Sic Isaias, Jeremias et cæteri, qui omnes utique testes fideles fuerunt, vel veri, quia verum testimonium de Christo protulerunt. Quare hoc Dominus specialiter de se dicit

cum sint etiam multi testes veri atque fideles, quia videlicet ipse singulariter est testis verus, qui non mutatur aliquando. Sicut enim specialiter sanctus dicitur, cum et alii sancti multi sunt, qui videlicet comparatione illius, qui est sine peccato, homines injusti sunt. Licet enim isti sint sancti, tamen quia homines sunt puri, peccato carere non possunt, et aliquando mentiuntur. Christus autem essentialiter est sanctus, et verus, quia peccatum non fecit, id est mendacium nunquam ullum ab ore suo processit. Testis autem est Christus, qui sibi et Patri testimonium perhibuit, dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x). Similiter et ipse Pater ait : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Necnon etiam et Spiritus sanctus, de quo idem Dominus apostolis dicit : *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV). *Qui est principium creaturæ Dei*, id est de quo omnis creatura sumpsit initium. Omnia enim quæ sunt in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, per verbum Dei facta sunt. Cum ergo omnia per illum facta sunt, utique pater quia ipse est ante omnia. Neque enim Pater Filium præcessit tempore vel origine, sicut nec radius solis vel ignis suum præcedit calorem vel splendorem. Semper enim fuit Pater, semper cum eo Filius, qui utique a Patre non est creatus, sed genitus. Principium itaque omnis creaturæ dicitur, quia ab illo cuncta exsistendi habent initium. Unde et ipse interrogantibus Judæis quis esset respondit : *Principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Unde et Paulus dicit (*Colos.* I) : *Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ*. Quem etiam ne putemus creatum, statim subjunxit : *In quo condita sunt universa*. Primogenitus ergo est omnis creaturæ, a quo et per quem omnis creatura exorta est. Ariani dicunt, quod Filius Dei creatura est in Divinitate, negantes eum ante Mariam fuisse, sed mentiuntur. Filius enim Dei ipse est sapientia, dicente Paulo, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Et Apostolus ad Deum Patrem : *Omnia in sapientia fecisti* (*I Cor.* I). Cum ergo ipse sit sapientia Patris, et isti affirmant eum creatum in tempore, atque ideo dicunt quia erat tempus quando non erat. Propter hoc videlicet quod per Salomonem ipsa Dei sapientia dicit : *Dominus possedit me*, vel creavit, secundum quod alia translatio habet, *in initio viarum* (*Prov.* VIII). Si hoc verum est, utique quod nefas est cogitare, Deus Pater stultus erat, antequam sapientiam suam generaret. Certe ipsi negare non possunt quod ipse sit Dei sapientia, sicut Apostolus ait (*I Cor.* I). Ideoque illis stultissimis hominibus et ratione carentibus dicendum est : Si Deus stultus erat, unde ergo tam sapienter omnia condidit ? Et nos quemadmodum creavit, si ille antequam crearetur sine sapientia fuit, utpote insipiens et nesciens quid faceret ? Non ergo ipsa sapientia creata est a Patre, sed antequam cuncta fierent, erat cum Patre, neque ex alia substantia Deus Pater genuit Filium, sed ex seipso, veluti consilium generatur in mente. Nam quod dicit Salomon ex persona Christi : *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est, in principio actionum suarum ; *antequam quidquam faceret*, taliter est intelligendum, quod Deus pater omnem creaturam tam humanam quam angelicam sua possideret sapientia, per quam et omnia condidit, sive in cœlo sive in terra. Si autem, sicut in quibusdam codicibus et in alia translatione habetur legeremus, Dominus creavit me, ita est intelligendum, quia antequam quidquam faceret, suam prædestinavit sapientiam incarnandam, ut sua passione et morte genus humanum redimeret, et ad patriam revocaret. Tunc in principio utique suarum actionum in divinitate, suam sapientiam possedit vel creavit sibi æqualem, cum carnem postmodum suscipere voluit. Solet enim plerumque sacra Scriptura ea quæ futura sunt, quasi jam facta narrare. Nam et de nobis dicit Apostolus (*Ephes.* I), quod elegerit *nos in ipso ante mundi constitutionem*. Si ergo omnipotens Deus, secundum Apostoli sententiam, omnes electos ante mundi constitutionem elegit, quid mirum, si ipsum caput electorum in sua prædestinatione antequam quidquam faceret, ordinavit ut esset caput electorum ? De ipso enim dicit Apostolus : *Ut ipse sit in omnibus primatum tenens* (*Colos.* I).

Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus ; utinam frigidus esses aut calidus ! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Manifestum est, quia ea quæ sunt frigida, vel calida, comedere et bibere possumus, tepida vero corpus nostrum propter vomitum ferre non potest. Tali itaque modo accipiendum est, quod hic Dominus dicit : *utinam frigidus esses, aut calidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Frigidi itaque sunt Judæi vel pagani, ab eo scilicet glaciali rigore constricti, de quo dicitur : *Ascendam super altitudinem nubium, ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Aquilo enim ventus frigidus diabolus est, cui in Canticis canticorum dicitur : *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* IV). Surge, aquilo, id est, recede, diabole. Veni, auster, veniat Spiritus sanctus, qui suo adventu calefaciat et illuminet corda hominum, ut pariant opera virtutum. Calidi sunt qui in fervore spiritus in Dei et proximi dilectione consistunt. Tepidi, qui nec ex toto infideles sunt, nec avide ad Christum tendunt. Sunt autem et quidam, qui prius quidem fuerunt frigidi, et multis criminibus obnoxii, sed plerumque sanctus Spiritus talium corda tangit. Quo inflammati, ferventes efficiuntur : qui quanto se peccatores fuisse recordantur, eo amplius liberatorem suum diligere appetunt, cum recedente iniquitate, ignescit charitas eorum. De talibus in Evangelio Dominus dicit : *Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Sunt autem et quidam intra sanctam Ecclesiam constituti, qui vitam quidem ab omni crimine custodiunt, sed tamen in agendo quælibet bona non assurgunt. Et hi tales nec frigidi, nec calidi sunt quia non sufficit mala cavere, nisi studeat

quis et bona facere. Juxta illud Psalmistæ : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* xxxvi) Tales quippe de suis operibus fisi, solent dicere : Ecce aliena non rapio, illicita nulla committo, non adulterium, non homicidium, non denique his similia mala facio, sufficit mihi mala non agere, ideoque et propriis fiducialiter utor. Dumque hoc dicit, indigentibus propria non tribuit. Et qui tenet rapinam, nec metuit tenere tenaciam, nec recordatur quia dives ille non ideo damnatus est quod aliena rapuit, sed quia propria non distribuit Sunt quoque et alii qui aliena non rapiunt, propria distribuunt, sed hoc non causa dilectionis Dei et proximi, sed propter inanem jactantiam, ut ab hominibus laudentur, sicut faciebant Scribæ et Pharisæi, qui dantes eleemosynas ante se canebant tuba, et tales etiam nec calidi nec frigidi esse cognoscuntur, quia qui indigentiam pauperum sublevant, cum amore charitatis hoc facere debent. Audientes illud Apostoli : *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum* (*I Cor.* xiii), et cætera. Sunt quoque et alii, qui opes terrenarum facultatum dimittunt, et ad monasterium venientes, habitum religionis sumunt, deinde torpentes, sibi hæc posse ad salutem sufficere credunt, quod sua dimiserunt, quod varia crimina sub habitu religionis constituti, non admittunt, atque idcirco dormiunt, bibunt et secure vivunt Dumque hoc faciunt, tepidi exsistunt, melliusque fuerat illis morari in sæculo, ubi et peccata sua recognoscerent et aliquando per Dei misericordiam compuncti, bonis operibus studerent quam in monasterio manere, et ita a bonis operibus cessare. Alii quoque sunt, qui ab infantia sua in monasteriis consistunt, bonis operibus abundant in fervore spiritus manent, et circa ultimum tempus vitæ suæ torpescunt, et tepidi efficiuntur. Et talibus utique omnibus satius esset ut vel perfecti boni essent, vel ex toto mali, quam nec boni nec mali. Atque ideo subjungitur : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* Nullus invenitur calidus qui prius non fuerit frigidus : quia nemo est bonus, qui non fuerit malus. *Omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei* (*Rom.* iii). Tepidus ex calido solet fieri et frigido, quia et alius ex frigore infidelitatis conversus ad perfectum justitiæ fervorem non transit, et alius ab ipso justitiæ calore, quod prius fervebat, animum actusque deflectit. Omnes enim, ut dictum est cognoscimus, quia frigidum vel calidum facile in corpus trajicitur, tepidum autem cum magna nausea et vomitu ab ipso etiam ore projicitur Os Dei sunt prædicatores sancti, unde sæpe prophetæ dicebant : Os enim Domini locutum est hoc, quia sanctitas tanta erat in illis, ut in eorum cordibus Deus habitaret, et per eos loqueretur. Ora ergo Dei sunt evangelistæ, et cæteri doctores, per quorum ministerium quotidie Deus in corpus suum, quod est Ecclesia, trajicit, et calidos, id est ferventes dum meliores adhuc efficiuntur per divinam prædicationem, et frigidos, id est infideles, quando quilibet vel Judæi vel pagani ad ejus fidem convertuntur, et numero sanctorum sociantur. De hoc esu et Petro dicitur : *Occide et manduca* (*Act.* x, xi). Tepidos autem non convertunt, quia eorum verba despiciunt, dum in sua securitate torpescunt Quos et exhortari, desistunt, et veluti infructuosam terram deserunt, quia ad meliorem vitam nequaquam posse reformari conspiciunt : facilius est enim quemlibet paganum ad fidem Christi adducere, quam talium quemlibet a suo torpore ad fervorem spiritus revocare.

Quia dicis quod dives sum. Multi sunt qui hoc dicunt, dives sum in fide, quia Dominus dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (*Marc.* xvi). *Et locupletatus* sum. Quia et recte doceo, et malis operibus non servio. Alius dicit : *Nullius egeo*, quia recte credens non solum mala non perpetrat, sed etiam bona quælibet, licet non propter Deum, facit; unde et adhuc subditur : *nescis quia tu es miser*, dum temetipsum decipis, quia putas te salvari per fidem solummodo, cum scriptum sit : *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (*Jacob.* ii). *Et miserabilis.* Quia nec illud intelligis quod semetipsum deludis ; *Pauper*, quia non habes opera quibus diteris in cœlo, neque etiam rectam scientiam ; *Nudus*, quia spoliatus es virtutibus ; *Cæcus*, quia non habes lumen scientiæ. Verum quia Dominus misericors est, etiam tales ut ad fervorem redeant hortatur, cum subjungit :

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatumque. Per aurum ignitum, id est igne probatum, debemus intelligere Dominum Jesum Christum, qui probatus est igne passionis, sputus, flagellatus, derisus, ad ultimum crucifixus et mortuus, tamen hæc omnia patienter ferens orabat pro persecutoribus suis dicens : Pater, *ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* vii). Dicitur ergo cuilibet : *Suadeo tibi emere.* Eme aurum, id est, si vis virtutibus abundare, studeto imitari Christum, sive cum a Deo flagellaris, sive cum a proximis illata mala sustines, ut et ipse fias aurum incendio tribulationis decoctum, juxta illud Psalmistæ (*Psal.* lxv) : *Probasti nos*, inquit, *Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.* Et iterum : *Transivimus per ignem et aquam. Ut locuples fias*, id est, ut multis virtutibus abundes. *Et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ.* Vestimenta in hoc loco intelliguntur innocentia baptismatis et ornamenta virtutum, fidei scilicet et charitatis, cæterorumque bonorum operum, quibus operitur confusio nuditatis, id est tepor pristinæ conversationis. Possumus quoque per aurum igne probatum intelligere charitatem, quam qui habuerit, locupletabitur, quia omnibus virtutibus abundabit. Ipsa est enim radix omnium bonorum quæ igne probatur, quia per amorem spiritus veraciter accenditur, quam qui habuerit, vestimentis albis induetur, quia peccatorum nigredine purgatus, per eamdem charitatem quæ operit multitudinem peccatorum, multis virtutibus decorabitur. Alba dicitur charitas, quia peccatorum maculam aut aliquam duplicitatem habere non novit. *Et collyrio inunge*

oculos tuos, ut videas. Per collyrium, quod ex terra nascitur et pulverem terræ ab oculis aufert, debemus intelligere Dominum Jesum Christum, qui natus est de terra, hoc est de Maria virgine, juxta illud : *Deus noster operatus est salutem in medio terræ (Psal.* LXVII). *Collyrio inunge oculos tuos*, id est imitare paupertatem Filii Dei, qui, cum dives esset, pauper pro nobis factus est, in tantum ut non haberet sicut vulpes ubi caput reclinaret. Unde in hospitio natus est, vilissimis pannis obvolutus et in præsepio positus, quia non erat ei locus in diversorio. *Collyrio unge oculos tuos ut videas*, id est quia oculos tuæ mentis terrenæ clauserant, et excæcaverant delectationes, Redemptoris tui egestatem considera, et sic evigila ad sanctorum futura præmia. Hinc ipse in Evangelio dicit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Vel certe per collyrium quo illuminantur oculi, possumus intelligere divina eloquia, quibus mentis oculi illuminantur, juxta illud : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos (Psal.* XVIII). *Collyrio unge oculos tuos*, id est adhibe præcepta divina mentis oculis, ut virtutum lucem, quarum pateris nuditatem videas, et videns per bona opera operire festines, ut postmodum Deum videas. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth.* V). Cum enim quilibet superna aspiratione per singulas Scripturarum paginas, quod Dominus jusserit legendo, audiendo, ad mentem revocat, videt nimirum quantum ex virtutibus minus habet, vel certe si ex toto nihil habet : sicque quasi ex unctione collyrii reparatur ad videndum clarius, dum per Dei verbum illuminatur intrinsecus. Qui vero ad usus necessarios reservatur, jugo et loris domatur, stimulis pungitur, verberibus cæditur, et ægro cujus vita desperatur, quidquid animo concupierit, etiam saluti ejus contrarium a medico non negatur, imo conceditur. Cujus vero recuperanda salus æstimatur, quæque sunt animo ejus desiderabilia salutique contraria omnino negantur.

Ego quos amo arguo et castigo. Multis modis Deus omnipotens, misericors et miserator arguit et castigat quos amat, ideoque libenter ejus toleranda sunt verba et verbera. Aliquando hoc agit per flagella, aliquando per occultam et divinam inspirationem, seu quibuscunque et variis tribulationum et angustiarum effectibus, hinc per Salomonem dicitur : *Quem enim diligit Dominus corripit* (*Prov.* III), flagellat autem omnem filium quem recipit, facitque Dominus hoc, si humana comparanda sunt divinis, more piissimi patris duos filios habentis, quorum unum quem vult sibi substituere hæredem, diversis modis flagellat, aut cibo aut potu excommunicat, aliquando etiam vinctis pedibus tota nocte immobilem stare facit, incessantibus contumeliis afficit, et aliquando veluti extraneum alieno obsequio subdit. Aterum vero quem sibi hæredem non destinat futurum, suæ voluntatis esse permittit, comedendi et bibendi licentiam tribuit, ad ambulandum quocunque voluerit liberos gressus concedit. Ita et omnipotens Deus facit, justos per innumera tormenta et varias tribulationes affligit, ut postmodum in cœlo requiescant, et hæreditatem æternæ beatitudinis consequantur. Econtra, reprobos in suis voluptatibus remanere permittit, juxta illud : Dimisit eos secundum desideria cordis eorum (*Rom.* I). Reprobos itaque qui nunc mundi desideriis et voluptatibus dediti sunt, æterna exspectant supplicia : justi vero qui nunc flagellis temporalibus atteruntur, ab æterno sunt verbere liberandi, quia et vitulus qui occisioni præparatur, liberius pascuis saginari permittitur : licet autem hoc Dominus multis modis agat, cum quinque sunt modi specialiter, quibus a Domino flagellantur homines. Aliquando ad augmentanda merita, sicut Job et Tobias ; aliquando ad custodiam virtutum, ut Paulus; aliquando ut peccata præterita corrigantur, sicut paralyticus, cui dictum est : *Ecce sanus factus es, vide ne pecces, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V); aliquando non ut emendentur, sed ut duplici pereant perditione, ut Antiochus et Herodes, de quibus dicitur : *Duplici contritione contere eos, Domine (Jer.* XVII); aliquando ut Dei gloria per hoc ostendatur manifesta, sicut Lazarus et cæcus natus. Sed electi quocunque modo flagellantur, meliores efficiuntur ex flagello, unde et exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Æmulare ergo et pœnitentiam age.* Æmulus studiosus, et æmulus invidus, et æmulus imitator dicitur, hic autem pro imitatione ponitur. Erant enim in eadem Laodicensium Ecclesia quos Christus flagellaverat : ideoque ut eos cæteri imitarentur hortatur, acsi eis diceretur : Dum quoslibet ex vobis flagellari conspicitis, eorum imitamini patientiam, sustinentes patienter flagella in præsenti, ut postea consortium mereamini. Et age pœnitentiam propter hoc quod dixisti : *dives sum et nullius egeo*, etc.

Ecce sto ad ostium et pulso. Cum Deus omnipotens ubique per præsentiam suæ divinitatis et cœlum et terram impleat, quid hoc loco per ostium intelligere debemus, nisi intelligentiam cordis ? Stat ergo Dominus ad ostium et pulsat, quando cor hominis, sive per internam inspirationem, sive per prædicatorum doctrinam illuminat. Pulsantem autem illum audit, quisquis illius monita opere custodit. *Si quis* ergo, inquit, *audierit vocem meam*, vel ipse divina eloquia legendo, vel ab aliis exponendo, *et aperuerit mihi januam* cordis sui, ut ea quæ intelligit opere perficiat, *intrabo ad illum*, id est illuminabo secreta illius, *et cœnabo cum illo, et ipse mecum*. De hoc in Evangelio loquitur, dicens : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan.* XIV). Si autem quærimus quid sit cibus Christi, quo eum reficimus, ipse utique manifestat qui dicit: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris mei (Joan* IV). Unde legimus in Evangelio : quia appropinquans passioni, dixit discipulis suis : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (Joan.* XIV). et quasi diceret aliquis : Cur ergo morieris, statim subjungit : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Pa-*

icut mandatum dedit mihi Pater, sic faciam, A *amus (Joan.* XIV). Voluntatem itaque Patris , quando pro nobis ad mortis passionem per- ena dicitur communis refectio, quia κοίνον icitur commune. Item cœnat itaque cum caput, et membra cum capite, quia et Chri- tuus est pro electis, et electi moriuntur cum t ipsi perficiant voluntatem Patris. Pascit stus, quia illuminat nos fide sua. Pascimus cissim Christum, quia lætificamus eum nos ra et opere. Dicatur itaque : *Si quis audierit eam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad cœnabo cum ipso, et ipse mecum*, ac si dice- ui operando et amando sermones meos fue- utus, et ad percipiendam meæ divinitatis em dilatatus, hunc per internam gratiam B , irradiabo et cœnabo cum illo, et ille me- ia in faciendo voluntatem Patris, et ego ipse meis compassionibus concorporatus delectabitur.

icerit, faciam illum sedere mecum in throno ia thronus est sedes judicis. Per thronum ia designatur potestas, in qua venturi sunt d judicium cum capite suo ; dicatur ergo : rit tentamenta diabolica et desideria carnis iam illum sedere in throno meo, id est, fa- um regnare et in judicio judicare. *Sicut et* diabolum, *et sedi cum Patre meo in throno* cit ipse diabolum, quia sicut legimus in lio, tentavit eum tribus modis, sed superatus lo. Unde *et angeli accedentes ministrabant ei* C IV). Vicit Judæos, qui eum morti tradiderunt, post tres dies devicta morte resurrexit in n victurus. Sedet et in throno Patris, id est, lis illi et coæternus manet in eadem potentia. veat quemque quod unus thronus judiciaria intelligitur, cum in Evangelio legimus Do- icente discipulis : *Vos qui secuti estis me* XIX), etc. In sequentibus quoque libri hujus viginti quatuor thronos, duodenarius enim us XXIV reddit. In quo numero comprehendun- es patriarchæ, et apostoli, omnesque perfecti, Domino venturi sunt ad judicium. Nam in im patriarchis omnes Patres perfecti in Testamento comprehenduntur : per duodecim os omnes in Novo, sicut per duodecim tribus D omnes gentes. Dicitur itaque unus thronus riter, propter unam potestatem judiciariam. ir duodecim propter perfectionem electorum icaturi sunt. Dicuntur viginti quatuor, pro- s qui in utroque Testamento perfecti cum ad judicium sunt venturi. Sed cum constet n omnes qui vincunt, in judicio cum Domino sunt, sed tantum perfectiores, merito quæri- re hic Dominus promittat, qui vicerit, fa- lum sedere in throno meo : et ut apertius t, ponamus duos homines sub exemplo, quo- us passus est pro Christo, alter autem tantum m et incentiva carnis, mundanamque vicit conversationem, et sic ad æternam pervenit beatitu- dinem, nunquid ergo æquales erunt in futuro, qui non æqualiter vicerunt in præsenti? Non utique quia *stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV). Verumtamen sciendum est, quia quod illi tales et cæteri non habebunt in se, habebunt in prælatis suis. Qui ergo per se non judicabunt, judi- cabunt utique per suos præpositos. Tanta enim erit in illis charitas, ut quod quisque viderit in al- tero, suum deputet. Ideoque quod non habebit in se, habebit in altero, sicque omnes electi potestatem habebunt in prælatis, sicut etiam habet potestatem totum corpus hominis loqui per os, videre per ocu- los, audire per aures, odorari per nares, operari per manus, cum singula membra habeant officia sua, quia quod unumquodque membrum non habet in se, habet in altero. Sed ut ad hanc dignitatem perveniat Ecclesia, in hac interim peregrinatione humiliata gemit, nec quærit celsitudinis culmen, ubi tota vita sanctorum humiliationis obtinet no- men.

Qui habet aurem, id est intelligentiam cordis, *au- diat*, id est intelligat *quid Spiritus dicat Ecclesiis*. Hic aperte monstratur, quia quod unicuique Ecclesiæ dictum est, omnibus Ecclesiis generaliter convenit Notandum autem quod non dicit angelus, audiat quid Filius dicat ecclesiis, cum specialiter in per- sona illius apparuit, sed quid spiritus dicat. In quo nomine trinitas tota intelligitur, quia quorum una est substantia, una operatio, una et locutio est. Quod enin nomine spiritus tota significetur trinitas, Do- minus in Evangelio manifestat, dicens : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV). Aliquando autem Filius Dei loquitur de sua divinitate specialiter. Unde est : *Oportet Filium hominis pati, crucifigi, mori et sepe- liri* (*Matth.* XXVI), quod solummodo ad eum pertinet, quamvis et hæc sine Spiritu dici non possint. Hic autem ex persona deitatis loquitur. Ideoque verba Filii verba sunt Patris et Spiritus sancti.

CAPUT IV.

Post hæc vidi. Mos est prophetarum antiquorum visionis suæ tempora describere per reges, et nu- merum annorum, et mensium, et etiam dierum. D Unde Ezechiel dicit : In anno quinto, transmigra- tionis Joachim, in mense quinto decima die mensis factum ad se verbum Domini. Similiter Daniel, anno tertio regni Nabuchodonosor, etc. Iste autem novus propheta tempus suæ prophetiæ nequaquam descri- bit per tempora, id est per annos aut menses, sed tantum mentionem facit unius diei, cum dicit : Fui in spiritu in die Dominica, unde datur intelligi, quia omnem hanc prophetiam una die vidit. Ideoque quod dicitur, post hæc vidi, non ad vicissitudinem temporum referendum est, sed ad ordinem visio- num. Postea scilicet quam superius viderat, vidit et ista quæ sequitur. Vidit autem hoc non corporeo intuitu, sed mente, sicut post videbimus. *Et ecce*

ostium apertum in cœlo. Cœlum in hoc loco Ecclesiam significat. Dicit enim Dominus per prophetam : *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* I). Salomon quoque dicit : *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII). Si ergo anima justi sedes est sapientiæ, quæ Christus est, juxta quod Paulus dicit (*I Cor.* I), Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, et cœlum sedes est Dei, utique Ecclesia est cœlum in quo ipse sedet. In hoc cœlo, id est in Ecclesia est ostium hoc apertum, id est Christus, qui dicit : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur*, etc., usque *pascua inveniet* (*Joan.* X). Nemo enim venit ad Patrem, nisi per ipsum, per quem ingreditur ad fidem. Egreditur a fide ad speciem, et inveniuntur pascua æternæ refectionis. Hoc ostium prius erat clausum, quia ante adventum ipsius, ejus mysteria latebant omnibus, nisi tantummodo prophetis qui per Spiritum sanctum illuminati, videbant ejus incarnationem, passionem, mortem et resurrectionem, quia eadem mysteria jam erant revelata per totum orbem, per prædicationem cæterorum apostolorum. Vidit autem Joannes hoc ostium dupliciter, vel oculis scilicet corporeis vidit hæc omnia, utpote qui illi adhærens, miracula illius vidit quando mortuos suscitavit, illuminavit cæcos, et his similia præsente illo complevit. Ad novissimum quando mortuus est, et matrem ejus virginem in suam curam suscepit, vel oculis mentis, sicut in hac prophetia aperte ostenditur. *Et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum dicens* : Vox prima quam audivit Joannes, Vetus Testamentum intelligitur, ubi mysteria Christi Ecclesiæque sunt prædicta. Omnia enim quæ in hac prophetia vel jam impleta, vel in proximo complenda cognovit, ante in lege et prophetis cæterisque Scripturis Veteris Testamenti sunt prænuntiata. Quæ vox bene tanquam vox tubæ fuisse dicitur, quia per ora prædicatorum sonuit, quibus dicitur : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII). Tubis quoque Judæi utebantur in prælio, et nos sacra Scriptura admonet in bello, dum pugnamus contra diaboli tentamenta et contra incentiva carnis nostræ. Sed videamus quid ipsa vox dixerit : *Ascende huc*, id est, ad ostium. Omnis enim Scriptura Veteris Testamenti ad mysteria Christi contuenda nos invitat. Unde est illud Michææ : *In novissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes* (*Mich.* IV). Mons iste Christus est, quem vidit Daniel præcisum sine manibus, qui crevit et implevit universam terram (*Dan.* II). Domus autem Jacob Ecclesia est fidelium. Hoc est itaque Joannem ad ostium apertum ascendere, quod Ecclesia ad montem, id est, ad Christum confluere. Dicatur itaque Joanni, et in illo omnium choro doctorum : Ascende huc, non gressibus corporis, sed gressibus mentis et fidei, et vide in Christo jam omnia completa, quæ prius sunt per prophetas prænuntiata. *Et ostendam tibi quæ oportet fieri cito*. Id est, in præsenti tempore, quod æternitati comparatum, brevissimum horæ momentum est. Sciendum vero, quia in eo quod dicitur : Ostendam tibi quæ oportet fieri cito, non quod jam non essent denegatur, sed quoniam deinceps mansura essent declaratur. Dignitas enim Ecclesiæ jam exaltata erat, quando Joannes ista cernebat, quæ usque in finem sæculi, quo cum Domino ad judicandum ventura est, hac sententia perduranda monstratur.

Post hæc statim fui in spiritu. Non est ita intelligendum, quod spiritus ejus a corpore fuerit ablatus, et sic viderit istam visionem, sed sicut jam superius dictum est, mente totum hoc vidit. Vis enim Spiritus sancti sublevavit mentem illius, ad contemplanda mysteria cœlestia, nihilque per corpus vel vidit vel audivit, sed a Spiritu sancto in extasi raptus. id est ductus est ut ea videret et audiret, spiritualiter audiens retineret, possetque ea scribere et ad posteros mittere. Si vero ad electos referre volumus, spiritualis in hoc eorum conversatio declaratur, quibus per Paulum dicitur : Non estis in carne, sed in spiritu. Et alibi : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis* (*Galat.* V). *Et ecce sedes posita erat in cœlo*. Si sedes est Ecclesia, sicut supra dictum est, anima justi sedes sapientiæ, et cœlum etiam ipsa Ecclesia, videndum est quemadmodum sedes sit in cœlo, quod ita simpliciter dicere possumus, quia Ecclesia quæ est sedes Dei, licet in hac adhuc carne versetur, tamen jam mente cœlum inhabitat. Juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Et aliter præsens Ecclesia quæ adhuc corpore peregrinatur a Christo, in cœlo est mente, quæ jam regnat cum illo. Sed melius est ut subtilius hæc verba perscrutemur, quod exemplo Veteris Testamenti melius videbimus, in quo legimus octo animas in arca diluvii tempore salvatas. Quo in loco octo animæ multitudinem significant fidelium, arca quoque universalem Ecclesiam. Sicut itaque ibi, quod est arca, hoc sunt octo animæ, et quod octo animæ, hoc est arca, id est, generalis Ecclesia, ita et hic, quod est sedes, hoc est cœlum, et quod cœlum, hoc est sedes. Sic itaque dicitur, sedes posita erat in cœlo, quasi dicatur Ecclesia in Ecclesia. *Et supra sedem sedens*. Consuetudo est istius prophetiæ, ut aliquando per sedentem Deum Patrem intelligat, aliquando Deum Filium, Patrem quippe ibi sessorem intelligi vult, ubi dicit : vidi in dextera sedentis librum apertum, dexteram scilicet sedentis in throno Filium appellans, per quem facta sunt omnia, ipsum vero sedentem Deum Patrem intelligens. Hic autem per sedentem debemus intelligere Dominum Jesum Christum, sicut sequentia verba aperte docebant. Superius legimus quod viderit ambulantem similem Filio hominis in medio septem candelabrorum aureorum, hic autem dicitur quod viderit eum sedentem. Ambulat itaque Dominus in medio electorum suorum, quando dona gratiæ suæ illis diffundit, sedet vero quando singulorum merita dijudicat. De quo subditur :

Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Id est, vultus et facies ejus similis erat

aspectui lapidis jaspidis et sardinis. Per lapidem jaspidem, qui utique viridem colorem habet, debemus intelligere claritatem divinitatis Dei Filii, in cujus contemplatione constat satietas et summa refectio omnium sanctorum. Unde est illud : *Per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet* (*Joan.* x). Hæc enim erit remuneratio electorum, scilicet Dei vultus, in cujus visione satiabuntur omnibus modis. Unde est : *Oves meæ vocem meam audient, et ego vitam æternam do eis* (*Ibid.*). Sardinis autem lapis terræ rubræ similitudinem habet, et idcirco per eum humanitas Filii Dei signatur, quæ rubore sanguinis perfusa est tempore passionis, unde et angeli interrogantes aiunt: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torcular?* (*Isa.* LXIII.) Qui itaque habet virorem in divinitatis claritate, habet etiam ruborem in humanitate, per quam et Adam, qui rubra testa interpretatur, ad cœlestia revocavit. Aliud est enim quod viret, et aliud quod rubet. Sed hoc tantum non duo, sed unus, quia unus homo et Deus ex duabus constat naturis. Perfectus enim Deus, perfectus est et homo, et ideo quod in eo viret, potentiæ est, quod rubet misericordiæ. Et qui ex eo quod viret, nos creavit : ex eo quod rubet, nos redemit. Possumus et per hos lapides Ecclesiam intelligere, quæ virorem jaspidis habet in contemplatione Dei manens, atque ideo jam hujus mundi prospera pro nihilo deputat, dum pascuis æternæ viriditatis inhæret. Cui in Canticis canticorum dicitur : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam* (*Cant.* VIII). Habet quoque et sardium, qui lapis, ut diximus, rubrum habet colorem, quoniam electi ne divina extollantur visione, fragilitate humanitatis monentur. Unde et Danieli vel Ezechieli divina mysteria contuentibus angelus dicit, Filii hominis, ac si eis diceret : Et claritatem supernæ gratiæ aspicitis, tamen memores estote quia homines estis, et de propagine hominis peccatoris descendistis, ideoque ex humana infirmitate rubra terra estis. *Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.* Ἶρις Græce, Latine dicitur arcus. Arcus autem in die pluviæ paret, et est signum propitiationis, dicente Domino tempore diluvii ad Noe : *Ponam arcum meum in nubibus, et recordabor fœderis mei* (*Gen.* IX). Quid itaque per arcum debemus intelligere, nisi Dominum Jesum Christum ? Quod certe si solerter inspicitur, effectus ipsius iris indicare videtur. Nam ingreditur radius solis in nubem imbriferam, et sic formatus est arcus, quod utique valde Christo congruit. Ipse est enim sol per divinitatem, de quo scriptum est : Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. Radius istius solis, id est claritas lucis æternæ ingressa est nubem, quando in utero virginis accepit carnem. De hac quippe nube per prophetam dicitur : *Ecce Dominus ascendit super nubem levem et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX). Quæ nubes, id est, caro Domini, recte imbrifera dicitur, propter multitudinem scilicet doctrinarum. Est autem arcus signum propitiationis, quia videlicet in Christo omnis nostra salus et propitiatio consistit. Unde angeli in ejus nativitate pacem annuntiaverunt, dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Et ipse ascendens ad Patrem, dicit discipulis suis : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Unde irin si additur una littera in Græco, id est, i, ut irini dicatur, hoc ipsum sonat, quia εἰρήνη pax dicitur. Iris itaque erat in circuitu sedis, quia ipse est corona et protectio sanctorum suorum. Nam et in arcu duo sunt principales colores viridis scilicet, id est aquosus, et rubeus. In quibus nimirum designatur aperte aqua baptismatis et sanguis redemptionis, vel gratia Spiritus sancti. Per hæc enim duo ab omnibus emundamur peccatis. De quibus duobus mysteriis tota Ecclesia cingitur, et per hæc in novitatem gratiæ Dei renovatur. Vel per hos duos colores possumus intelligere duo judicia : unum quod factum est per aquam : atque aliud quod faciendum est per ignem. Sive per nubem imbriferam possumus intelligere sanctos, qui pluunt verbis, coruscant miraculis, et claritate superni luminis irradiati et illustrati piissimis supplicationibus pro nobis justitiam conditoris ad pietatem inflectunt, sicut Moyses, qui intercedens pro populo Israel, dicebat : *Aut dimitte eis hoc peccatum, aut dele me de libro tuo* (*Exod.* XXXII). Quod autem sequitur : Similis visioni smaragdinæ, quia smaragdus lapis est viridis coloris, per hunc lapidem sicut et supra per jaspidem divinitas Filii Dei exprimitur, per quem tota Ecclesia mundatur et gubernatur.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes. Dominus in Evangelio duodecim tantum thronos, super quos duodecim testatur sessuros in judicio apostolos dicens: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), quare ergo Joannes viginti quatuor commemorat? Nimirum propter geminum Testamentum, Vetus scilicet et Novum. Dicuntur itaque duodecim propter dignitatem apostolicam. Dicuntur et viginti quatuor propter Patres utriusque Testamenti, qui cum Domino venturi sunt ad judicium. Nam et in duodecim tribubus Israel omnes gentes intelliguntur. In duodecim apostolis omnes perfecti, qui exemplum apostolorum in præsenti vita sunt secuti, sicut in Petro cæteri apostoli et prædicatores acceperunt claves regni cœlorum. Est quoque unus thronus, sicut supra legimus, id est una judiciaria potestas : sunt et viginti quatuor, propter numerum prophetarum, et apostolorum cæterorumque fidelium. Ipsi quippe erunt sedes in quorum cordibus Deus sedebit, ipsi et sedebunt, quia et alios judicabunt. Unde et Psalmista : *Illic sederunt sedes in judicio* (*Psal.* CXXI). De quibus adhuc subditur : *Circumamicti vestimentis albis.* Hoc enim non solum ad apostolos pertinet, sed et generaliter ad omnes qui vestimenta baptismatis inviolata a capitalibus criminibus custodiunt. Baptizati enim Christum sunt

induti, juxta illud Apostoli : *Quotquot baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III). Ipsique habent vestimenta alba, si inviolata servant baptismatis sacramenta. *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Vidi subaudis. Quia victores accipiunt coronam quando triumphant de hostibus, non immerito per coronas sanctorum regnum et remuneratio intelligitur eorum, qui de mortis auctore triumphant. Sed sicut in illo sedentes judicant, ita per illum victoriam possident, qui dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Potest et sub alio intellectu eadem Ecclesia figurari in viginti quatuor senioribus. Constat enim hic numerus ex senario et quaternario, quia quater seni viginti quatuor sunt. Senarius refertur ad operationem, quia sex diebus Deus omnipotens omnia opera sua perfecit, et sexto die atque sexta hora hominem redemit. Quaternarius vero ad quatuor libros sancti Evangelii pertinet. Quia ergo sancta Ecclesia sive in Veteri Testamento sive in Novo, Dei operationem recolit, et veneratur, et libros sancti Evangelii custodit, et recte in viginti quatuor senioribus comprehenditur, vel certe propter viginti quatuor libros Veteris Testamenti, quibus utitur secundum canonicam auctoritatem, in quibus Novum Testamentum, et ea quæ in eo completa sunt prænuntiata cognoscit. Unde et Evangelista dicit (*Marc.* XV) de duobus latronibus qui cum Domino sunt crucifixi : ideo hoc factum, ut impleretur Scriptura, quæ dicit : *Et cum iniquis deputatus est* (*Isa.* LIII).

Et de throno procedunt fulgura, et voces, et tonitrua. Thronus Dei ipsa est electorum Ecclesia, de qua procedunt fulgura, id est signa miraculorum, de quibus dicitur : *Illuxerunt fulgura tua orbi terræ* (*Psal.* LXXVI). Quæ bene fulgoribus comparantur, quia terrent et illuminant. Fulgura etiam ex nubibus descendunt. et sancti ipsi sunt nubes, qui pluunt verbis et coruscant miraculis. Emittunt quoque voces et tonitrua, id est verba prædicationis et comminationis dicentes : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* XIX). Unde est : *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* LXXVI). Et quia de sede dicit : Procedunt fulgura et voces et tonitrua, cum hæc non sedi, sed nubibus conveniant, ipsam sedem nubem vult intelligi de qua imbres, fulgura et tonitrua procedunt. *Et septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei.* Septem autem spiritus dicuntur cum unus sit, propter septiformem gratiam, quæ super Dominum requievisse narratur, dicente propheta : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Bene autem lampadibus comparatur Spiritus sanctus, quia ad Dei amorem sanctos accendit, et lumine fidei illuminat, ne foveam erroris incurrant. Lampas quippe Græce, flamma dicitur Latine, neque alibi nisi ante thronum lucet, quia videlicet Spiritum sanctum habere non possunt, quicunque extra Ecclesiam sunt, sicut hæretici. Unde et in canonibus dicitur, ut si tales iterum Ecclesiæ conjungi per rectam fidem voluerint, accipiant manus episcoporum impositionem, quatenus sic possint recipere Spiritum sanctum quem perdiderunt.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Mare appellat luterem, legimus enim quod Salomon fecerit mare, id est luterem. Per mare autem debemus intelligere baptismum, testante Apostolo, qui dicit : *Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* X). Vitro autem comparatur quod perspicuum est metallum, propter puritatem fidei, quæ in baptismo demonstratur, cum baptizandi credere se in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum fateantur. Mare vitreum intus et foris splendet, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Notandum autem quod idem mare simile crystallo dicitur. Crystallum enim ex aqua nascitur, et multo frigore durescit ad lapidem ; ita et sancti per tribulationem præsentis vitæ ad firmitatem perducuntur. Ante thronum igitur sunt septem spiritus Dei. et mare vitreum simile crystallo, quia in Ecclesia tantummodo ardet Spiritus sanctus, et Trinitatis baptisma tribuitur. Ideoque fides electorum manifestatur, vitaque illorum conflatur, et a sordibus vitiorum purgatur. *Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia, ante et retro plena oculis.* Nulli dubium, quin hæc animalia Dominum Jesum Christum significent, et omnes sanctos, præcipue quatuor Evangelistas, qui in medio sedis et in circuitu esse dicuntur, quia incipientes ab Jerusalem prædicando pervenerunt usque ad fines terræ. Jerusalem quippe in medio est orbis terræ, sicut per prophetam testatur Dominus : *In medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras* (*Ezech.* V). Per oculos autem animalium, divinarum Scripturarum sacramenta significantur. Plena ergo sunt oculis animalia, quia quot sunt scripturarum eloquia, quasi tot sunt sanctorum lumina, quibus illi corda suorum illuminant auditorum. Ante et retro oculos habent, quia tam de his quæ facta sunt, quam de iis quæ facienda sunt, loquuntur. Hæc enim orationis particula aliquando pro præterito ponitur, ut est illud : *Antequam Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* VIII). Aliquando vero pro futuro, ut est illud Apostoli : *Unum quod retro est obliviscens, in ante me extendo* (*Philip.* III). Ante itaque et retro animalia plena sunt oculis, quia perfecte Veteris ac Novi Testamenti universa continent sacramenta, quæ scilicet principaliter trium temporum causas enarrant, id est præteriti, præsentis et futuri. Et alia quidem prædicta, alia autem jam impleta, alia vero adhuc implenda pronuntiant : prædicta scilicet mysteria Dominicæ incarnationis, impletam jam ejusdem Redemptoris nostri dispositionem, implendam vero justorum atque impiorum separationem. Concordant autem sibi isti oculi, quia quod lucet in Veteri Testamento, hoc fulget in Novo. Vel certe animalia ante et retro oculos habent, quia omnes electi redemptorem suum et judicatum in primo humilitatis suæ adventu, et judicaturum in

secnndo celsitudinis suæ semper attendunt. Cum etiam quilibet electi verbis Evangelistarum edocti, præterita peccata recolentes deflent, et quæ subsequi possunt, sollicite præcavent, ante et retro animalia oculos habent. Multa hinc dici possunt, quæ brevitati studentes omittimus.

Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Mirum valde est quare Joannes alio ordine hæc animalia ordinat quam Ezechiel, primum ponens leonem, cum ille primum faciem hominis posuerit. Ad quod dicendum est, quia prophetia non servat ordinem historiæ : quod si faceret, jam non prophetia, sed historia esset. Quod ex libris prophetarum facillime cognoscitur, e quibus ut unum ponamus pro omnibus, perspiciendum est quod idem propheta Ezechiel, cum superius dixerit ad se factum verbum Domini anno vigesimo sexto, deinceps loquens contra Pharaonem regem Ægypti undecimo anno eamdem prophetiam ad se factam dicit. Spiritus enim sanctus locutus est prophetis sicut voluit, et quando voluit, ideoque non est ibi requirendus sermonis ordo, sicut in libro Genesis, vel Regum, et in cæteris historiis. Primum ergo Ezechiel faciem hominis, id est Matthæi ponit, servans ordinem historiæ. Qui idcirco per hominem intelligitur, quia humanitatem Filii Dei describit in tempore, dicens : *Liber generationis Jesu Christi.* Deinde Marcus per leonem intelligitur, quia a clamore inchoat, veluti leo dicens : *Vox clamantis in deserto.* Tertium ponit vitulum, id est Lucam, qui a sacerdotio cœpit, dicens : *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidam;* qui etiam maxime circa templum versatur, a quo et Evangelium suum ita terminat : Quia *erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum.* Quarto loco ponit aquilam, quæ utique Joannem significat, qui a divinitate cœpit, quoniam Christus prius natus est ut homo, deinde prædicavit, et terribilem vocem emisit ut leo, et sic passus est ut vitulus, ac postmodum ascendit ad cœlos ut aquila. Ideoque in hoc ordine ordo servatur historiæ. Joannes vero primum ponit leonem, quia Christus jam surrexit a mortuis, quia videlicet non ideo crediderunt in Christum populi, quia natus est ut homo, aut quia passus est ut vitulus, sed quia resurrexit a mortuis ut leo. Hinc Paulus dicit : Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus, ac si diceret : Non jam in animalibus hominem mortuum, sed leonem attendimus post mortem in æternum victurum. Unde in sequentibus legimus: *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v). Et Jacob in persona illius loquitur Judæ : *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo, et quasi* catulus leonis, *quis suscitabit eum ?* (Gen. XLIX). Nam dicunt qui de natura bestiarum disputant, quod leo non clausis oculis dormit, et Christus mortuus est ex humanitate, tamen vigilavit et impassibilis mansit divinitate. Dormiens quoque leo nascitur, et ad vocem patris excitatur, ita et Christus voce Patris excitatus est juxta illud Psalmi : *Exsurge gloria mea* (*Psal.* LVI), etc. Quia ergo inde creditur unde surrexit, bene Joannes primum leonem posuit. Primus itaque est in ordine homo et vitulus, sed primus in virtute leo. Leo quippe rex est bestiarum, atque ideo non immerito per eum Marcus intelligitur. Secundum ponit vitulum qui utique, ut dictum est, Lucam significat, quia vitulus hostia sacerdotum erat, et in templo offerebatur, et ipse in sua narratione maxime circa templum versatur. Tertium hominem, id est Matthæum, qui temporalem Christi describit nativitatem. Quartum aquilam, id est Joannem, qui in reverberatis oculis transcendens omnem altitudinem cœli, et ipsos etiam choros angelorum, divinitatem Filii Dei intuetur, dicens : *In principio erat Verbum* (*Joan* I). Hæc quatuor animalia significabant quatuor flumina paradisi, de uno fonte Christi in Ecclesia manantia. Similiter et quatuor circuli arcæ, quibus portatur Ecclesia. Significant quoque hæc quatuor animalia ipsum Dominum Jesum Christum, qui natus ut homo, passus est ut vitulus, surrexit ut leo, ascendit super omnes cœlos ut aquila. Designantur etiam per hæc animalia omnes sancti, nam unusquisque electus in quantum rationabiliter secundum voluntatem Dei vivit, homo est, quia homo est rationale animal, in quantum adversa istius sæculi æquanimiter tolerat leo, unde scriptum est : *Justus quasi leo confidens absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII). In quantum se mortificat cum vitiis et concupiscentiis vitulus. In quantum per mentis contemplationem cœlestia petit aquila.

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Alæ animalium significant duo Testamenta, quibus Ecclesia ad cœlestia supportatur : sed cum duo sint Testamenta, ejusdem Ecclesiæ spirituales alæ, propter geminum testamentum, quod in duodecim tribubus Israel, vel in duodecim apostolis invenitur, ipsæ alæ per binarium duodecies multiplicantur, et viginti quatuor alas reddunt. Bis enim duodeni viginti quatuor sunt. Aliter duodenarius numerus constat ex partibus septenarii, id est ex tribus et quatuor. Sive etiam dicamus, ter quaterni, sive quater terni duodecim fiunt, qui numerus sacratus est numero duodecim apostolorum. In ternario autem fides sanctæ Trinitatis intelligitur. In quaternario autem quatuor mundi partes. Ducatur ergo duodenarius per binarium, et efficiuntur viginti et quatuor. Quo numero summa electorum exprimitur, quibus fidem sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem prædicantibus, totus mundus ad cœlestia sustollitur. Possumus et has alas senas aliter intelligere. Prima ala intelligitur lex naturalis, secunda lex Moysi, tertia prophetæ, quarta Evangelium, quinta Epistolæ apostolorum, sexta canonica auctoritas, sive doctrina catholicorum virorum Hieronymi, Augustini cæterorumque sanctorum Patrum. His alis quotidie sancta Ecclesia sustollitur, et ad cœlestia sublevatur. Aliter senarius numerus pertinet ad omnem Christi operationem, quæ in sex die-

bus et sex hujus sæculi ætatibus peracta est, vel peragitur. Quatuor igitur ad nostram naturam pertinent, quæ ex quatuor humoribus constant. Quatuor ergo senis alis utuntur sancti, quia quandiu in hac vita consistunt, ea tantum possunt comprehendere, quæ per sex hujus ætates sæculi peraguntur. Hinc est quod apud Isaiam cherubin caput et pedes velare alis referuntur, quia videlicet sancti neque ea quæ fuerunt ante mundi constitutionem, neque ea quæ post finem sæculi futura sunt cognoscere possunt. Et Ezechiel adjungit, una similitudo ipsorum quatuor, quia videlicet unam fidem docent quadripartitum orbem. Et etiam in Evangelio uno inveniuntur quatuor, sicut in concordia textus aperte manifestatur. *Et in circuitu et intus plena sunt oculis.* Hæc animalia, sicut supradictum est, omnes sanctos prædicatores significant, qui in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia sua prædicatione et eos illuminant qui in medio Ecclesiæ consistunt, et eos qui in finibus terræ morantur. Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia per litteram simplices, et per spiritualem intelligentiam perfectiores instruunt. Quasi enim foris habebat oculos Paulus, cum dicebat quibusdam : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*I Cor.* III). Quasi intus habebat oculos cum alibi diceret : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia et in cogitatione et opere mundos se custodiunt, alios quidem perfectione fidei et operis informant. Quod utrumque Psalmista breviter comprehendit, dicens : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV). Quia videlicet Ecclesia interiora cordis sollicite in conspectu Dei mundare studet, et exteriora etiam sua irreprehensibilia custodire probatur, quatenus per utramque sententiam, et aliis pulchra sit foris et intus sibi. Vel in circuitu et intus pleni sunt oculis, quia fidem quam habent in corde foris manifestant ore, juxta illud : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Omnis Ecclesia quæ in his animalibus designatur, hoc facit die ac nocte, quia et in prosperis et in adversis sive etiam per continuum laudes Creatori suo agere satagit. Notandum autem, quia cum sancta animalia ter dixerunt : sanctus, sanctus, sanctus, ad singularem numerum redeunt, dicentia Dominus Deus omnipotens, quia licet trinitas sit in personis, unitas est in majestate, qui erat ante omnia sæcula, et qui est immutabilis, sicut Psalmista dicit : *Tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Et venturus est ad judicium, ut reddat unicuique juxta opera sua. Quo in loco quæstio oritur cur videlicet sancta animalia cum trinitatem præmiserint, subjungunt qui venturus est. Nostra quippe fides habet, quod in judicio solummodo persona Filii videbitur, quia in ea forma qua judicatus est judicabit : *et Pater* non *judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Sed sciendum est, quia licet persona Filii in judicio tantum videatur, tamen illic cum illo erunt pariter Pater et Spiritus sanctus in unitatis divinitate, et ipsa invisibilis Trinitatis natura, per assumptam Filii humanitatem judicabit reprobos.

Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum. In hoc loco animalia non generaliter universalem Ecclesiam significant, sicut supra, sed tantummodo quatuor evangelistas, qui dant gloriam et honorem et benedictionem omnipotenti Deo, quando omnia quæ a Deo perceperunt, ad ipsum referunt. Dabant gloriam et honorem Deo, cum dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, quia prædicabant et laudabant in his verbis deitatem, magnificentiam, æternitatem et dominationem. Sed quod illi faciebant, admonent utique ut et nos faciamus, laudantes Deum pro omnibus quæ ab ipso percepimus, videlicet ut quidquid habemus in gloria fidei et honoris, operationis et spei, et in benedictione supernæ remunerationis ad ipsum referamus. Paulus apostolus dicit : *Gloria et honor omni operanti bonum, Judæo primum et Græco* (*Rom.* II). Non quod a Judæo et Græco et gentili sit illud bonum, vel illa gloria, sed a Deo, quia ipse dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Et Apostolus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* I), etc. Itemque præcipitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Sedentem super thronum Christum debemus intelligere, ut supra Ecclesiæ suæ præsidentem.

Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum. Viginti quatuor seniores universalis Ecclesia intelligitur, tam in præpositis quam in subjectis plebibus. Procidunt viginti quatuor seniores, qui humiliant seipsos, et omne bonum suum ad illum referunt dicentes : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Nihilque de suis meritis præsumunt, sed omne bonum suum ab illo sciunt se habere. Unde et sequitur : Quia adorabant viventem in sæcula sæculorum. Adorant namque eum quando ex suis meritis et operibus non suam, sed illius gratiam quærunt. *Mittentes coronas suas ante thronum.* Quia coronam victores accipiunt, non immerito hic per coronas sanctorum triumphum et victoriam debemus accipere. Hoc est itaque coronas ante thronum ponere, quod est in faciem cadere et adorare. Ante thronum quippe electi suas coronas mittunt, quia quidquid virtutis et fortitudinis habent, ipsi in secreto mentis suæ tribuunt, a quo ut vincere possent diabolum et tentamenta suæ carnis, fortitudinem perceperunt. Hoc denique figuratum est, quando Domino Hierosolymam venienti, turba quæ illi obviam venit, palmas quibus victoria significatur, ante pedes asinæ super quam sedebat prostravisse legitur. Quod enim per palmarum ramos in via stratos, hoc

significatur per coronas ante thronum positas. Mittentes ante coronas dicunt :

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem. Gloriam Christus accepit, quando tertia die resurrexit a mortuis : honorem, quando quadragesima resurrectionis die elevatus est ad dexteram paternæ majestatis : virtutem, quando omnia ei subjecta sunt, sicut ipse testatur, dicens discipulis : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). *Quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Ac si dicant : Idcirco cuncta tibi, quæ a tuis geruntur, ascribenda sunt, quia ut esse possent, et ea quæ tua sunt agerent, a te acceperunt. Sed mirum est quod sequitur : Propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. Si enim erant, quomodo creata sunt ? Sed erant in prædestinatione omnipotentis Dei, et creata sunt in opere visibili, et quæ erant prius in artificis voluntate sine tempore, creata sunt secundum quod in arte creatoris disposita erant in tempore. Tale quid et Joannes in Evangelio suo ponit, qui cum dixisset : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), continuo subjecit : Quod factum est in ipso, vita erat. Et Paulus apostolus de electis : *Qui elegit,* inquit, *nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I), etc.

CAPUT V.

Et vidi in dextera sedentis in throno librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Sedentem in hoc loco debemus intelligere Deum Patrem : dexteram vero illius Filium, per quem omnia facta sunt. De quo Psalmista dicit : *Dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* CXVII), etc. Liber autem in dextera sedentis Vetus et Novum Testamentum significat. Qui bene in dextera sedentis fuisse dicitur, quia principalis intentio sacræ Scripturæ ad Christum pertinet; cujus nativitatem, mortem, resurrectionem, ascensionemque et secundum adventum ad judicium continet. De quibus omnibus ultro se quærentibus exempla offerunt. Idcirco autem Vetus et Novum Testamentum unus liber appellatur, quia nec Novum a Vetere, nec Vetus a Novo valet disjungi, sed quidquid prædictum est in Vetere, completum constat in Novo. Num Vetus Testamentum nuntius est et velamen Novi, Novum vero revelatio et adimpletio est Veteris. Qui liber bene intus et foris scriptus esse dicitur, foris scilicet propter Vetus Testamentum, intus propter Novum, vel foris propter faciem terræ, intus propter allegoricos sensus. Sive foris et intus, quia unum testamentum terram promittit, dicens : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis, et alia multa. Aliud interham regni cœlestis beatitudinem, dum dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Qui etiam liber septem sigillis ostenditur signari, id est sigillari. Septenarius numerus, ut sæpe dictum est, ad universitatem refertur. Per septem ergo sigilla plenitudinem obscuritatis et mysteriorum, quæ in Veteri latebant Testamento, debemus accipere. Unde et Habacuc dicit : Deus a Libano veniet, et sanctus de A monte umbroso et condenso. Mons quippe Libanus umbrosus et condensus, libri sunt Veteris Testamenti operti figuris allegoriarum, a quibus Dominus venire perhibetur, quia ibi prædictus fuisse cognoscitur. Sive septenarius numerus ad septiformem Spiritum sanctum refertur. Septem siquidem sigillis liber signatus est, quia videlicet omnis Scriptura per gratiam Spiritus ejusdem et data est et reserata. Unde et lex digito Dei, id est, Spiritu sancto descripta legitur. Et Dominus resurgens a mortuis, et aperiens sensum discipulis ut intelligerent Scripturas, dicit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Possumus et in septem sigillis septem modos locutionum intelligere, quibus omnis constat Scriptura. Aut enim indicativo loquimur, ut illud : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia* (*Isa.* XLVIII). Aut promissivo, ut : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum* (*Mich.* VI), etc. Aut imperativo, ut : Audi Jacob, servus meus. Et : *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI). Aut optativo ut : *Utinam attendisses verba mea* (*Isa.* XLVIII). Aut conjunctivo, ut : *Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis* (*Ex.* XIX). Aut infinitivo, ut : Intelligere et scire Dominum intelligentia est. Aut impersonali, ut : Quis loquetur potentias Domini ? Ipsa enim sacræ Scripturæ locutio, septiformis, quasi sub septem sigillis intelligentiæ continetur, dum per septem modos distinguitur. Inquirentibus enim nobis Scripturas, primus gestus rei textus nobis occurrit, quia videlicet, ea tantum C Scripturarum eloquia comprehendit, quæ nil mystice significant, sed tantum simpliciter rerum causas evolvunt, ut est : *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI). Secundus allegoricus gestus occurrit. Qui licet aliquid gestum narret, gestus tamen ille reputatur totus allegoricus, unde nec in usu frequentatur. Hinc est quod in omnibus finibus Israel puella quæritur regi David, et invenitur tam fervens, ut algentis senis membra calefaciat, calefactum tamen ad libidinem non provocet. Per quam designatur sapientia, quæ etiam in senibus non senescit, sed insuper eos igne divini amoris accendit. Ad hunc pertinet etiam modum, quod populus Israeliticus in deserto a serpentis percussu aspectu ænei serpentis sanabatur. Per quem Redemptor noster intelligitur in cruce suspensus, qui nos D a morsu diaboli liberans, beatæ immortalitatis remedia fidelibus tribuit. Hæc enim si ad litteram discussu tractentur, ludibria pro tempore putabuntur. Si vero mysteriis applicantur, magna insinuant sacramenta. Tertius modus utrque est historicus scilicet atque allegoricus, quo scribitur, quoniam Abraham duos filios habuit, qui, sicut Apostolus scribit (*Rom.* IV), duo significant Testamenta. Intra hunc modum et illum concludit, quo Isaac paterna devotione dispositus, ligna sibi bajulasse dicitur, sibi gulariter Christi passionem designans, quem Pater pro omnibus tradidit, propriamque bajulare passus est crucem. Quo etiam modo de latere dormientis

viri formata mulier. Ecclesiam significabat, ex latere Christi in cruce pendentis ædificandam. Quartus modus est, quo nobis aliquando proprie, aliquando vero mystice Creatoris nostri divinitas sacris intimatur opusculis. Proprie scilicet sicut Moysi dicit : *Ego sum qui sum, et sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (Exod.* III). Mystice vero, ut omnipotens Deus sicut plaustrum onustum feno stridere se dicit, cum gravia hominum peccata portare se indicat, vel sicut Isaias super solium excelsum et elevatum sedere describit Dominum, angelicas significans potestates, quas tibi ad quod voluerit subjecit. Quintus modus est parabolarum, qui tam relatu verborum quam actu conficitur operum, qui in tantum est multiplex atque occultus, ut non solum multa, quæ juxta litteram non possunt, admittat, verum etiam quibusdam in locis mysteria narraturus, testimonium de historia assumens, ipsum litteræ gestum immutet. Parabolis enim verborum hic modus conficitur, ex quibus est illud : *Ierunt ligna ut ungerent super se regem* (*Judic.* IX), etc. Neque enim ligna ambulare possunt, aut sibi regem constituere, sed aliud quoddam per congruam significationem metaphorice talibus Scripturarum sententiis profertur. Immutavit autem, ut dictum est, ipsius litteræ textus, aliquando propter mysticum intellectum, ut in titulo psalmi tricesimi tertii dicitur, Psalmus ipsi David, quando commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum et abiit, cum hoc factum sit coram Achis rege Geth, sicut liber Regum narrat (*I Reg.* XXI). Cum ergo pro Achis Abimelech ponitur, utique ostenditur ex ipsius interpretatione nominis latens altius penetrare mysterium. Abimelech quippe interpretatur patris mei regnum, significans Judæos, in quorum conspectu verus David manu fortis Dominus Jesus Christus immutavit vultum suum, quando apparens in forma servi, humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis. *Vidimus eum non* habentem speciem neque decorem, *et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum* (*Isa.* LIII). Dimisit eum Abimelech et abiit, quia videlicet Christus a Judæis minime receptus, ad gentes cum apostolis transivit. Unde ipsis Paulus dicit : Vobis quidem oportebat loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, ecce convertimur ad gentes. Aliquando vero idem modus in parabolis rerum de ipsis etiam peccatis hominum et transgressionibus adulterorum prophetiam insinuat operum futurorum, sicut factum esse in David constat, qui uxorem Uriæ sibi assumpsit, quam de solario videns concupierat, et ipsum gladio peremit (*II Reg.* II). Significat quippe in hoc loco David Christum, qui de cœlo misericorditer cernens Ecclesiam in sua prædestinatione, lavacro aquæ in verbo mundandam, concupivit eam providus, ut justificatam sibi conjungeret legitimus. Sed ut Bethsabeæ David jungatur, Urias vir ejus interficitur, quia ut justorum Ecclesia cœlesti sponso adhæreat, antiqui hostis virtus confringitur et pedibus electorum calcanda prosternitur. Unde et per Evangelium illis a Domino dicitur : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici* (*Luc.* X). Sextus modus est de gemino Salvatoris adventu, quo vigilans discretio adhibenda est, ne aut primus accipiatur pro secundo, aut secundus pro primo. Cujus Judæi ignari, ignorantiæ cæcitate nunc usque laborant, nescientes quid ad primum, quid ad secundum ejus pertineat adventum. Primus itaque humilitatis sibi vindicat locum, unde est : *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris tanquam me* (*Act.* VII). etc. Et alibi : *Post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III), cæteraque hujusmodi. Secundus autem celsitudinis ac terroris obtinet loca, unde scriptum legimus : *Deus manifeste veniet. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate* (*Marc.* XIII). Hinc ipse per Malachiam dicit : *Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris* (*Cap.* III) Israel. Septimus modus est, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, id est vitæ agendæ vitæque figurandæ. Et quidem agendæ vitæ præcepta nunc usque manent, ut est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum* sicut *teipsum* (*Marc.* XII). vel cætera talia, quæ etiam nunc evangelica auctoritate servari jubentur. Vitæ vero figurandæ manifesta veritate transierunt, ut est circumcisio, sabbatum, oblatio victimarum, quæ sicut dictum est, cessante umbra, in veritate spiritualiter peraguntur. Sed quia hic liber intus et foris scriptus fuisse asseritur, videndum est de his septem modis, qui debeant intus, qui forinsecus reputari. Primus itaque historicus, idemque simplex nihil in se mysticum retinens, totus est foris. Secundus allegoricus, totus omnino intus. Tertius vero utriusque geminam in se continens formam, ex parte foris, ex parte deputatur intus. Quartus quoque de Deo, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, uterque sensus intus debet accipi. *Pax Dei exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV), et ejus clementiam, quæ de se figuratim multa narravit nullus competenter attingit. Quintus porro in parabolis verborum diffusus, quibusdam etiam gestum litteræ imitans, et de peccatis et adulteriis hominum, vel prophetiam operum, vel secreta spiritualium sensuum multa præsignans, intus modis omnibus est reputandus. Sextus etiam de gemino Salvatoris adventu, certis claret testimoniis, foris in prompta positus, certis intus latet occultus, ut et dubitationem auferat, et fideles exerceat. Septimus ad extremum in præceptis vitæ agendæ foris, in præceptis autem vitæ figurandæ intus latet. Hos modos ante Redemptionis quidem tempus absconditos, ipso vero redemptoris tempore per Christum atque in Christo novimus revelatos. Ex quibus sanctus Ambrosius luculento et pulchro quamplura loquitur stylo.

Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus ? Quis est iste angelus ? Nimirum quilibet doctor Veteris Testamenti. *Labia enim sacerdotis custodiunt*

scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (Malach. II). Angeli quippe Veteris Testamenti, id est sancti prophetæ et patriarchæ requirebant anxie quis posset legem spiritualiter intelligendam reserare. Quod autem dicit, quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus, præposterus ordo est? Prius enim dicit librum aperire, et sic signacula ejus resolvi, cum prius signacula sint resolvenda, posteaque liber aperiendus est. Quod tamen ita factum est, quia prius Dominus librum aperuit, id est Scripturam Veteris Testamenti in se factus homo complevit, unde ipse dicit : *Non veni solvere legem, sed adimplere (Matth.* V). Et sic demum resurgens a mortuis reseravit sigilla, quando discipulis suis aperuit quæ scripta erant de eo in lege Moysi et prophetis et Psalmis.

Et nemo poterat, neque in cœlo, id est in angelis, *neque in terra*, id est in hominibus, *neque in inferno*, id est in animabus jam corpore exemptis, *aperire librum*, id est mysteria Scripturarum reserare, quia necdum plenitudo temporis advenerat, quando talia præco legis impleri flagitabat. Quod vero dicitur : *Neque respicere illum*, mirum est; cum de se Joannes dixerit superius : Vidi in dextera sedentis librum. Si enim nemo neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra poterat respicere librum, quomodo ille poterat eum videre? Aut ubi fuerit, aut nunquid ei soli concessum est, quod nemini aut hominum aut angelorum permissum est? Sed respicere hic positum est, pro eo quod est digne comprehendere. Quis enim angelorum vel hominum comprehendere potest, quomodo ille incircumscriptus et vivificator spiritus intra uterum virginis sit animatus? Quomodo ille post resurrectionem verum corpus et palpabile habens, clausis januis, intra solidos parietes ad discipulos intravit? Nullus itaque qualiter a Dei Filio compleretur ratione mentis poterat comprehendere, sicut et illud : *Generationem ejus quis enarrabit? (Isa.* LIII). *Et ego flebam multum qui a nemo inventus est dignus in terra aperire librum, nec videre eum.* Quæritur cum jam quando beatus Joannes ista videbat, iste liber de quo supra dictum est, per mysterium nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Spiritus sancti fuerit revelatus, cur se flevisse dicat? eo quod nullus sit inventus qui librum posset aperire. Sed sciendum est quia non ex sua persona beatus Joannes, sed ex persona Patrum Veteris Testamenti flet, qui flebant desiderantes adventum Filii Dei in mundum, quorum unus dicebat : *Utinam disrumperes cœlos*, et venires, *a facie tua montes turbarentur (Isa.* LXIV). Unde et Dominus in Evangelio discipulis : *Beati* (inquit) *oculi qui vident quæ vos videtis : dico enim vobis, quia multi prophetæ et reges voluerunt videre (Matth.* XIII), *etc. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus.* Per hunc seniorem quemlibet patrem Veteris Testamenti debemus accipere, qui adventum Filii Dei prænuntians, cæteris consolationem præbebat. Quorum unus dicebat : *Non auferetur sceptrum de* tribu *Juda*, etc. Et iterum : *Salutare tuum exspectabo, Domine (Gen.* XLIX). Dum enim ista diceret, ostendebat utique librum illum per adventum Filii Dei reserandum, unde et subjungitur : *Ecce vicit leo de tribu Juda*, etc. Leo appellatur Christus per significationem, quia victor a mortuis resurrexit. Agnus propter victimationem, quia oblatus est pro nobis in cruce. De tribu Juda, quia videlicet ex semine Judæ descendit David, de cujus stirpe fuit beata virgo Maria, ideoque radix David appellatur, juxta quod Isaias dicit (*c.* XI) : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Ecce (inquit) vicit leo. Quid vicit leo iste, id est Christus? Diabolum, mundum, mortem et infernum. Ideoque librum aperuit, et sigilla ejus solvit, quia omnia prius prænuntiata de se veniens in mundum implevit. Nec moveat quempiam quare non dicit vincet, cum sit vox præcedentium Patrum, quia sacra Scriptura sæpe præteritum ponit pro futuro, ut est illud : *Foderunt manus meas et pedes meos (Psal.* XI). *Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Sicut supra dictum est, hoc est thronus, quod quatuor animalia, hoc etiam seniores, quod quatuor animalia, et thronus, hoc est omnis Ecclesia, in cujus medio est Christus, juxta illud : *Ecce ego venio, et habitabo in medio tui (Zach.* II). Superius dicit Joannes, quod viderit similem Filio hominis ambulantem in medio septem candelabrorum aureorum. Deinde quod viderit sedentem, nunc autem subjungit, quod viderit agnum stantem, quod taliter est intelligendum: Ambulat Dominus, quando dona misericordiæ suæ suis electis tribuit, alii scilicet gratiam linguarum, alii interpretationes sermonum. Sedet vero quando singulorum facta dijudicat, stat quando eos certantes adjuvat. Stare enim adjuvare est, unde et Stephanus inter manus lapidantium stantem illum vidit in cœlo. Recte autem non occisus, sed tanquam occisus in Ecclesia cernitur, quia etsi mortuus est ex infirmitate, vivit ex virtute Dei; vel certe in medio electorum suorum tanquam occisus stat Christus, quia quotidie in suis moritur electis, qui se mortificant cum vitiis et concupiscentiis. *Habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Quod per septem cornua, hoc etiam significatur et per septem oculos, id est Spiritus sanctus, sicut ipse manifestat, cum subjungit : Qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et cum unus sit spiritus juxta illud : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap.* I). Dicuntur septem oculi vel septem cornua propter septiformem ipsius gratiam. Qui bene per septem oculos figuratur, quia suos electos illuminat discurrens, sicut Zacharias dicit, per universam terram. Sed hoc considerandum, quia cornua in capite sunt, et carnem excedunt, ideoque per cornua eminentiores sæculi intelligi possunt, qui valde cæteros

præcellunt, et capiti Christi adhærent, in quo etiam et regnum perceperunt. Nam per cornua etiam intelliguntur regna, sicut in Zacharia legimus, quia quatuor cornua, quatuor sunt regna principalia. Hinc Paulus Spiritus sancti munere quædam membra cæteris eminere prospiciens ait : *Vos in carne non estis, sed in spiritu (Rom.* VIII), ac si aliis verbis diceret : Nequaquam ut cætera corporis ossa circumdamini, sed tanquam cornua super carnem et ossa erigimini.

Et venit, et accepit librum de dextera sedentis in throno. Cum Pater Spiritus sanctus, et Filius in divinitate unius substantiæ sint, quare dicit agnum accepisse librum de dextera sedentis ? Propter hoc videlicet, quia qui agnus factus est tanquam occisus, ipse homo assumptus de Dei verbo non solum a Patre accepit et Spiritu sancto, sed etiam a divinitate ipsius Verbi, qua eum accepit. Accepit autem librum, quoniam ea quæ de se erant prædicta, opere complevit.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno. Agnus librum aperuit, quando ea quæ multo ante de seipso fuerant prænuntiata, opere implevit, unde omnes sancti cognoscentes illum veraciter Deum suum, de quo tanta mysteria sunt prædicta cadunt, id est humilia de se sentiunt et ipsum imitantur. Unde et sequitur : *Habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* In cithara est lignum et chordæ, sed tamen diverso modo tensæ. Per lignum ergo debemus intelligere crucem Christi, per chordas ipsam carnem sanctorum. Tenduntur chordæ in ligno, quia sancti imitantur Christi crucem et passionem, juxta illud Petri apostoli, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum (I Petr.* II) et cætera. Sed tamen diverso modo tenduntur, quia non omnes æqualiter patiuntur, dum alius crucifigitur, alius decollatur, alius ustulatur, atque alius lapidatur, et cætera hujusmodi discrete sustinent tormenta, unum tamen sonum omnes reddunt, quia unam fidem omnes confitentur. Et sicut Christus mortuus est pro illis, ita et ipsi moriuntur pro ipso. Per phialas autem charitatis illorum latitudinem debemus intelligere. Unde bene aromatibus plenæ fuisse referuntur. Odoramenta quippe mundas significant orationes. Unde Psalmista : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal.* CXL). Congrue itaque post citharas phialæ ponuntur, quia prius Dominus passus est, et sua passione taliter ostendit latidudinem charitatis, dum pro suis oravit crucifixoribus, dicens : *Pater, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt (Luc.* XXIII). Habent itaque sancti citharas, qui imitantur passionem Christi, habent et phialas, quia non solum pro amicis, sed etiam pro ipsis orant inimicis sicut legimus in Actibus apostolorum de Stephano, qui positis genibus orabat, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum (Act.* VII). Aromatibus comparantur ipsæ orationes sanctorum, quia nulla magis grata potest esse oratio, quam ea quæ pro inimico funditur, ut Domini præceptum impleatur, quod dicit : *Diligite inimicos vestros*, etc.

Et cantabunt canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Canticum novum Novum est Testamentum, in quo nova res continetur, incarnatio scilicet ejus, passio, mors, resurrectio, ascensio ad cœlos, missio Spiritus sancti, in quo etiam sub gemino præcepto tota lex comprehenditur et prophetæ, ipso dicente : *Mandatum novum do vobis (Joan.* XIII). De hoc cantico Psalmista dicit : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra (Psal.* XCIII). Hoc canticum sancta Ecclesia cantat quia hoc jugiter recolit, et talia eum pro se peregisse cognoscit. Ipsis quoque operibus hoc confitetur, dum in nomine ejus fonte baptismatis regeneratur, seque cum vitiis et concupiscentiis mortificat, spe et fide cum illo resurgit, et ad cœlestia sublevatur, dono Spiritus sancti locupletatur, ad judicium pariter se cum capite sub venturum profitetur. Quid autem ipsa animalia et seniores dicant, audiamus : Dignus, inquiunt, es Domine Deus noster, accipere librum, etc. Accepit Dominus librum, et signacula ejus solvit, quando factus homo, ea quæ de se fuerant prædicta, opere implevit. Unde in Evangelio legimus, quia cum gustasset acetum, dicit : *Consummatum est (Joan.* XIX), omne scilicet quod in me oportebat fieri usque ad mortem ac si diceret, Ad comparationem victoriarum nostrarum tua sola digna judicatur victoria, cujus singulari passione, de mortis principe a maledicto legis redempti sumus. Si quis autem dubitaverit in quatuor animalibus vel viginti quatuor senioribus totam Ecclesiam posse comprehendi, sicut supradictum est, attendat istorum verba, quibus dicunt, Redemisti nos Deo, quia captivi tenebamur a diabolo. *Ex omni tribu*, id est ex omni ordine. Quia sicut supradictum est, tribus a tribus dicuntur ordinibus : *et lingua*, quia cum sint septuaginta duæ linguæ, ex omnibus his ad fidem sunt collecti, qui fuerant prædestinati. *Et populo*, quia plures sunt populi quam linguæ, utpote cum una lingua multæ gentes loquuntur, sicut Romani, Itali, Franci, Burgundiones, Aquitani, Gothi, licet quasdam unaquæque gens habeat proprietates. Quod autem subjungit, *et natione*, id ipsum est quod præmiserat : Et populo, quia videlicet nullum est genus hominum, ex quo in ecclesia non comprehendatur. Non enim est apud illum personarum distinctio, *sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi (Act.* X). Et hos non vili pretio, sed suo redemit sanguine. Unde Apostolus : *Empti enim estis pretio magno (I Cor.* VI).

Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Omnes electi reges appellantur, quia tyrannidem vitiorum in se consurgere non sinunt Luxuriæ appetitum frenant, ignem furoris exstinguunt, et cætera hujusmodi tentamenta in se consurgere volentia obtundit. Sacerdotes quoque

dicuntur, quia seipsos quotidie in ara cordis sacrificium contribulatum offerunt, ut hostia viva fiant, secum vitiis et concupiscentiis mortificantes. Hinc Paulus dicit : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam virentem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). Dumque hoc faciunt, super terram reges existunt, quia carnaliter et desideria terrena comprimunt, et veluti super subjectam terram lege virtutis regnant. Quæ utique electorum Ecclesia, sicut redempta est a Christo, ita in illo qui eam redemit potestatem ut librum aperiret accepit.

Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum. Quod hæc visio tota spiritalis fuerit, hic manifestissime Joannes ostendit, cum dicit : Et audivi vocem angelorum multorum ; neque enim vox videri potest, sed videre positum est pro intelligere, sicut in Exodo legitur, *Videbat populus voces*, id est intelligebat (*Exod.* XX). Sic enim solemus et nos dicere cui quam aliquid ostendere cupientes, utrum videat, id est utrum intelligat ea quæ dicimus. Totus quippe visus vel auditus Joannis in spiritu fuit, atque ideo spiritualis. In hoc autem loco quod significant animalia, throni, et seniores, hoc significant et angeli, id est omnes sanctos. Nec solummodo illi appellantur angeli, qui alios docent, sicut episcopi, presbyteri et cæteri, sed etiam omnes justi, qui bonum quod intelligunt, aliis manifestare student : nam et idem Joannes dixit in suo Evangelio, quia *quotquot* crediderunt in eum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I), et Psalmista, *Ego dixi, dii estis* (*Ps.* LXXXI). Idem quoque in Evangelio Dominus ait, *Vos autem* qui dii estis, *quem me esse dicitis* (*Matth.* XX)? Si ergo sancti, filii Dei vocantur, nec solum filii Dei, sed etiam dii, quid mirum si appellantur angeli ? De his quippe angelis Isaias dicit : Angeli pacis amare flebunt ; et Zacharias : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Isti in circuitu throni et animalium sunt, quia ipsi sunt throni et animalia, ipsi quoque angeli et seniores. Possumus et hos angelos intelligere supernos spiritus, qui in circuitu Ecclesiæ consistunt, ipsamque custodiunt, juxta illud Apostoli : *Nonne omnes spiritus ministratorii sunt, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* II). Non dubium est enim quod de reparatione humani generis ipsi quoque angeli sunt lætati, qui prius homines a suo consortio deputabant extraneos. Unde nato Domino, adfuit multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sive hoc de hominibus sanctis sive de cœlestibus spiritibus dicatur, ostenditur multitudo innumerabilis, cum subjungitur : *Et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna.* Si enim certum numerum posuisset, summam eorum exprimens, et diceret decem millia, aut centum millia, aut si quid hujusmodi, utique finitum ostenderet numerum. Tale quoque legimus in Danielis volumine, qui dicit, *Millia millium ministrabant ei* (*Dan.* VII). Innumerabilis utique numerus angelorum numerabilem significat multitudinem electorum. Tot quippe homines sancti ascensuri sunt in cœlum, quot ibi remanserunt angeli pereunte diabolo, quoniam in omnibus angelorum ordinibus ipsi sancti locum habebunt. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem.* Qui appellatur leo propter fortitudinem, ipse appellatur agnus propter innocentiam et simplicitatem, et quia in sacrificium est oblatus. Dignus est accipere virtutem, ut eadem scilicet virtus et fortitudo, quæ est in verbo, sit et in homine assumpto, ut omnia possit Deus et homo. Et divinitatem, *quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Et sapientiam, ut sicut omnia scit Verbum ante sæcula a Patre genitum, ita sciat ipse homo in unitate personæ Verbo conjunctus, nec quidquam sit quod eum latere possit; ipsa est quippe Dei virtus et Dei sapientia, sicut dixit Apostolus : *Qui etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (*II Cor.* XIII). Unde Apostolus, Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus. Quod autem præmissa virtute, sapientia, et divinitate, fortitudo subjungitur, repetita sententia est, cum hoc sit virtus quod fortitudo, ubi adhuc subditur : Et honorem et gloriam et benedictionem, subaudis dignus est accipere, honorem scilicet in resurrectione, gloriam in ascensione, benedictionem, quia sublevatus ad dexteram paternæ majestatis benedicitur, id est laudatur ab omni sua creatura. Dignum est enim, ut humanitas Filii Dei quæ tanta sustinuit cruciamenta, post sputa, post alapas, mortem, sepulturam, resurgat, et in dextera Patris collocetur, et ab omni creatura laudetur, adoretur, et glorificetur, atque benedicatur.

Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et subtus terra et quæ sunt in mari, et quæ in eo, dignus est accipere. Ut videlicet ipsa humanitas omnia possideat in cœlo, id est in angelis, in terra, in hominibus, sub terra, in inferno et in mari, et quæ sunt in eo. Hoc est quod ipse Dominus resurgens a mortuis, dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matt.* XXVIII), et Apostolus : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II). Possumus et mare allegorice intelligere hunc mundum, in quo comprehensi sunt centum quinquaginta tres pisces, quibus comprehenditur numerus electorum. *Omnes audivi dicentes sedenti super thronum et agno : Benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum.* Omnes, id est animalia, seniores, et angelos, audivi dicentes sedenti in throno, Deo Patri, et agno Filio ejus. Quo in loco cum personæ Patris et Filii solummodo ponantur, ibi pariter et Spiritus sanctus intelligitur : quia ubi Filius et Spiritus sanctus, ibi etiam sine dubio comprehenditur et Pater. Hoc itaque nunc sancta Ecclesia generaliter facit quæ in his

animalibus, senioribus, et angelis demonstratur, quia laudat Creatorem suum, cui soli debetur honor, benedictio, laus et gloria in sæcula sæculorum.

Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt,et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum. Sicut sæpe dictum est, hoc sunt animalia quod seniores, id est totum corpus Ecclesiæ. Quamobrem et seniores cum animalibus Amen respondent, et animalia cum senioribus adorant et cadunt. Una enim eademque Ecclesia diversis vocabulis figurata, et Deum collaudat, et ipsam fidem interposito Amen veram esse confirmat, et eum quem vero laudis præconio attollit, cadens humiliter adorat. Quid sit autem iste casus et hæc adoratio, supra jam exposuimus.Sequitur:

CAPUT VI.

Et vidi cum aperuisset agnus unum ex septem sigillis. Apertio sigilli revelatio est sacramenti. Verum per septem sigilla, sicut supradictum est, plenitudo mysteriorum absconditorum designatur, quæ latebat ante adventum Domini. Quæ cum multa sint, et multimodis prænuntiata, ut ait Apostolus : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis* (*Hebr.* I), possunt tamen universa tribus modis comprehendi, scilicet locutione, actione et opere, verbi gratia : Ecce venio, locutio est : In capite libri scriptum est de me, cognitio est præmissæ locutionis,Christum demonstrans,de quo propheta : *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus* (*Aggæ.* II). Nam et in capite Geneseos de eo dicitur, quod in principio, id est in Filio fecerit Deus cœlum et terram. Quod idem Filius de se ostendit in Evangelio, dicens Judæis : Ego principium qui et loquor vobis. Actione, cum sequitur, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus. Quam operationem idem quoque Filius suam esse ostendit cum in Evangelio loquitur, dicens : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* IV). Cæterum ut breviter dicamus, tunc agnus septem sigilla nobis aperuit, quando pro salute nostra, sicut erat in Scripturis sanctis de eo promissum, et nasci et mori et a mortuis resurgere, nec non ad cœlos ascendere voluit, et se ad judicium venturum esse prædixit. Unde et resurgens a mortuis, aperuit discipulis sensum ut intelligerent omnia quæ de ipso continebantur in Scripturis sanctis,dicens quia sic *oportuit pati Christum et resurgere a mortuis* (*Act.* XVII). Inde est etiam quod discipulis Spiritum sanctum se missurum promisit,qui eos doceret omnia, et qui eis quæ ventura erant annuntiaret.

Et audivi unum ex quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui : Veni et vide. In hoc loco unum animal primitivam Ecclesiam significat ex Judæis, de quibus scriptum est,quod una die credideruntria millia, alia quinque millia, et deinceps multa millia. Joannes autem Ecclesiam sequentem. Dicit ergo angelus Joanni : Veni et vide, quia videlicet Ecclesia primitiva sua doctrina et prædicatione invitat Ecclesiam sequentem, dicens : Veni ad fidem scilicet Christi, non gressibus corporis, sed fidei et mentis, et transiens a mystico legis et prophetarum eloquio ad cognitionis intellectum, et vide ea quæ ante sunt prædicta, jam aperte completa. Hinc est illud, *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV). Audi scilicet prædicta, vide completa.

Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona. Per equum album debemus intelligere corpus Dominicum ab omni peccato mundum : per sessorem illius, divinitatem Verbi, quæ nunc utique super hunc equum ascendit,quando Verbum Dei carnem et animam sibi intra uterum virginis conjunxit. Unde ipse per Psalmistam loquitur ad Deum Patrem, *ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII), etc. Per arcum duo significantur Testamenta, ex quo tot procedunt sagittæ,quot sunt divina eloquia. Sagittis enim interficiuntur homines, et his sagittis divinarum Scripturarum interficiuntur reprobi, ut moriantur peccato, et vivant Deo. Unde Psalmista : *Sagittæ tuæ acutæ* (*Psal.* XLIV), et cætera. His sagittis percussa fuerat Ecclesia,quæ dicebat : Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me. Per corcnam vero quæ illi data est, possumus intelligere credulitatem omnium gentium in circuitu hujus sæculi commorantium. Surrexit enim a mortuis, prædicatus est ab apostolis, creditus a toto mundo. *Et exiit.* Unde, nisi aperto sigillo, id est ex revelato Scripturarum sacramento. Tunc exiit de sigillo quando, sicut supradictum fuerat, incarnatus est, hoc est, quando Verbum caro factum est. Exiit autem *vincens* diabolum, primum in seipso, *ut vinceret* deinceps illum in membris suis. Possumus et per equum album intelligere generaliter universalem Ecclesiam, quæ dealbata est in baptismate, cui Christus præsidet, quæ dicit in psalmo quinquagesimo : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.* Specialiter autem in equo albo ordo prædicatorum exprimitur, de quo dicit Habacuc (*Cap.* III): *Ascende super equos tuos*, et equitatus tuus sanitas est. Qui jure equi Domini vocantur, qui a Dominus illis præsidens per illos universas gentes circuivit prædicando atque ad fidem suam colligendo,quando illi profecti prædicaverunt ubique, de qua sessione etiam Dominus dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*(*Matth.* XXVIII). Eques ergo qui sedebat, habebat arcum, quia per prædicationem doctorum sententiis divini Verbi Christus percussit corda gentilium, et interfecit in eis vitia et peccata, ut posset resurgere sanitas virtutum. Corona autem secundum hunc sensum dupliciter potest intelligi : Vel victoria videlicet sanctorum de diabolo et persecutoribus hujus mundi, vel etiam multitudo subjectorum fidelium,pro quibus ipsi remunerationem æterni regni percipiunt, sicut Apostolus auditoribus dicit (*Philip.* IV) : Quod *gaudium* aut quæ *corona* gaudii mei, nonne vos

estis? Exivit hic ordo prædicatorum a Judæa cum suo equite, hoc est, cum Christo sibi dicente : Ite in mundum universum. Vincens primo diabolum in seipso, ut vinceret illum postea in aliis, quos ab idololatria traxerat ad Christi culturam.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni et vide. Et exiit alius equus rufus. Sicut superius per album equum intelleximus corpus Christi, hoc est, sanctam Ecclesiam a peccato mundam per baptismum et Christi passionem, sic in hoc loco per equum rufum debemus intelligere omne corpus diaboli, hoc est, omnes reprobos : quia sicut Christus est caput omnium fidelium, et omnes fideles corpus ejus in quibus ipse per fidem habitat, ita caput omnium reproborum est diabolus, et omnes reprobi corpus ejus, in quibus ipse habitat. Equus itaque rufus antiqui hostis est corpus peccatis cruentatum, et animarum interfectionibus sanguineum. Quod enim sanguis peccata significet, Psalmista manifestat qui dicit, *Libera me de sanguinibus Deus, Deus (Psal.* L). Ipsi enim reprobi peccatis sunt cruentati, et etiam homicidiis fœdati. Unde et per prophetam quibusdam Dominus dicit (*Isa.* I) : Cum clamaveritis ad me, *non exaudiam* vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Hinc est quod inferius bestia, super quam meretrix sedet, coccinea esse perhibetur.

Et qui sedebat super eum, datum est illi ut sumeret pacem de terra. Data est diabolo potestas ut sumat pacem de terra, quando permittitur justo Dei judicio, ut hoc possit facere. Tale est hoc, quale et illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Exod.* XI). Notandum autem quia non de cœlo, sed de terra aufert ille pacem. Cœlum quippe significat sanctos, quibus Dominus ascensurus ad Patrem, dicit : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV). Ab his non potest diabolus auferre pacem, quia cœlestes sunt, et terram calcant, habentes principem pacis habitatorem, de quo Paulus dicit: *Ipse est pax nostra* (*Ephes.* II). De terra enim, id est, de terrenis hominibus sumit pacem, facitque eos discordes, et zizaniorum divortia inter eos seminat, quoniam terra sunt, id est terrena et transitoria immoderate ambiunt. De quo adhuc subjungitur : *Et ut invicem se interficiant, datus est illi gladius magnus.* Gladium non corporeum debemus intelligere, sed spiritualem, quo non tantum corpora, quantum animæ jugulantur. Gladius enim hic intelligitur mala persuasio, locutio prava, deceptio iniqua, quo gladio duobus modis homines diabolus interficit, cum videlicet occulte mala suggerit per seipsum, vel etiam cum aperte justos persequitur per membra sua, unde in Evangelio habemus : *Cum diabolus se misisset in cor* Judæ, *ut traderet Dominum* (*Joan.* XIII), primum quippe gladio malæ persuasionis, ei in anima Dominum ut traderet, deinde persuasit ut semetipsum interficeret. Unde ille miser desperans, seipsum laqueo suspendit. Similiter quoque mulieri locutus est per serpentem, dicens : *Cur Deus præcepit vobis ne comederetis de* (*Gen.* III) ligno vitæ? Et per eam interfecit Adam. Hoc est enim quod hic dicitur, ut invicem se interficiant homines. Per membra sua etiam jugulat multos, et spiritualiter separando a fide, et corporaliter subtrahendo ab hac luce, sicut per Neronem, per Domitianum et cæteros. De talibus quippe Psalmista dicit : *Exacuerunt ut gladium linguas suas* (*Psal.* LXIII). Et rursus, *Lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI).

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni et vide, et ecce equus niger. Per equum nigrum omne corpus intelligitur diaboli, sicut et supra per rufum, quod fuscatum est nigredine peccatorum, semperque patitur esuriem, quia cupit devorare alios, atque in malitiæ suæ ventrem trajicere. Et sicut caput eorum nequaquam dicit Sufficit, ita et isti nunquam satiantur. Unde bene subditur : *Et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Mercatores solent ferre stateram in manu, qui mercantur ea quæ sibi placent, pensantque ea quæ dant et accipiunt. Sed diabolus pessimus est mercator, qui dat vilia, ut auferat pretiosa. Statera itaque perversa ejus suasio intelligitur, quia vitam multorum mercari quærit, ut suam esuriem saturare queat. Et ut hoc possit facere, prius eis quibus temporalia promittit, alimentum Verbi Dei subtrahit, quo necatos in corpus suum assumens, famem malitiæ suæ augeat potius quam depellat. Dat vilia quædam et temporalia, ei aufert pretiosa et æterna, sicut Adæ dedit pomum, et totum per illum in filiis suis accepit mundum.

Et audivi vocem *tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris.* Hæc vox quam audivit Joannes, vox intelligitur Dei omnipotentis, quando adunatis ad fidem gentibus, a læsione electorum Dominus antiquum adversarium compescuit ipsamque docuit, quemadmodum infestationem ipsius possent evadere, cum ait : *Pœnitentiam agite* (*Matth.* III), et cætera. Apostolis quoque jussit, ut euntes baptizarent omnes gentes, docentes eas ut a cultura idolorum ad verum Dei converterentur cultum. Tunc enim diabolus perdidit frumentum, hordeum, vinum et oleum, id est omnes fideles, cœpitque comedere paleas, vinacia bibere et amurcam. Unde et ipsa vox subdidit, dicens : Bilibris tritici denario uno, subauditur : Valet. Sed prius ista juxta litteram sunt considerandа : Bilibris tritici ita intelligitur : Duo sextarii, et tres bilibres hordei sex sextarii. Et præcipitur illi qui sedebat in equo nigro, hoc est, diabolo, ne frumentum tangat aut hordeum, quia duo sextarii tritici, id est bilibris denario uno valet, et tres bilibres hordei similiter uno denario. Sed jam nunc videamus quid ista significent : Licet omnis Ecclesia frumentum sit, juxta quod Apostolus dicit (*I Cor.* X) : *Unus panis, unum corpus : multi sumus in Christo*, tamen specialiter hic frumentum debemus intelligere prædicatores utriusque testamenti, qui moluntur tribulatione præsentis vitæ, et

excoquuntur igne passionis, et efficiuntur pulcherrimus Christi panis, eum imitantes qui dicit de se : Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, etc. Una ergo bilibris ex duobus sextariis, quia solet homo vas habere, quod capit duos sextarios, intelligitur una ecclesia ex duobus populis in unum collectis, juxta illud : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan.* x). Sub duali autem numero comprehenditur propter duo testamenta, vel propter geminum dilectionis præceptum. Bilibris itaque tritici denario valet, quia omnes sancti pretioso Christi sanguine redempti sunt. Unde Apostolus : *Empti enim estis pretio magno* (*I Cor.* vi). Vel per denarium possumus intelligere ipsum Dominum Jesum Christum, quem accepturi sunt in remuneratione. Laborantes enim in vinea denarium acceperunt. Sive per denarium vita æterna intelligitur, quæ cunctis electis dabitur, cum audierint : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* xxv). Tres autem bilibres hordei, subjectos et simplices significant auditores, qui sub ternario numero comprehenduntur, quia fide sanctæ Trinitatis ornantur. Unum itaque est frumenti et hordei, quia etsi alius alium fortitudine et dignitate præcellit, tamen omnes uno Christi sanguine sunt redempti. Etsi etiam alius plus, alius minus in vinea Domini laborat, tamen unum omnes post laborem denarium recipiunt. Etsi enim erit ibi diversitas mansionum, tamen una erit remuneratio : quia omnes in commune unum possidebunt Deum, et quod in se quis non habebit, habebit utique in altero, quia erit illis Deus omnia in omnibus. Et vinum et oleum ne læseris. Quod superius significatur per frumentum, hoc hic intelligitur per vinum : et quod supra per hordeum, hoc nunc per oleum, id est, omnes sancti in Ecclesia generali. Recte enim per vinum et oleum ipsi exprimuntur, quia sicut vinum et oleum ex multis botris in prælo pressis producitur, ita illi multis tribulationibus istius vitæ premuntur, et in apothecis Dominici cellarii conduntur. Et quia vinum, sunt baptizati in fide Dominicæ passionis. Et postea acceperunt oleum Spiritus sancti, prohibet divina virtus antiquum hostem ne eos lædat, ut suadendo mala aliquando eos ad peccatum pertrahat.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis, Veni et vide. Et ecce equus pallidus. Qui superius per equum rufum et nigrum, ipsi designantur et hic per pallidum, id est omnes reprobi ad pallorem æternæ mortis venturi, mortuis enim proprie pallor accidit. Nec mirum si per equi pallorem mors exprimitur, cum etiam ipse sessor mors vocetur. Unde subditur : *Et qui sedebat super illum, nomen illi mors.* Quo nomine diabolus intelligitur, quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; qui super eos sedet, qui pallidi sunt, hoc est, qui opera mortis habent : et cum ipsi sint mortui, etiam alios exstinguere quærunt, unde et sequitur, quia *et infernus sequabatur eum.* Ipsi enim bene infernus appellantur, quia sicut infernus nequaquam dicit Sufficit, sed semper ad recipiendas animas sinum laxat, ita et isti mentem dilatant ad ambienda terrena, nec tantum acquirere possunt quantum cupiunt. Unde sequuntur diabolum, id est imitantur illum qui est caput omnis malitiæ. Unde scriptum est, *Imitantur qui sunt illum ex parte ejus* (*Sap.* ii). Auctor itaque mortis contra vivos pugnaturus, super equum pallidum sedet, quia nimirum per officium eorum, quos jam spiritualiter occidit, vitam electorum exstinguere quærit. *Et data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio.* Hic aperte demonstratur, quia singulis gentibus Deus omnipotens angelos secundum meritum suum præposuit, et sicut bonis bonum, id est Michaelem præfecit angelum. Unde est, Nemo est adjutor meus, nisi Michael princeps vester, ita malis malos angelos præposuit, ideoque quatuor angeli qui quatuor regnis principalibus sunt præpositi, non boni fuerunt, sed mali. Data est illi potestas super quatuor partes terræ, id est super omnes reprobos, qui in quatuor partibus terræ morantur, in oriente scilicet, occidente, aquilone et meridie. Vel per quatuor partes terræ, possumus intelligere quatuor regna principalia, Assyriorum videlicet et Chaldæorum, Medorum et Persarum, Macedonum atque Romanorum. Sive etiam quatuor partes terræ, in quibus potestatem accepit diabolus, intelligamus hæreticos, paganos, judæos et falsos christianos. Super has quatuor partes terræ, id est terrenorum hominum, et per desiderium terram inhabitantium habet potestatem diabolus, et cum his contra unam Christi pugnat Ecclesiam, quam ideo scindere non potest, quia fide Christi est unita, juxta illud, *Una est columba mea* (*Cant.* vi) : Et illi divisi, isti vero inveniuntur uniti. Interfecit vero has partes terræ gladio malæ suggestionis, ut supradictum est, *et fame* audiendi verbum Dei, de qua fame Dominus dicit per Amos prophetam (*Cap.* viii). *Mittam* in eis *famem, non panis, non sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Quo in loco quæstio oritur : Si Deus hanc famem immittit, quid peccat diabolus? Quæ quæstio facile solvitur, quia quod Deus facit justo judicio, diabolus facit in suasione et mala voluntate. *Et morte*, subaudis, datum est illi interficere homines, spirituali scilicet atque interiori. *Et bestiis terræ.* Bestiæ efferatos homines et bestiales significant, per quos diabolus multos interfecit, sicut fuit Nero, Domitianus et cæteri persecutores sanctorum martyrum : de talibus dicit Apostolus : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ* (*Tit.* i), et alibi : *Si secundum homines ad bestias pugnavi Ephesi* (*I Cor.* xv).

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altare Dei animas interfectorum. In tabernaculo Moysi duo altaria fuerunt, prius scilicet ære coopertum sub divo, ubi sacrificia cremabantur : aliud vero interius ante velum, in quo tantum sanguis ponebatur et thymiama, et erat vestitum auro. Scisso autem velo, arca quæ erat intra Sancta sanctorum, conjuncta est altari aureo, ut jam nulla esset distantia inter

altare et arcam. Per hæc duo altaria, duo significantur populi : unus scilicet per altare exterius, id est carnalis in Judæis, qui tantummodo per legis opera et sacrificia putant se salvari posse et justificari. Per aureum autem quod erat interius, alter, id est spiritualis patres utriusque testamenti, qui non per legem aut opera sacrificiorum se putant salvari solummodo posse, sed potius per fidem Christi futuri, quoniam sicut doctores spiritualiter legem intellexerunt, ita et faciebant illi prophetæ scilicet, patriarchæ, et cæteri, quod in dictis David aperte probare possumus, qui ab adulterio sciens se non posse purgari per legis sacrificia, dicebat: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Ideoque hoc fieri non posse considerans, adjungit : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus (Psal* L). Sciendum vero quod altare illud aureum, de quo nunc agitur, prius quidem ante arcam erat, sed velum pendebat ante hoc et illud quod sanctum et Sancta sanctorum dividebat. Inter Sancta sanctorum vero erat arca, in qua duæ tantum erant tabulæ digito Dei scriptæ: per quam arcam Christus significatur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Postquam vero verus pontifex venit, et velamen scidit, facta est arca et altare unum, quia scilicet caput et membra, id est Christus et Ecclesia, unum corpus sunt. Hujus itaque altaris in hoc loco mentio fit, cum dicitur, Vidi sub altare Dei animas interfectorum. Jam enim non duo sunt altaria, sed unum, quia Christus conjunctus est corpori suo. Ipse enim est altare, ipse sacerdos et sacrificium. Sacerdos, quia per illum munera nostra Deo Patri dirigimus. Unde et sacerdotes in singulis orationibus se per Dominum exaudiri optantes, sub nomine ipsius suas finiunt orationes, dicentes : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Altare, quia semetipsum obtulit Deo Patri in ara crucis. Non ergo jam sunt duo altaria, sed unum, postquam verus pontifex ingressus est Sancta sanctorum cum parte corporis sui, et sicut illi jam cum illo sunt in re, ita et isti in spe. Itaque ipsæ animæ occisorum sunt altare, et tamen subtus altare sunt, quia per omnia coæquari capiti suo non possunt: quia ipse est Deus, illi homines : ille Dominus, isti servi. Ideoque et altare sunt capiti suo conjuncti: et sub altare, quia non illi per omnia coæquantur. Aliter: Ipsi qui sunt altare, subtus altare sunt, hoc est, sub se, quia nondum pervenerant ad eam gloriam ad quam venturi sunt, quando erunt similes angelis Dei. Divisum quippe est adhuc desiderium illorum, quoniam exspectant resurrectionem corporis sui. Et sicut cum corpore et anima servierunt Christo, ita cum corpore et anima remunerentur, quia revera sic est dignum. Ideoque, quia necdum ad illam dignitatem ad quam venturi sunt pervenerunt, sub se sunt, quia post modum majores futuri sunt. Cum autem venerint ad tantam gloriam, jam non erunt sub se, sed in se. Quod tali exemplo cognosci potest: Ponamus quemlibet in monasterio nutritum, et postea abbatem constitutum, quandiu talis sub prioribus vivit, quasi sub se est; cum autem abbas fuerit electus, jam non est sub se, sed in se. Tali modo tunc jam animæ fidelium sub se non erunt, quando animæ simul cum corporibus in immortalitate gaudebunt. Animæ occisorum dicuntur animæ martyrum. Duo quippe sunt martyrii genera in hoc mundo: unum scilicet apertum, quod fit in corpore, sicut martyrizatus est Petrus, Paulus et cæteri. Alterum vero occultum, quando sancti ab impiis opprobria et irrisiones et contumelias sustinent. De his duobus generibus martyrii dicit Dominus filiis Zebedæi, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth.* XX)? et deinceps, *Calicem meum bibetis, cum* unus illorum fuerit decollatus, alter in pace vitam finierit, et tamen non sine martyrio fuerit, quia multa opprobria et adversitates pro Christo sustinuit. Unde legimus eum in Actibus apostolorum *(cap.* V) flagellatum cum cæteris, quando ibant gaudentes a conspectu concilii, et *propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant.* Istud est verbum, de quo Joannes : *In principio erat Verbum (Joan.* I). Cui verbo, quia habebant illud in corde, testimonia etiam proferebant in ore, juxta illud: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom.* X). Vel quia verbum Dei gestabant in corde et ore, ostendebant testimonium in opere, nolentes idola colere, et propter hoc interficiebantur vel aperto martyrio, vel occulto, dum eos simulatores et hypocritas esse dicebant. *Et clamabant omnes* qui apertum sive occultum martyrium fuerant perpessi, *Voce magna dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ?* Quæstio oritur in hoc loco, cur sancti jam cum Domino manentes, vindictam de inimicis expetant, cum Dominus in Evangelio dicat : *Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Luc.* VI)? Sed sciendum quia illi sancti jam in conspectu Creatoris sui consistentes, vident voluntatem illius, et ideo ab ipso accipiunt, quod eum velle facere noverant, et de ipso bibunt quod ab ipso sitiunt. Petunt autem vindictam de inimicis duobus modis, et hoc causa charitatis, ut scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, convertantur a malo ad bonum. Qui vero præscience Deo damnandi sunt, moriantur et peccare desistant, ut post hoc minorem pœnam in inferno habeant, ubi unusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. Quod petere utique charitatis est et misericordiæ. Non autem putandum est, quod illi corporeo modo vocem emittant, sicut nos qui aereum flatum in follem ventris trahimus per organum gutturis, sed vox illorum desiderium est ipsorum. Et tanto magis quisque illorum clamat, quanto magis desiderio flagrat. De hoc Psalmista ad Dominum : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua (Psal.* IX). Petunt autem de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi

judicii, et resurrectionem suorum corporum præstolari.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Per stolas albas intelligere debemus mercedem baptismi, præmium martyrii, mercedem æternorum et gaudium cœlestis patriæ. Habent ergo ante resurrectionem sancti singulas stolas, quia in sola anima æternis beatitudinibus adhuc perfruuntur, postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, et incorruptibiles in corpore. De hoc Isaias: *In terra sua duplicia possidebunt (Isa.* LXI). *Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec implcatur* numerus *conservorum et fratrum eorum.* Dictio ista inspiratio est divina, qua mentibus illorum desiderantibus diem judicii immittitur virtus patientiæ, ut patienter ferant omnia, exspectantes numerum illorum qui similiter interficiendi sunt pro Christo, cum eis postmodum regnaturi, ut qui desiderant recipere sua corpora, gaudeant ex numero colligendorum fratrum. Tali modo loquitur Deus omnipotens sanctis; veluti quilibet paterfamilias habens multos filios, singulisque de agro revertentibus et rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet: Refectio quidem vestra parata est, sed exspectate fratres vestros, ut cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis, et epulemini gaudentes. *Qui interficiendi sunt sicut et illi.* Vel aperto scilicet martyrio, vel occulto.

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, terræmotus factus est magnus. Quid hoc loco per terræmotum debemus intelligere nisi validissimam persecutionem quæ futura est temporibus Antichristi? Unde bene non simpliciter dixit, terræmotus factus est, sed cum additamento, terræmotus factus est magnus, quia sicut Dominus dicit, talis erit tunc tribulatio, qualis non fuit, neque fiet ex quo homines esse cœperunt. *Et sol factus est niger sicut saccus cilicinus.* Cilicio peccatores homines et rei induuntur. Sol autem Christum significat, de quo scriptum est: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (Malach.* IV). De quo etiam impii dicturi sunt gementes. Et sol justitiæ non luxit nobis. Fiet itaque tunc sol tanquam saccus cilicinus, quando hi in quorum cordibus lucebit Christus, pro nihilo ducentur, et veluti peccatores et rei interficientur a ministris Antichristi. Aliter: sol ipsos significat prædicatores, quibus Dominus dicit: *Vos estis lux mundi (Matth.* V). Qui utique tunc fient tanquam saccus cilicinus, quia celabunt coram impiis quidquid habebunt luminis et virtutis. In illis quoque obscurabitur sol, qui timore concussi, aut blanditiis deliniti, negabunt Christum, et ad tenebras erroris devolventur. *Et luna tota facta est sicut sanguis.* Luna Ecclesiam significat, quæ tunc tota fiet sicut sanguis, qui non in uno loco, sed in omnibus mundi partibus persecutio Antichristi contra Ecclesiam grassabitur.

Et stellæ cæli ceciderunt super terram. Cœlum est sancta Ecclesia, de qua Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Act.* VII), et Salomon (*Sap.* II): Anima justi sedes sapientiæ. Stellæ ergo cœli sancti sunt, qui in tenebris istius vitæ lucent, veluti in firmamento stellæ. Qui tunc utique de cœlo cadent, quando sub illa persecutione validissima, fide recedunt, qui prius fide recta et operibus justis videbantur lucere. In terram cadent, quia terrenis delectationibus inhærebunt, et ex ipso amore terreno ad iniquitatem ruent. Unde subditur: *Sicut ficus mittit grossos suos cum a vento movetur.* Licet ficus in Evangelio synagogam significet, specialiter hic omnem Ecclesiam significat, de qua tunc cadent qui infructuosi fuerant et a bonis operibus vacui. Grossus enim fici appellatur fructus primi temporis, qui antequam veniant ad maturitatem, vento concussi cadent in terram, ita et illi qui necdum pervenerunt ad maturitatem bonorum operum, et vacui sunt, concussi vento, id est extrema persecutione decident in terram, hoc est in terrenas delectationes. Qui ventus bene magnus dicitur, quia, ut supra dictum est, per secutio illa etiam electos occupabit.

Et cælum recessit sicut liber involutus. Quod est cœlum, hoc est et liber, id est sancta Ecclesia, quia dum Deum habet habitatorem, habet quoque et Dei legem scriptam, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalis. Intuendum autem quod ipsa Ecclesia sicut liber involutus recessisse dicitur. In libro enim involuto quid interius contineatur, non videtur, nisi ab illis quibus voluntarie aperitur. Sic nimirum sancti illius temporis et suis se manifestabunt, et extraneis se celabunt, sicut leginus in passionibus sanctorum martyrum. Cujus videlicet membra Joannes alloquitur, dicens: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV). Recedet autem Ecclesia in suis electis a reprobis, non abscessu corporis, sed fide et operatione, juxta illud (*Isa.* LII). Egredimini *de medio ejus*, populus meus, et immundum ne tetigeritis. *Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt.* Per montes in hoc loco debemus intelligere præcipuos sanctos in Ecclesia constitutos, qui cæteris eminent, sicuti montes planitiem terræ transcendunt ad quos pertinet illud, quod Dominus per prophetam dicit: *Sustollam te super altitudinem terræ* (*Isa.* LVIII), qui movebuntur, non ut a fide recedant, sed corpore et animo atque opere recedunt a societate reproborum, audientes illud prophetæ, sicut supra dictum est: Exite de illa populus meus. Hoc est de Babylone, quæ peccata significat, et societatem malorum: insulæ quoque Ecclesias significant, qui sicut insulæ tunduntur fluctibus, ita Ecclesiæ fluctibus persecutionum istius vitæ tunduntur, de quibus per prophetam dicitur: *Me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt* (*Isa.* LXI). Quæ similiter sicut et montes separabuntur, dum a malis fide et operatione disjungentur.

Et reges terræ, et principes et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber, absconderunt se in speluncis et petris montium. Reges sunt, qui corpora

sua bene regere noverunt, ne scilicet vitiis insole- A scant, ne penuriis succumbant. Principes autem sunt minoris dignitatis sancti, qui non omnibus ut reges, sed tamen quibusdam pro concessis virtutibus resistunt. Tribuni vero, qui adhuc minoris potestatis quam principes, et ipsi inquantum prævalent, contra vitia carnis dimicant. Divites quoque non opibus, sed bonis operibus vocantur ; unde Apostolus admonet divites fieri in bonis operibus, fortes, non corporis virtute, sed animi. Servus, qui conjugio obligatur. Liber quoque, a conjugio et a peccatis absolutis. Isti omnes ultima persecutione deprehensi, fugient, et abscondent se in speluncis et petris montium, id est, suffragia sanctorum hominum et angelorum expetent. Ad hos montes novissima persecutione comprehensos hortatur fugere Dominus in B Evangelio, dicens : *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes* (*Matth.* XXIV).

Et dicent montibus et petris, id est angelis et hominibus. Qui recte montes appellantur, quia terrena despiciunt, et cœlestia contemplantur. Recte petræ, quia a Christo qui est petra, roborantur. *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni.* Id est, misericordia animum inflectite, et nos piis vestris intercessionibus adjuvate ab ira judicantis.

Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Id est, damnatio reproborum. *Et quis poterit stare?* Id est, nullus. Si enim sancti illius iram tunc timebunt, et angeli quoque timore concutientur, quis nostrum sustinebit, in quo et justus vix salvabitur? De hoc tempore propheta dicit : *Dies illa dies iræ* (*Soph.* I.) Possumus et hæc in contrariam partem intelligere. Montes enim sæpe in sacro eloquio superbos significant, unde est illud Isaiæ : Super montem caliginosum levate signum, in quibus verbis Balthasar voluit intelligi, infidelitatis et impietatis nebula coopertum. Insulæ autem appellantur, qui sæcularium negotiorum fluctibus quatiuntur, et instabiles sunt. Isti tales movebuntur a bono ad malum, a fide ad infidelitatem, ut cupiditatem suam possint implere. Qui etiam sub pacis tempore non solum exterorum substantiam præripiunt, sed etiam in morte propinquorum gaudent, atque eorum bona in suos usus convertunt. Reges autem, principes, ac tribuni, juxta qualitatem graduum, omnes reprobos significant, D majoris scilicet dignitatis homines, mediocres, et minores, qui timentes amittere regna et honorem, dum viderent Antichristum regnare et membra illius, transibunt ad eos et movebuntur ad malum, ut eis parcant, et divitias non amittant. Divites quoque appellantur peccatis, qui omne malum quod voluerunt implere, libere poterunt, nec in malo aliorum auxilio indigebunt. Fortes similiter in malo intelligimus ad miscendam scilicet ebrietatem, vel ad fidem aliorum subvertendam. Servi peccato servientes sunt, quia qui facit peccatum, servus est peccati. Liberi a justitia, id est alieni a justitia; unde Paulus: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Isti omnes imminente futuro judicio, current ad auxilium dæmonum, cum desperati ad sanctorum quemlibet non præsument accedere, dicentes : Cadite super nos, et abscondite nos ab ira sedentis in throno, id est modo liberate nos, quia in vobis hactenus confisi sumus.

CAPUT VII.

Et *post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ.* Quatuor angeli stantes super quatuor partes terræ, principes sunt, præpositi super quatuor regna principalia, Assyriorum videlicet et Chaldæorum, Medorum et Persarum, Macedonum et Romanorum. Super has quatuor partes terræ, stabant quatuor angeli nequam, quia eos ad sui sertitii dominum inclinaverunt. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* Quod sunt quatuor angeli, hoc sunt et quatuor venti, id est quatuor dæmones, principalitatem super quatuor regna tenentes. Unde in Danielis volumine legimus, quod quatuor venti pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ consurgebant de terra, quæ sunt præfata quatuor sæculi regna. Tenebant ergo angeli quatuor ventos, id est seipsos in suis membris. Quia enim diabolus et omnes iniqui unum corpus sunt, profecto et in angelis et in ventis ipse intelligitur. Ipsi angeli tenebant quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, quia quatuor dæmones singulis regnis prælati, ita tenebant omnem subjectum populum ut nullus alicujus C flatum regionis auderet contra eos emittere, aut mutire contra illos, et verbum veritatis efflare adversus idola, ut diceret : Non sunt dii, qui hominum manu efficiuntur, sed sunt simulacra ad nihilum utilia. In terra autem diversitas provinciarum, in mari vero innumerositas designatur insularum. Per arbores quoque intelliguntur homines singuli, quia ab universitate redit ad specialitatem, quia ipsi dæmones omnes homines in his quatuor regnis degentes, pro suo tenebant astrictos servitio.

Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari neque arboribus. Alius angelus Dominum significat Jesum Chri- D stum, de quo scriptum est : *Vocabitur nomen ejus* magni consilii angelus (*Isa.* IX). Ab ortu solis ascendit, quia tertia die resurrexit a mortuis, et sua resurrectione totum mundum illuminavit per evangelicam doctrinam. Unde Psalmista dicit : *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi* (*Psal.* LXVII). Venit ergo ab ortu solis, et præcepit quatuor angelis, ne nocerent terræ et mari, quia surgens a mortuis, prohibuit dæmones a læsione eorum, qui ad vitam æternam sunt prædestinati. Unde et ipsa quatuor regna sibi subdidit, et ad notitiam et ad cultum unius Dei perduxit, hinc est quod Nabuchodonosor vidit lapidem præcisum de monte, qui percussit statuam in ferreis pedibus, et comminuit pariter

aurum, argentum, et æs. In auro enim intelligitur regnum Assyriorum, in argento Medorum, in ære Persarum et Macedonum, in ferro regnum Romanorum significatur. Christus enim natus de stirpe Judaica, sine opere maritali, per prædicationem apostolorum percussit extremitatem regni Romanorum, et tunc præfata omnia sæculi regna contrivit, quæ illi erant subjecta. Lapis autem crevit, et suscitatus est in regnum, quod in æternum non dissipabitur. Unde et subditur, *Quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*. Ubi intuendum, quia cum superius unum angelum se vidisse dicat Joannes, ipse angelus nunc pluraliter loquitur dicens : Quoadusque signemus, ego scilicet et apostoli mei. Quod enim fecerunt apostoli, ipse Christus fecit, qui in ipsis habitat juxta illud : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Signum hoc, quo signantur omnes servi Dei in frontibus, ipsum signum est sanctæ crucis, quod fideles in Ecclesia dupliciter, in corpore scilicet et anima, portant. In corpore scilicet, quia signantur in fronte in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In anima vero, quia Christi passionem imitantur, crucifigentes se cum vitiis et concupiscentiis. Unde in Veteri Testamento præceptum est, ut super utrumque limen de sanguine agni ponerent, quia non prodest hoc signum exterius quidquam, nisi ipsum quis accipiat et interius: fides enim si non habeat opera, mortua est. Dicit ergo : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, ac si diceret : Nolite lædere illos qui ad vitam æternam sunt præordinati ante omnia sæcula; unde Apostolus : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem in adoptionem filiorum Dei* (*Ephes.* I).

Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. In hoc loco finitus ponitur pro infinito nec pertinet solummodo ad duodecim tribus filiorum Israel, sed ad omnem Ecclesiam, quæ per hunc numerum comprehenditur in suis electis, quod etiam natura ipsius numeri demonstrat. Ternarius enim summum bonum significat, id est sanctam Trinitatem. Quaternarius vero sacratus est similiter propter quatuor libros Evangelii. Vel propter quatuor flumina paradisi, sive etiam propter quatuor partes mundi, seu propter quatuor virtutes principales. Sive igitur ducantur tria per quatuor sive quatuor per tria, duodecim faciunt, qui et ipse sacratus est propter duodecim tribus Israel, et propter duodecim apostolos. Millenarius enim numerus perfectionem significat, quia sæpe pro universitate ponitur. Unde est : *Verbi, quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV). Ecclesia igitur, quia Trinitatis notitia ex universis generationibus aggregatur, quatuorque paradisi fluminibus irrigatur et in quatuor mundi partes distenditur, recte in duodenis millibus figuratur. Sed si in eo quod credidit perficiatur, necesse est ut duodenarius millium numerus quadra soliditate jungatur. Ducantur ergo duodecim millia per quatuor, et quadraginta octo millia fiant. Ut vero quod credidit, ad Trinitatis contemplationem pertingat, rursum quadraginta octo millia ter multiplicentur, et de se centum quadraginta quatuor millia reddant. Nam et centenarius numerus, qui a læva transfertur ad dexteram, generalem significat sanctorum numerum, qui in perfectione operis inventi, in dextera sunt collocandi.

Ex tribu Juda duodecim millia signati. Manifeste in hoc loco ostenditur, non nos debere hic carnalem accipere generationem, per hoc quod non secundum ordinem nativitatis suæ filii Jacob ponuntur in hoc catalogo. Nam Judas qui hic primus ponitur, utique quarto loco natus est. Gad quoque hic est tertius, ibi octavus invenitur. Similiter de cæteris est intuendum. Quod quare factum sit, ipsa nominum interpretatio manifestat : Judas quippe interpretatur confessio sive laudans, in quo Ecclesia comprehenditur, quæ de peccatis præteritis pœnitentiam agit, et a laude Creatoris non cessat. Confiteor enim æquivocum verbum, et pro confessione ponitur et pro laude. Unde Dominus : *Confiteor tibi, Pater cæli et terræ* (*Matth.* XI). Et Psalmista : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo* (*Psal.* CXXXVII). *Ruben* dicitur videns filium. Et in hoc loco ipsam Ecclesiam significat, quæ filios, id est bona opera videt. Unde est : Videas filios filiorum tuorum. Filii quippe filiorum, intelligitur remuneratio operum. Spiritualis itaque est ista prosapia, quia et in Juda præcessit initium confessionum, et in Ruben succedunt incrementa virtutum. Qui si primus poneretur, ordo nativitatis suæ confunderetur. Prius enim recedimus per confessionem a malis, deinde proficimus ad subsequentia bona, ut informemur rectis et placitis. Post Ruben recte ponitur *Gad*, qui tentatio interpretatur, quia bene operantes solet probare tentatio. Unde quidam dicitur : Quia acceptus erat Domino, necesse fuit ut tentatio probaret te : et quia contra easdem tentationes divina virtute præcincti fortes existunt, recte idem Gad accinctus vocatur. Unde Psalmista : *Præcinxisti me virtute ad bellum* (*Psal.* XVII). Et quia sancti clauso ostio orant Patrem, et sua opera inquantum possunt favori humano celant, ut qui videt in abscondito eis reddat. Recte etiam convenit quod idem Gad latrunculus dicitur. Et quia illata tentatio probatos coronat, congrue post Gad :

Aser ponitur, qui beatus interpretatur. Unde est : *Beatus vir qui suffert tentationem* (*Jac.* I). Certi autem sancti de ista promissione, non solum patienter illata sibi perferunt mala, sed etiam in ipsis tribulationibus constituti a latitudine charitatis non recedunt, atque idcirco post Aser *Nephthalim* ponitur, qui latitudo interpretatur. Per illud enim mandatum currunt, de quo Psalmista dicit: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII.) Et quia per hoc amplissimum dilectionis præceptum gradientes, ea quæ retro sunt oblivioni tradunt, et in ante se extendunt, seque peregrinos in hac vita esse conspiciunt, ideoque et mendicos se esse fatentur, jure post Nephthalim

Manasses ponitur, qui oblitus interpretatur, vel necessitas. Oblitus scilicet, quia unum quod retro est dimittunt ; necessitas vero, quia ad ea quæ desiderant, necdum pervenerunt. Hinc Psalmista : *De necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV).

Unde et bene post Manassen *Simeon* collocatur, qui audivit tristitiam appellatus interpretatur, quia videlicet desiderium illorum postulantium dissolvi, ut possint esse cum Christo, sæpe differtur, non tamen aufertur. Unde necesse est etiam ut nomen habitaculi retineant, quod idem Simeon sonare videtur : quoniam qui mœrent in tabernaculo corruptionis, debent gaudere de habitaculo æternæ quietis, scientes quia in terrena eorum habitaculo dissolvitur, habent ædificationem in cœlis, domum non manufactam. Cui *Levi* succedit, qui additus dicitur, quia videlicet B tales jam omnia conculcantes terrena, superaducunt sibi præcepta non jussa, ut est virginitas, erogatio dimidii bonorum vel facultatum, et cætera hujusmodi, quæ non jussu, sed concilio sunt superaddita. Quibus nimirum bene convenit, quod *Issachar* post Levi annectitur, qui merces interpretatur. Talibus enim debetur merces remunerationis, quorum uni dicit Jeremias : *Quiescat vox tua ploratu, quoniam merces est operi tuo* (*Jerem.* XXXI). Tales autem qui ita vivunt, et solummodo pro remuneratione æternæ vitæ laborant, solent aliquando tentationes probare. Unde bene post Issachar :

Zabulon ponitur, qui interpretatur habitaculum fortitudinis. Non enim tales succumbunt tentationibus, sed virtus in infirmitate perficitur. De talibus dicit Apostolus (*Hebr.* XI) : *Convaluerunt de infirmitate. Fortes facti sunt in bello*, quia corpus illorum quod ab inimicis putatur infirmum, et per quod animæ parant interitum, invenitur invictum. Qui etiam dum a malis persequuntur talentum divini verbi sibi creditum expendere quoque inimicis non cessant, atque idcirco post Zabulon bene *Joseph*, qui augmentum vocatur, subjungitur, quia ut augmentum lucri de accepta pecunia referant, hanc inimicis erogare non trepidant. Et quia omnes isti in dextera sunt æterni regis locandi, qui in virginibus, continentibus, ac bonis conjugatis, in duodecim istis inveniuntur profectibus animarum, bene post hos omnes *Benjamin* ponitur, qui filius dexteræ interpretatur. Quasi enim D ab ejus dextera generantur, qui ejus virtute in hoc sæculo proteguntur. Hoc etiam non est prætereundum cur Dan de hoc catalogo fuerit ejectus, cum in cæteris libris sicut et cæteri fratres inveniatur. Manasses enim qui non fuit filius Jacob, sed qui alienigena matre natus est, id est, de Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos, locum ejus teneat. Ad quod dicendum, quod de Dan nasciturus est Antichristus, juxta illud Jacob, *Fiat Dan coluber in via*, etc., usque *cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX). Ejicitur itaque ex hoc loco Dan, ut ostendatur Antichristus ex numero sanctorum ejiciendus. Aliter : Dan interpretatur judicium transiens Hebræorum; quia scilicet, postquam veritas apparuit, omnia illorum sacrificia et victimæ transierunt, et veritas surrexit per Manassen, hoc est per populum gentilem, quæ oblivioni tradidit idola. Finito enim sacerdotio quod in figura præcesserat, statim surrexit verum in Ecclesia sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. De hoc enim Dominus per prophetam dicit : *Ecce dies venient et consummabo super domum Juda testamentum* (*Jerem.* XXXVII). Et Apostolus : *Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est.* Jam enim Domino adveniente, illud sacerdotium Judæorum in vetustatem fuerat versum, et ad senium declinabat, ideoque cito periit adveniente vero sacerdote Christo. Recte ergo sexto loco pro Dan, qui inde est ejectus, Manasses constituitur, quia videlicet in sexta mundi ætate, adveniente Domino Jesu B Christo, Judaica plebs et sacerdotium et omne bonum perdidit, et in ejus loco Manasses, id est populus gentilis est ascitus, atque in filium adoptatus. Et sicuti Dan de hoc catalogo spirituali est ejectus, ita omnes reprobi ejicientur de consortio sanctorum in die judicii.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Hoc est, postquam audivi numerum fidelium qui comprehenduntur in duodecim tribubus Israel, vidi turbam quam dinumerare nemo poterat. Numerus electorum apud Deum finitus est, sed apud homines est infinitus. Unde ad homines est referendum quod dicitur : Quam dinumerare nemo poterat. *Ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.* Cum dicit ex omnibus gentibus, et deinde subC infertur. Et tribubus, ostendit quia in omnium gentium nomine comprehenduntur fideles omnium tribuum, et econtra in tribuum nomine comprehenduntur fideles omnium gentium. Sancta Ecclesia in tres ordines dividitur, in prælatos, conjugatos, et continentes. Numerus ergo prætermissus non est accipiendus pro finito, sed pro infinito. *Stantes ante thronum et in conspectu Agni.* Per thronum (sicut frequenter dictum est) intelligitur Ecclesia, quæ est sedes Dei, secundum illum : *Anima justi sedes sapientiæ* (*Sap.* V). Stat Ecclesia ante thronum, id est ante seipsam, quia circumspecta est, et sibi providet, ne aliquid indecens faciat. Stat, dum animum suum in soliditate dilectionis et fidei roborat. Hinc Psalmista : *Statuit supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX). In D conspectu etiam agni stat, quia de sua conscientia fida, omnia opera sua vult videri a Deo, a quo remuneretur, unde et unus ex his astantibus dicebat : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto* (*IV Reg.* III). *Amicti stolis albis.* Per stolas albas accipe sinceritatem et puritatem baptismi, purgationem occulti et aperti martyrii, ablutionemque fontis lacrymarum. Ante Mediatoris adventum, corda humani generis maculis peccatorum erant respersa, sed dealbata postea sunt tribus modis superius dictis. Sunt multi, qui has stolas post baptismi ablutionem mundas conservant, quia nullum mortiferum crimen admittunt. Alii sunt, qui coinquinantur diversis sceleribus, sed ut ad pristinum decorem redeant, se occulto vel aperto mar-

tyrio gemitibus lacrymarum candificant, sicque ut omnes fideles stolas habeant superius positas. *Et palmæ in manibus eorum.* Per palmas triumphus victoriæ designatur, per manus vero virtus operationis exprimitur. Palmas ergo in manibus habent electi, dum quolibet modo triumphant de antiquo hoste et hujus sæculi voluptatibus. Vel per manus intellige potestatem. Quod enim per manus potestas designetur, habes in Evangelio, dicente Domino: Nemo potest rapere oves meas de manu mea (*Joan.* x), hoc est de potestate. Potestatem enim accepimus ut filii Dei essemus, dicente beato Joanne: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. his qui credunt in nomine ejus. Palmas habemus in manibus, hoc est victorias, cum de operibus bonis contra diabolum et incentiva carnis triumphamus. Cujus nimirum victoriæ summa, in capite membrorum consistit.

Et clamabant voce magna, dicentes. Vocem magnam, non strepitum vocis, sed desiderium summum sanctorum accipiamus. Unde est: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psal.* x). Hinc Moysi cum nihil exterius diceret, sed intus tantum gemens oraret, Dominus ait: *Quid clamas ad me* (*Exod.* xiv)? *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Salus omnibus quæcunque tribuitur hominibus, sive in corpore, sive in anima, ipsi est deputanda; unde Psalmista: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* iii). Salus Deo nostro, id est Deo Patri: et Agno, id est Dei Filio, qui sedet super thronum, qui Agnus appellatur propter innocentiam et victimationem. Sicuti autem hic introducit Patrem et Filium sedentem, et intelligitur Spiritus sanctus, ita superius ubi solum Filium commemoravit, Pater et Spiritus sanctus pariter intelliguntur. Tale quid legimus in Evangelio, Domino dicente: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii). Ista est enim consuetudo divinæ Scripturæ, sicut supradictum est, ut ubi ponit Patrem et Filium, simul intelligatur Spiritus sanctus. Super thronum sedet, id est super Ecclesiam, quæ est sedes Dei, regnatque in cordibus fidelium habitando.

Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium. Quod sunt throni, hoc sunt seniores, hoc et quatuor animalia. Genus in genere est in hoc loco, sicut legimus supra de arca et de octo animabus. Ecclesia enim propter diversa officia diversis modis exprimitur. Quia enim Dominus in Ecclesia regnans, singulariter cuncta examinat, recte per unum thronum designatur: quia vero ipsa Ecclesia in capite suo aliorum facta judicat, recte per seniores: quia quoque pascuis virentibus per fidem, jam in quibusdam membris inhæret, in quibusdam vero per spem fruitur, bene per animalia: quia hæc ventura prædicando annuntiat, aperte per angelos: quia etiam ex diversis gentibus aggregatur, jure per turbam figuratur. Unde et auctor hujus revelationis ut hanc turbam innumerabilem ipsos esse angelos ostenderet, solummodo eorum casum commemorat. Neque enim convenit ut angelis adorantibus homines rigida cervice starent. Angelos itaque hic accipimus ipsos electos qui designantur per viginti quatuor seniores, qui recte angeli vocantur, quia vitam æternam annuntiant. Electi, ut diximus, angeli sunt, qui aliquando stantes, aliquando sedentes introducuntur. Stantes, sicut hic: sedentes, sicut ibi: *Illic sederunt sedes in judicio* (*Ps.* cxxi). Et: *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matt.* xix). Ipsi sunt in circuitu throni, quia Ecclesiam doctrina, prece, exemplo undique ambiunt. *Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas.* Casus iste humilitatis indicium est, quia electi quidquid boni habent, non suis meritis, sed gratiæ Dei deputant, a quo omnia bona sumuntur, secundum illud: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacob.* i). Et nota quod electi in faciem, reprobi vero retro cadunt, quia electi videlicet in futuro sibi prospiciunt, reprobi vero quæ eos in futuro sequantur, providere negligunt. *Et adoraverunt Deum, dicentes: Amen, benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc omnia cum pertineant ad sanctam Trinitatem, quæ unus et verus est Deus, specialiter tamen ad incarnati Verbi personam referuntur, et infidelium ora Judæorum hac auctoritate clauduntur. Ipsi enim dicunt Christus vester purus homo fuit. Nec mendax, sed Deus et homo una veritas, quod sonat amen, quia amen dicitur verum vel fideliter. Ipsi etiam dicunt: Maledictio congruit crucifixo, quia *maledictus homo qui pendet in ligno* (*Deut.* xxi). Nos e contrario dicimus, quod nulli melius convenit benedictio, quam illi qui maledictum legis abstulit a nobis, et benedictionem Abrahæ ad gentes pervenire fecit. Ipsi quoque dicunt: Non convenit homini mortuo claritas, sed soli Deo vivo. Nos e contrario dicimus nemini magis quam illi ascribendam claritatem, quia in divinitate manens ipse est auctor lucis æternæ, et humanitate ad horam mortuus, tertia die surrexit per gloriam Patris, et est illi claritas comparticeps, et vivit ac sedet in dextera Dei Patris. Ipsi nihilominus dicunt: Non est vester Christus illa sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, quoniam parvulus ex nostra sorore natus est, et per incrementa temporum sapientia ut homo profecit. Nos econtra dicimus: Non est illa sapientia passa detrimentum in assumpto homine, cum idem secundum quod homo erat, profecit sapientia, sed magis hæc ab illa sumpta mansit una sapientia, qua sapientia mundus est factus, et restauratus homo de terra creatus, de terra ad cœlum sublevatus. Ipsi dicunt: Nulla ei debetur gratiarum actio pro salute animarum, quia suam ipse liberare non potuit: nos econtra: Nulli convenientius quam illi debetur gratiarum actio, qui ut afferret salutem animarum nostrarum, propria potestate voluit animam ponere: quod si nollet, nun-

quam poneret. Ipsi etiam dicunt : Nulla ratio permittit honorem deitatis illi ascribi, qui exprobratur irrisus, contemptu dignus habitus est. Et nos econtra : Per hoc a nobis dignius honorandus est, quia pro nobis indigna sustinuit. Ipsi etiam nihilominus dicunt : Non fuit Christus æterna virtus et fortitudo, quia lassari potuit ex itinere. Nos econtra respondemus, Quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Illius enim infirmitas totam mundi fortitudinem ac virtutem prostravit.

Et respondens unus de senioribus dixit mihi : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? et dixi illi : Domine mi, tu scis. Quare dicit, respondens : nulla interrogatione præmissa? Consueto more Scripturæ loquitur, quæ solet plerumque nullo interrogante, ita respondentis voce proferre sententiam. Unde in Evangelio legimus quia respondens Jesus dixit : *Confitebor tibi, Domine, Pater cœli et terræ* (*Matth.* XI). Et alibi legimus, quia respondens angelus dixit mulieribus : *Nolite timere* (*Matth.* XXVIII), nulla interrogatione ipsarum mulierum præmissa. Hoc autem in hac revelatione unius senioris responsio dissimilitudinis habet ex illis, quia ista interrogativa est, illa indicativa. Quid itaque in uno seniore accipimus, nisi ordinem prophetarum unitatem omnium prædicantium? Viginti quatuor enim seniores propter numerum duorum testamentorum, qui duodenario duplicato numero in duodecim tribubus et duodecim apostolis exprimuntur, sæpius hic frequentantur. In uno vero seniore unitas eorumdem testamentorum. Vel certe senior ipse seniorum, Dominus videlicet prædicatorum designatur. Ideo autem interrogat senior, ut quærat Joannes, quærens audiat, audiens intelligat, intelligens ad imitanda quæ quærit, semetipsum accendat. Denique ostenduntur ei amicti stolis albis, ut talem habitum, tale concupiscat indumentum. Sed statim requiritur qui sint, aut unde venerint, quatenus scilicet si vult in talium transire numerum, dum audit qui sint et unde venerint, studeat talis esse, quales illos cernit, satagat inde venire, unde alios venire cognoscit. Quid vero sint stolæ albæ, paulo superius dictum est. Dicatur igitur : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? ac si prædicatores sancti, vel Dominus prædicatorum piis auditoribus diceret : Quotquot ante mundi constitutionem electi sunt, nunquid amatores mundi sunt? nunquid voluptatum suarum sectatores? nunquid per iter voluptatis ambulaverunt? Ad hæc cum Joannes ex persona bonorum auditorum uni seniorum respondit : Domine mi, tu nosti, rursum ille ex persona Domini vel prædicatorum ejus subinfert.

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Cujus videlicet vox toto isto tempore per ora docentium talia clamat, talia prædicat. Unde et in eo quod dicit : Venerunt trium temporum summam concludit, præteriti scilicet, præsentis, et futuri, pro eo quod est, venerunt, veniunt, atque venturi sunt. De tribulatione magna, hoc est, adversitatibus hujus sæculi, juxta quod Apostolus ait : *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei* (*Act.* XIV); et Psalmista : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII). Magnas quippe sancti tribulationes perferunt, dum alios jugulo stravit gladius, alios crucis patibulo affixit, alios in se subjectos aqua absorbuit, alios edax flamma consumpsit. Nec solum pertinent ad hanc gloriam, qui ejuscemodi corporaliter tormenta perferunt, sed et illi, qui in pacis tempore pie vivere in Christo cupiunt, et persecutionum opprobria, irrisionesque aliorum pro Christo sustinent, vel jejunia adhibent, vigiliis insistunt, orationes multiplicant, voluntates proprias gladio præcepti interficiunt, sicque suas stolas, hoc est, sua corpora in sanguine agni candificant, dum Christi, capitis videlicet sui, imitantur exempla, vel pro illo patiendo, vel aliorum illatas contumelias patientur tolerando, vel semetipsos vitiis et concupiscentiis mortificando.

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui sedet in throno, habitat super illos. Ac si diceretur : Propterea ad numerum pertinent electorum, propterea thronus Dei, propterea templum Dei sunt, propterea in templo ejus sanctam illi exhibent servitutem, quia talibus vestimentis induti, quia sanguine agni videntur abluti. Ipsi enim a conditore tanquam thronus præsidentur, ipsi tanquam templum inhabitantur, ipsi et ante thronum in templo Deo servire probantur, quia et ipsi sunt simul templum et thronus Dei. Nam quod dixit : Sedet in throno, hoc repetivit, dicens : Habitat super illos, ubi et thronum et templum eos esse demonstravit. Serviunt autem die ac nocte, id est in prosperis et adversis fidei atque operationis rectitudinem servant. Dies enim prosperitatem, nox vero significat hujus sæculi adversitatem, sed in utriusque sancti Deo serviunt, quia eos nec prosperitas, nec adversitas a beata institutione et libera conditoris sui servitute valet inclinare, et hæc in Ecclesia, hoc est in semetipsis.

Non esurient neque sitient amplius, et non cadet super illos sol, neque ullus æstus; quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Causa redditur, cur non esurient, neque sitient neque solem (id est, æstum) patientur, quia vestimentis albis coruscare videntur, cum dicitur : Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget eos, et cætera. Non esurient, neque sitient, inquit. Famem quippe sancti jam non patientur, quia præsentia illius satiabuntur, qui est panis vivus de cœlo descendens. Hinc Psalmista : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Sitim quoque non sustinebunt, quia ipse est potus vitæ. Unde Psalmista (*Psal.* XXII) : *Dominus regit me*, etc., usque *Super aquam refectionis educavit me*. Et non cadet super illos sol neque ullus æstus, hoc est adversio aliqua, tribulationisve angustia, vel persecutionis et tentationis molestia non eos gravabit, quia ipsius obumbratione tegentur. Cui Psalmista dicit : *Obum-*

bra caput meum in die belli (Psal. CXXXIX). Solis quippe et æstus nomine sæpe solet tribulatio persecutionis accipi. Unde de seminibus jactis in Evangelio ipse Dominus dicit, quia quod supra petram cecidit, sole orto æstuavit. Agnus vero qui in medio throni est, reget eos, hoc est, Christus in medio Ecclesiæ suæ consistens, eos gubernabit, et ad vitæ fontes aquarum deducet eos, hoc est, ad contemplationem sanctæ Trinitatis. Hinc Psalmista : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (Psal.* XXXV). Quod tale est, quasi diceret : In fonte tuo videbimus fontem. Spiritus quoque sanctus fons appellatur, ut in Evangelio ipse Dominus dicit : Si quis sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; ut quid aquarum fons, et non simpliciter fons introducitur, nisi quia simplicitas donorum per hanc sententiam exprimitur? Unus enim fons propter unitatem naturæ Patris, Filii et Spiritus sancti. Aquarum vero fons propter numerositatem, ut diximus, gratiarum introducitur. Ad vitæ itaque fontes aquarum deducet eos, hoc est, ad contuendam sanctæ Trinitatis majestatem, quo fame ac siti depulsa, nec solem nec æstum patientur vitiorum, vel perturbationum nullo calore urentur. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Deus omnipotens miro pietatis affectu aliquando patrem, aliquando matrem se ostendit, quia plangentium filiorum lacrymas abstergit. Hinc ut pater aversos filios revocat, dicens: *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras (Jer.* III). Materna quoque viscera pietatis transcendens, ait : *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui (Isa.* XLIX)? Tamen si illa oblita fuerit, ego non obliviscor tui. Ecce amat ut pater, ecce miseretur etiam ultra matrem, lacrymasque ab oculis tergit electorum. Notandum autem quod omnem lacrymam abstergere Deus promittat. Variæ enim sunt electorum lacrymæ, quoniam alius propterea plangit, quia malum egit, quia bonum non fecit ; alius, quia dura correptionis flagella sustinet ; alius, quia vitiis impugnatur ; alius, quia diu a regno peregrinatur. Talique modo varii sunt in hac vita fletus sanctorum, qui tunc utique abstergentur ad plenum, quando instante tempore gaudii æterna jucunditas succedet, juxta illud : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Matth.* III). Et alibi : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI). Tunc utique absterget omnem lacrymam, quoniam nihil eis adversi accidere potuit, unde vel modicum contristentur,

CAPUT VIII.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi media hora. Cœlum (ut frequenter jam diximus) justorum Ecclesia vocatur, quæ scilicet dum a frequentia rerum corporalium, contemplatione intima cujusdam secreti secessum petit, et cogitationum tumultus reprimens, in internæ quietis secretum penetrat, quasi quoddam silentium Deo in mente præparat. Sed quia in hac vita nequaquam contemplatio perfecte agitur, animoque renitenti cogitationum tumultus se ingerunt, recte per silentium quasi media hora factum dicitur. Quod si in hac vita fuisset perfectum, nequaquam quasi media hora quæ imperfectionem significat, sed integra perhiberetur factum, quæ perfectionem demonstrat. Quasi ergo media hora fit silentium in cœlo, cum electorum animus in hac mortali vita, et aliquid de superna quiete percipit, et tamen in eo quod perceperat, diu stare non valet.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Ordo præposterus est in hoc loco, quia prius venit unus angelus ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua, et sic septem angeli acceperunt septem tubas. Per septem angelos, prædicatores universalis Ecclesiæ intelliguntur, qui bene angeli vocantur, quia æternam vitam nobis annuntiant de quibus scriptum est : *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII). Recte etiam septenario numero exprimuntur, quia videlicet septiformi spiritu replentur. Recte septenario numero terminantur, quia universitati credentium præponuntur, septenario enim numero et universitas et perfectio designatur; unde est : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII). In conspectu quoque Dei stare perhibentur, quia calcatis omnibus terrenis voluptatibus, contemplationi quoque Dei adhærent, ejusque voluntatem, qui nusquam deest, considerant : et quod ei placere sciunt, opere perficiunt. Hinc Paulus ait : *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* XII). Et Elias : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto III Reg.* XVII). Per septem quoque tubas, Scriptura Veteris ac Novi Testamenti intelligitur, propter septiformem Spiritum, per quem omnis Scriptura dictata est, et intelligentibus reserata. Quæ Scriptura tubæ comparatur, quia magna annuntiat : unde ipsis prædicatoribus dicitur : Quasi tuba exalta vocem tuam. Datæ sunt illis ab angelo, id est, a Christo qui omnibus doctoribus intelligentiam divinorum voluminum in utroque testamento dedit ; unde sequitur :

Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum. Iste angelus alius, qui stetit ante altare, intelligitur homo Christus Deus, de quo propheta dicit : *Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus* (*Isa.* IX). Ipse est enim nuntius paternæ voluntatis qui venit et stetit ante altare cum aureo thuribulo, ut ostenderet quia ipse est verus pontifex futurorum bonorum. Sacerdotis quippe ministerium est altari assistere, et aptatum aromatibus thymiama sollicite cremare. Ipse est enim angelus angelorum, et pontifex pontificum. Porro ante altare, id est, ante omnem ecclesiam, quæ igne divini amoris accenditur, et verum sacrificium (id est, cor contritum) Domino offert, semetipsum mactans, ut hostia viva et rationalibus fiat, ante hoc altare enim stat angelus, id est, pontifex verus, per quem omnia munera nostra Deo Patri mittimus: unde et sa-

cerdotes singulis suis orationibus ejus memoriam faciunt, ut per illum exaudiantur, dicentes : Per Dominum nostrum Jesum Christum. Unde intuendum, quod Joannes ita hæc descripsit, dicens : Venit et stetit. Venire quippe ad humanitatem pertinet, per quam habuit transire de loco ad locum : stare autem ad divinitatem, per quam ubique præsens est, juxta illud: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXXIII). Venit ergo ad nos per humanitatem, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, qui ubique habet esse per divinitatem, secundum quam omnia facta sunt. Habens thuribulum aureum. Quid per thuribulum aureum in quo ignis ponitur, nisi corpus Domini intelligere debemus? Tunc enim accepit thuribulum, quando suæ divinitati nostram conjunxit mortalitatem, quod thuribulum bene aureum dicitur, quia videlicet in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Verbum enim, et homo una est sapientia, de qua scriptum est : Accipite sapientiam sicut aurum. Possumus et per thuribulum aureum, in quo cremantur aromata, intelligere Ecclesiam, quæ igne divini amoris accensa, mundas ad Deum dirigit orationes, dicens cum Psalmista : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL). Nam et ipsa sapientia repleta est, quam ab ipso suo percepit capite. *Et data sunt illi incensa multa.* Quid incensa significent, et supradictum est, et hic aperte manifestatur, cum subditur : *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* Ipsi enim angelo dantur incensa, ut ea super altare, hoc est, super semetipsum offerat Deo Patri, per quem orationes et omnia opera sua sancti ad Patrem dirigunt, juxta quod scriptum est : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II).

Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli. Sicut fumus ex crematis aromatibus procreatur, sive virtus compunctionis ex studio orationis gignitur. Sed de manu angeli coram Deo ascendunt, quia per Redemptorem nostrum, quæ a fidelibus committuntur, ad Deum Patrem perveniunt. Quia vero ignis mittitur in thuribulo, ut inde fumus generetur, patet (sicut dictum est) quod per thuribulum et ipse Dominus, et totum corpus ejus intelligitur, in quo mittitur ignis Spiritus sancti, de quo Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram*, (*Luc.* XII). Isto igne electi accensi, et fumum compunctionis ad Deum per Christum dirigunt, et ad Dei amorem et proximi accenduntur.

Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris. Tunc enim angelus thuribulum accepit, cum Dominus sibi intra uterum virginis naturam humanam conjunxit, vel cum primum in Judæa discipulos elegit, quia non de alio spiritu, sed ex seipso de quo impleta est Ecclesia, ipse replevit corpus suum; verum cæteros ad mensuram, ipsum autem plenitudo spiritus implevit. *Et misit in terram.* Hoc dupliciter potest intelligi. Primus enim misit Spiritum sanctum in terram, hoc est, in apostolorum corda, quando resurrectionis suæ tempore surgens a mortuis, insufflavit et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX); deinde misit eumdem Spiritum sanctum in terram, hoc est, in corda gentilium, qui crediderunt in eum per prædicationem apostolorum; primum fecit in Judæis, hoc per se quos collegit ad fidem suam, deinde in gentibus, ad quorum salutem misit apostolos, qui credentes in eum, meruerunt accipere Spiritum sanctum. *Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus.* Prædicantibus apostolis facta sunt ista tonitrua, id est, comminationes et terrores ut : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* VII). Et : Tunc dicet rex his qui a sinistris erunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Et voces exhortationum, ut : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Et : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Et fulgura et terrores miraculorum, quibus fideles et ad vitam præordinati illuminabantur. Alii enim excæcabantur, assignantes ea diabolo potius quam Deo. Terræ motus, id est, persecutiones contra credentes, quibus illi exercentur.

Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent, id est, omnes prædicatores universalis Ecclesiæ, qui habebant scientiam duorum testamentorum, præparaverunt se ut tuba canerent, id est, ut Evangelii doctrina insonarent. Duobus modis se præparant electi ad prædicandum: primo, quia antequam verbum prædicationis ad publicum proferant, cogitant quemadmodum singulis personis verbum aptent secundum qualitates singulorum, quomodo scilicet servis, quomodo dominis, quomodo prælatis, quomodo subjectis, quomodo simplicioribus, quomodo perfectioribus, sicut Paulus, qui benignos hortabatur dominos, ut misericordiam impenderent servis, scientes quoniam communis omnium Dominus in cœlo est. Servos quoque monebat ut debitum impenderent dominis, non ad oculum servientes. Vel certe præparant se, quid quæ prædicaturi sunt, prius ipsi faciunt, primumque ea in se ostendunt factis, deinde etiam verbis, ut simplices exemplo erudiantur operis : perfectiores vero, verbo exhortationis. Sic enim fecit et Dominus, juxta quod Lucas dicit : *Quia cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I).

Et primus angelus tuba cecinit. Quod est primus angelus, hoc sequentes : quia quod unus, hoc sunt et septem, id est, omnis Ecclesia sanctorum. *Et facta est grando et ignis mista in sanguine.* Per grandinem ira omnipotentis Dei designatur, unde scriptum est : Ira Domini sicut grando descendens. Per ignem autem, odium et invidia intelligitur reproborum adversus sanctos. Statim enim ut apostoli cœperunt prædicare grandinem, id est, vindictam Dei, reprobi accensi sunt zelo et odio, quod per ignem

designatur. Quod autem post ignem sanguis sequitur, ad damnationem reproborum pertinet, quia videlicet velut homicidæ humanum sanguinem fundentes, ita tales qui insecuti sunt veros prædicatores, peribunt, dicente Domino : *Qui odit fratrem suum, reus erit judicio* (*Matth.* v). Et Joannes : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Non autem mirum, si inde electi clementiam inveniunt, unde reprobi iram incurrunt, dicente Apostolo : *Quia aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II). Et Simeon de ipso Domino : *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II). *Et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est.* Per terram terreni homines designantur, super quos ira omnipotentis Dei cadit. Sed cum dictum est, quod tertia pars terræ combusta est, sic videntur, hæc verba sonare, quasi in duabus partibus electorum plures remanserint, quam in tertia perierint, sed non est ita, quia scriptum est : Multi sunt vocati, pauci vero electi. In duobus itaque partibus comprehenduntur omnes boni, qui divisi sunt in duali numero, id est, in prælatis et subjectis, in prædicatoribus et auditoribus, de quibus supradictum est : Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus. In tertia autem parte omnes reprobi, id est hæretici, pagani, Judæi, et falsi christiani. Super hos omnes grando, id est ira Dei, venit et ignis æternæ damnationis, cum sanguine, id est, vindicta homicidii et cæterorum peccatorum, quæ per sanguinem intelliguntur, juxta illud : *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L). Verum hoc est terra, quod arbores, id est malorum summa. Ipsi enim sunt terra quærentes terrena, ipsi quoque arbores instabilitate nutantes, de quibus per Apostolum dicitur : Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ. Quod autem omne fenum viride combustum esse dicitur, repetita sententia est, in tertia parte scilicet, sicut et supra, id est memorata pars malorum qui fenum sunt, hoc est, illecebrosi et voluptuosi, luxuriam suam sequentes. De talibus propheta dicit : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus ut flos feni* (*Isa.* XL). Quo contra : Qui de panibus Dei reficiuntur, super fenum discumbunt, quia omnes in se carnales voluptates comprimunt.

Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare. Mons magnus est diabolus, qui se extollit in altitudinem superbiæ, unde et in principio suæ creationis voluit fieri similis illi de quo scriptum est : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, dicens : Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isa.* II et XIV). Vel etiam propterea mons appellatur, quia in novissimo tempore ingredietur perditum hominem, et ipse Deo similem se esse ostendet, juxta quod Apostolus ait : *Adversabitur et extolletur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur* (*II Thess.* II). Igne ardet, hoc est, malitia et invidia torquetur. Unde et primum hominem idcirco decepit, quia invidit ei locum quem ipse perdiderat. Missus est in mare, hoc est, in mundum, et in cordibus reproborum habitare cœpit. Canente itaque tuba angelo, mons magnus igne ardens missus est in mare, quia prædicante Ecclesia in suis doctoribus, exclusus est ab his diabolus qui ad vitam æternam erant præordinati, et compulsus est redire ad suos, non quod in eis ante non fuerit, sed quod abjectus ab istis, eo amplius reprobis damnari cœpit. *Et facta est tertia pars maris sanguis.* Sic visum est illi factum in mari, sicut olim fuerat factum in Ægypto, ad egressum filiorum Israel. Porro per aquam in sanguinem versam, sapientia carnalis intelligitur, quæ in sanguinem vertitur, quando aperte mala agere persuadet, non solum eos qui extra Ecclesiam, sed etiam hæreticos et falsos christianos qui suas voluntates sequi desiderantes, defendere se conantur, per suam sapientiam et inanem philosophiam. Unde scriptum est : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Et sic ad perversitatem erroris vertitur sapientia carnis. Tertia autem pars creaturæ quæ mortua est in mari, secundum prædictum sensum, intelliguntur hæretici, falsi christiani, pagani, et Judæi, qui, licet vivant corpore, mortui sunt in anima, et in hoc mundo versi sunt in sanguinem, id est, in perpetrationem malorum operum, quæ ut diximus, designantur per sanguinem.

Et tertia pars navium interiit. Naves et in bonam partem ponuntur, et in malam. In bonam, ut legimus in Evangelio, quod *Dominus ascendens in navim, abiit trans fretum* (*Marc.* VI). In malam, ut hic. Tertia autem pars navium in prædictis hæreticis et cæteris intelligitur, qui absque gubernatore feruntur, ideoque in mari istius sæculi fluctibus tunduntur et submerguntur.

Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula. Quod enim primus angelus, hoc secundus et tertius et cæteri, id est, universalis Ecclesiæ prædicatores. Sed quia sibi invicem succedunt, sicuti martyres apostolis, ipsique martyribus confessores et virgines, ideo taliter distinguuntur, ut dicatur primus, secundus, tertius, et cæteri. Ipse autem designatur per stellam, qui et per montem, antiquus videlicet hostis, qui inter cætera cœli clara lumina creatus, primum adhuc tantum nomen retinet, non quod luceat, sed quia in angelum lucis se transfigurat. Nam et in cœlo stella magna Lucifer appellatur, quæ præ cæteris lucet. Et ad ipsum per Isaiam dicitur : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV)? Et quia etiam præ cæteris sideribus, id est angelicis spiritibus luxit, recte non simpliciter stella, sed cum additamento stella magna vocatur. Cecidit de cœlo, hoc est, de societate angelorum, juxta illud : *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem* (*Luc* X). Quia vero postquam cecidit humano generi invidit, me-

rito tanquam facula ardens appellari debuit, quia videlicet ardet invidia, et totum mundum consumpsit. Unde est : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (Rom.* v).

Et cecidit in tertiam partem fluminum ; et in fontes aquarum. Quod sunt flumina, hoc sunt et fontes. Flumina enim a fontibus oriuntur, et sic ad mare currunt. Aquæ autem multæ, populi multi sunt. Ideoque hic flumina vel fontes ipsos hæreticos significant, et cæteros qui sub tertia parte comprehenduntur, in quos diabolus cecidit, cum humano generi invidit, et per eos doctrinam erroris seminavit. Quod tale est, quasi diceret in tertiam partem hominum ; unde subditur :

Et nomen stellæ absynthium. Per absynthium, quæ amarissima est herba, doctrina hæreticorum intelligitur perversa, qui per suam falsitatem dulcedinem fidei converterunt in amaritudinem perfidiæ et erroris et operationis, quia omnis operatio illorum et doctrina in amaritudinem versa est. Ejectus enim ab electis antiquus hostis, dum reprobos invadit mendacio, illos veneno inficit. Mendacium autem non solum perversæ credulitatis, verum etiam malæ operationis noxam intelligere debemus. Quod enim sancta Ecclesia in sacris paginis rectæ fidei congruere docet, hoc hæretici, Judæi, atque philosophi in pravum dogma convertunt ; et quo illi ad incrementa virtutum, hoc pravæ viventes catholici ad incitamenta vitiorum utuntur. Quamvis autem et illi de Domino multa intelligant, et isti quædam salutaria peragant, totum tamen amarissimum est, quod et illorum verba sonant, et istorum opera clamant.

Et multi hominum mortui sunt ex aquis, quæ amaræ factæ sunt. Id est ex doctrina hæreticorum perfida et amara multi perierunt. Multos siquidem habuerunt discipulos, qui eorum exempla et doctrinam sunt secuti, qui omnes mortui sunt, non tantum morte corporis, quantum morte animæ.

Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et non luceret diei pars tertia et noctis similiter. Per solem et lunam et stellas in hoc loco Ecclesiam intelligere debemus, quæ obscurata in tertia sui parte, duabus partibus permanentibus in claritate, in bonis prælatis et subditis, in doctoribus et auditoribus. Ipsa enim Ecclesia solis nomine nuncupatur, sicut in Canticis canticorum dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant.* III)? Stellarum quoque nomine eadem Ecclesia nuncupatur, juxta quod Apostolus dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II). Quandiu itaque hæretici in Ecclesia erant, quasi lux esse putabantur, sed statim ut error illorum detectus est, et a catholicis fides illorum explorata, agnita est eorum cæcitas, et obscurati sunt, quia ab Ecclesia abjecti sunt verbi gratia : Cæcus si ponatur in radio solis, quia lippientes oculos habet, statim cæcitas illius manifestatur, quoniam ipsum modicum lumen quod videbatur habere, perdidit, ita illi statim ut in conspectu examinantium positi sunt, cognitus est eorum error, et qui prius videbantur lucere per fidem, cœperunt obscurari, et ab Ecclesia expulsi sunt propter suam infidelitatem. Quod dicit : Tertia pars solis percussa est, etc., solis percussio ad diem, lunæ autem vel stellarum, referenda est ad noctem. Significatur autem in sole apertus error hæreticorum, in luna vel stellis occultus, quia quidam illorum apertis, quidam autem occultis persuasionibus in abditis, quos possunt decipiunt. Notandum autem quod non dicit : Percussa est tertia pars eorum et obscurata, sed : Percussa est ut obscuraretur, ad hoc scilicet percussa est ut postea obscuraretur, quia illi videlicet vulnerabantur occulte in mente, postea vero obscurabantur, quando ab Ecclesia expellebantur et anathematizabantur aperte. Sed ne talium perditio ad Deum referatur, hoc quod de præfatis luminaribus dicitur, Percussa est tertia pars eorum ut obscuraretur, sic intelligatur, sicut cor Pharaonis ab ipso indurari dicitur, cujus duritia per ipsum misericorditer non emollitur. Neque enim culpa est solis, quod suis radiis lippientibus oculis cæcitatem infundit, sed magis ad vitia oculorum redigendum est, qui ex lumine tenebrescunt. Omnipotens autem Deus bene utens malis nostris, multa ex his operari consuevit. Excitavit enim doctores error schismaticorum ad defendendam veritatem fidelium, quia procul dubio nequaquam ad disserendas Scripturas tanto studio vacassent, si erroris mendacium veritati resistens non increvisset. Hinc scriptum est, quia *oportet hæreses esse* (*I Cor.* XI).

Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna : Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium angelorum qui erant canituri tuba. Quod significant angeli, hoc etiam aquila, id est universalem Ecclesiam, sive doctores specialiter, qui volant per medium cœlum, hoc est, per mediam Ecclesiam currunt, quæ cœlum appellatur, quia sedes Dei est. Quod autem dicit Joannes, Vidi et audivi vocem unius aquilæ, ostendit procul dubio quia in spiritali visione hoc est videre, quod audire, hoc audire, quod videre. Tria væ æternam significant damnationem, quæ in trium angelorum vocibus, qui sequuntur, continetur. Quod vero non de præcedentium quatuor angelorum vocibus, sed trium subsequentium, qui erant canituri, vocem unius aquilæ volantis vidisse se dicit et audisse, atque lugentis, nimirum aperte innuit, quia electorum Ecclesia venturas diversæ calamitatis plagas lugere simul ac prædicare non cessat, ac si ipsa Ecclesia diceret : Reproborum perditionem per totum tempus præsentis vitæ lugere simul ac prædicare me cerno. Bene autem una aquila volans per medium cœlum Ecclesiam significat, quæ unitate fidei consistit, et calcatis terrenarum voluptatum desideriis, intima contemplatione ad cœlestia sublevatur, cujus videlicet membra cum Apostolo dicunt :

Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III). Bene autem per medium cœlum volat, qui hinc inde orbem terrarum in electis possidet, cujus prædicatio non simpliciter vox, sed cum additamento vox magna vocatur, quia in toto mundo sonuit, sicut de primis prædicatoribus ejus dictum est : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Rom.* x). Vel certe magna vox pro magnæ libertatis audacia ponitur. Et notandum quia non cœlum, sed terram inhabitantibus væ futurum lamentando denuntiat, terrenis scilicet desideriis atque oblectationibus deditis.

CAPUT IX.

Et quintus angelus tuba cecinit : et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram. Hæc stella, ut supra dictum est, diabolum significat, qui se transfigurat in angelum lucis, unde quibusdam apparens dicit se esse Christum, sicut beato Martino. De hoc cœlo cecidit, hoc est, de numero angelorum, vel de cœlo, hoc est, de Ecclesia cadit quotidie, quando ex gentilitate quidam convertuntur ad fidem, sive ex parentibus christianis nati, fonte baptismatis regenerantur, et diabolo renuntiant, et omnibus operibus et pompis ejus. In terram cadit, hoc est, in eos qui terreni sunt. Non enim in cœlo, id est in sanctis potestatem habet.

Et data est ei clavis putei abyssi. Quid per abyssum, nisi prava designantur corda reproborum peccatis tenebrosa ? De hac abysso dicitur in Genesi : *Tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* I). Per puteum autem hæretici intelliguntur, quia sua prava doctrina et profunda homines in ima terræ demergunt. Clavis vero putei abyssi, potestas intelligitur diaboli, qui dominatur hæreticis, paganis et cæteris infidelibus. Legimus enim quod Petro datæ sunt claves, id est potestas ligandi et solvendi. Ita ergo in hoc loco clavis, quæ data est diabolo, potentia intelligitur, quam exercet in reprobos. Quæ illi data esse dicitur propter hoc, quod non est ablata, sicut induratum est cor Pharaonis, id est non emollitum.

Et aperuit puteum abyssi. Quia ipse inspirat hæreticis, ut tenebras suæ doctrinæ proferant ad decipiendum quos possunt. Ipse hoc facit, quia eo instigante fit. Sive per clavem possumus intelligere potentiam carnalem, id est, reges et principes hujus sæculi, quos sibi conjungebant hæretici, quia non auderent tanta et talia loqui, nisi temporali essent potentia fulti. *Et ascendit fumus putei*, id est, pravorum hæreticorum doctrina manifestata est. Quæ bene fumo comparatur, quia lumine veritatis caret, et quod sanctis in Scriptura sacra lumen præbet, hoc hæreticis cæcitatem infundit, qui etiam aliis fidei lumen obscurare non cessant. *Sicut fumus fornacis magnæ.* Fornax autem magna novissima est vexatio, tempore antichristi futura, de qua videlicet fumus egredietur, id est adversa doctrina, quæ mentes pereuntium in caliginem vertat, cui fumus putei comparatur, quia sicut nunc et eo amplius error, ita tunc seminabitur ab impiis, unde dicit : Erit tribulatio qualis non fuit neque fiet. Quo in loco quæstio oritur, quare dicatur fumus putei similis fumo fornacis magnæ : si enim tunc tribulatio erit, qualis non fuit, quomodo nunc similis est doctrina hæreticorum doctrinæ antichristi ? Sed sciendum quia illa persecutio et falsa doctrina antichristi et cæterorum ex parte similis erit, ex parte dissimilis. Similis erit in persecutione sanctorum, in errore mendacii : dissimilis vero in hoc quod tunc illi miracula facturi sunt, cum sint falsi doctores, quod isti facere non possunt, ideoque immanior erit illa, quia per utraque decipiet. *Et obscuratus est sol et aer.* Id est Ecclesia, quia quod per solem, hoc significatur per aera, et hoc in tertia parte sui, id est, in omnibus reprobis est intelligendum ut supra.

De fumo putei, id est, de hæreticorum doctrina. *Exierunt locustæ in terram.* Discipuli scilicet erroris nati sunt, qui terrena corda hominum deciperent. Nam locustæ neque rectos gressus habent, ut quædam animalia, neque volatum ut aves, quia discipuli hæreticorum vel ipsi hæretici neque rectam habent fidem, ut volent, et cœlestia cum sanctis petant, de quibus Isaias dicit (*c.* LX) : *Qui sunt isti qui ut nubes volant ?* neque rectos gressus operationis, ut cum Psalmista dicere possint : *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX). Saltus dant locustæ, et virentia quæque corrodunt, quia illi per jactantiam elevantur, et animas quas possunt quæ virorem fidei habent, necant. *Et data est illis potestas, sicut habent scorpiones potestatem terræ.* Potestas nocendi scorpionis in cauda est. Per hanc enim percutit et venena diffundit. Scorpio quoque in facie est blandus, sed occulte cauda percutit. Tales sunt hæretici, qui falsis vera permiscent, ut facilius auditores decipiant, sicque veneno malæ doctrinæ decipiunt simplices, de quibus Psalmista ait : *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Rom.* III). Et sacra Scriptura testatur quia propheta docens mendacium, ipse est cauda.

Et præceptum est illis ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis. Superius dictum est quod omne fenum viride combustum est, quod in sui tertia parte intelligitur. Ergo hic fenum in bonam partem ponitur. Significat enim lactentes, qui non possunt capere solidum cibum, sed veluti animalia, litteræ superficie delectantur. Quibus Apostolus ait : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam* (*I Cor.* III). Omne autem viride, intelliguntur proficientes, qui jam possunt intelligere et capere quod Joannes dicit. *In principio erat verbum* (*Joan.* I). Porro arbores perfecti quique et fortes atque in fide robusti sunt, quoniam hi tales tentationum ventos perferre possunt, et firma stabilitate perdurant. De quibus Psalmista : *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt* (*Psal.* XCI).

Sed et hic a toto pars intelligenda est, ut supra, qua duabus scilicet partibus permanentibus in Ecclesia, a quarum læsione prohibentur locustæ, tertia pereat. Unde et statim subjungitur : Nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis, subaudi digne, quia non solum excluduntur illi qui extra Ecclesiam sunt, id est pagani et Judæi, sed etiam falsi Christiani, qui signum portant in corpore, qui baptizati sunt, et in Ecclesia consistunt, sed tamen fidem quam habere videntur, operibus maculant, ideoque læduntur. Tale est illud : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo (Joan.* VI). Cum multi eadem sacramenta percipiant, in quibus non habitat Christus, quia non ad salutem, sed ad judicium suum manducant et bibunt, ideoque rei sunt corporis et sanguinis Christi. Et alibi dicitur sub eodem sensu : Nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Cum utique multi eum tantum verbis fateantur, sed habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegant, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Et datum est illis ne occiderent eos. Ad superiora respiciunt ista, id est ad fenum, ad omne viride, ad arbores, quæ in bonum intelleximus, et a quorum morte et læsione prohibitæ sunt locustæ. *Sed ut cruciarent mensibus quinque.* Per quinque menses intelligitur omne præsens tempus, a Domini scilicet ascensione usque ad finem sæculi, in quo hæretici et cæteri infideles et impii adversus Ecclesiam grassantur. Nam quia quinarius numerus ad quinque sensus corporis pertinet, recte per quinque menses omne præsens tempus intelligitur, quia tandiu impii sanctis nocere possunt, quandiu quinque sensibus corporis subsistant. *Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii cum percutit hominem.* Sicut enim scorpio a posterioribus venena diffundit, ita illi reprobi iis quæ cito transeunt, et in præsenti relinquuntur, atque ideo posteriora nuncupantur, nocent, et hoc in cauda, id est in potestate hujus sæculi, vel minis quoslibet confringentes, vel commodis blandientes.

Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam. Dies isti quibus electi quærent mortem intelliguntur ab ascensione Domini usque ad finem sæculi. Specialiter autem fiet hoc temporibus antichristi. Homines in hoc loco accipimus sacerdotes et ecclesiarum præpositos, qui cum viderint tempore illo tantum pravitatis dogma consurgere, sicut ex parte jam factum est temporibus hæreticorum, quærent mortem, quia scilicet optabunt in Dei contemplatione consistere, ut sint mundo mortui et omnibus sæculi actionibus, et vivant Deo. Sed ista quærentibus fugiet mors ab eis, quia insolubile vinculum regiminis astringet illos, nec poterunt gregem sibi commissum relinquere in ora luporum, ne forte damna gregum super eos revertantur, et illis in peccatum reputetur, si eos errare aut perire pro sui quiete permiserint. *Et cupient mori, et fugiet mors ab eis.* Quia sancti viri, ut dictum est, inter scandala hujus sæculi secreta conversatione Deo per contemplationem inhærere cupiunt, sed propter aliorum lucra quibusdam occupationibus in certamine desudant. Nolentes itaque vivunt, sed dilatam mortem propter aliorum salutem æquanimiter ferunt, attendentes illud Apostoli : *Non quæ sua sunt singuli quærentes sed quæ aliorum* (*I Cor.* XIII).

Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium. Equis assimilantur omnes hæretici propter velocem ubique discursum, quia totum subito replebunt mundum ; locustis vero, propter vacuitatem. In prælium vadunt, quia contra fidem rectam electorum pugnant. Et sicut Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et iste resistent veritati : et quamvis juxta rationem subsistere adversus prædicatores nequeant, semper tamen irrationabiliter veritati resistunt. *Et super capita earum tanquam coronæ similes auro.* Superius dictum est de senioribus, quod habebant coronas aureas in capitibus suis, per quas triumphus victoriæ illorum significatur. Isti autem non habent coronas, sed quasdam figuras tanquam coronas, nec sunt aureæ, sed similes auro, quasi scilicet quoddam falsitatis figmentum, quia videlicet ipsi se victores simulant, et dignos remuneratione, sed nec coronas, nec ex auro habent, quia, ut Apostolus ait, habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegant. *Et facies earum* subaudi locustarum. *Sicut facies hominum* erant. Quia homo est animal rationale, per faciem hominum rationabilitas eorum intelligitur, quia licet sint seductores eorum, tamen etiam multa vera dicunt, et dialectici sunt, cæterasque artes liberales sciunt.

Et habebant capillos sicut capillos mulieris. Fluxus mulieris in capillis esse dignoscitur. Unde Apostolus : *Mulier si comam nutrial, gloria est illi (I Cor.* XI). Per capillos ergo mulierum, effeminatos illorum animos intelligere debemus et lascivos, quia sunt homines sibi placentes et suas voluptates sequentes. Sive per faciem hominum et capillos mulierum, uterque sexus intelligitur, quia illi non solum deceperunt viros, sed etiam mulieres. Quia enim hæretici ad hoc ut locustæ saliunt, et equi discurrunt, et tamen in omnibus veritati resistunt, recte illorum opinio fetor esse describitur. Unde et ipsæ mulieres defendebant eos, sicut soror Constantini, quæ Arium revocavit ab exsilio : et sicut Justina quæ eamdem Arianam doctrinam defendit contra Ambrosium, et aliæ multæ. Locustæ ergo facies humanas, et capillos mulierum habent, ut in hæretica perfidia uterque sexus sibi (ut ita dixerim) nequius applaudat, tueatur atque defendat. Possunt etiam per capillos mulierum ipsi intelligi, quos hæretici deceperunt, animos scilicet habentes seducibiles, et mollitie feminarum flexibiles. *Et dentes earum*, subaudis locustarum, *ut leonum erant.* Dentes leonum habent laniatum et fetorem naturalem. Tales erant hæretici, qui animas hominum interficiebant, et malam famam de se emittebant. Et sicut bonis Christi prę-

dicatoribus convenit, *Christi bonus odor sumus* (*IICor.* II), sic econtrario istis erit, pro suavi odore fetor.

Et habebant loricas sicut loricas ferreas. Per loricas obfirmata et dura perversorum hominum corda monstrantur, quia sicut homo lorica munitur, ne ictibus telorum vulneretur, ita illi sua obstinatione muniuntur, ne sagitta veritatis ad corda illorum veniat, et ita defendunt perfidiam, sicut fideles veritatem, sicque mendacio dediti, contemnunt obedire veritati. Et notandum quam apta sit hæreticorum in singulis speciebus comparatio, qui et in locustis elati et vani, et in caudis scorpionum venenati, et in equis lascivi ac vani, et in humana facie simulatione callidi, et in capillis mulierum moribus incompositi, et in dentibus leonum fetidi, et in loricis ferreis corde notantur perfidi. *Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum.* Quod superius per caudas, hoc designatur hic per alas locustarum, id est potentia hæreticorum, vel doctrina electa, quam ipsi eligunt. Quarum vox etiam bene similis dicitur : curribus equorum currentium in bellum. Nam currus quando a stabulis prodeunt, divisi ab invicem et sejuncti incedere solent usquequo ad locum certaminis venientes conjungantur, et pari voto pugnent : Ita et hæretici semetipsos dividunt, et contrarios sibi errores proferunt, verbi gratia : Photinus negat Christum ante Mariam fuisse, sed ex ipsa initium dicit eum sumpsisse, et verum corpus habuisse Econtra, Arius dicit eum ante sæcula natum et creaturam esse. Similiter et cæteri varios mendacii inveniunt errores valde sibi contrarios : sed quamvis inter se dissideant, tamen unanimiter contra unitatem Ecclesiæ pugnant.

Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum, et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Per caudas, ut supra dictum est, potentia temporalis intelligitur, per quam nocent conjungentes suo errori principes hujus sæculi. Verum quod superius fuerat prætermissum de caudis scorpionum, hic adjungitur cum dicitur : Et aculei in caudis eorum. Quid sit aculeus in caudis locustarum, Paulus exponit cum dicit : *Ubi est mors victoria tua, ubi est aculeus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est* (*I Cor.* XV). Constat ergo quia omnis illorum potentia et error et peccatum est. Quod sequitur, potestas earum nocere hominibus mensibus quinque, repetita sententia est, per quam præsens vita iterato exprimitur. Et supra quidem potestatem locustæ accepisse referuntur, ut mensibus quinque homines cruciarent, nec eos occiderent. Hic vero eorumdem mensium numero nocere hominibus facultatem habere perhibentur. Quod utique ibi de bonis, hic vero de malis intelligendum est, quia et illos cruciant, sed non occidunt : istos vero non cruciant, sed nocendo perimunt.

Et habebant super se regem angelum abyssi. Id est diabolum, qui est princeps omnium reproborum, ipse est rex super omnes filios superbiæ, non quo ipse hominem creaverit aut regat, sed quo super eos dominationem exerceat, quos sibi per peccatum servos addicit. *Cui nomen Hebraice labbadon, Græce autem appolyon, Latine autem habet nomen exterminans.* Quod in quibusdam codicibus invenitur scriptum abadon, ubi scilicet primum est a, sed falso scriptum est, et vitio scriptoris factum; sed primum ibi ponendum I, et labbadon dicendum, sicut beatus Hieronymus dicit in Hebraicis interpretationibus. Quid sit autem Hebraice labbadon, Græce apollyon exprimitur cum subditur, Latine habet nomen exterminans. In his quippe nominibus diabolus intelligitur, qui homines exterminat, id est extra patriam cœlestem emittit, qui audituri sunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Exterminabuntur enim injusti, quibus hoc dicetur, id est ejicientur ab omni societate sanctorum. Legimus enim in Evangelio, quod super crucem Domini scriptum fuerat Græce, Hebraice et Latine, quia iste tres linguæ tunc vigebant : *Hic est Jesus rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). Ita et hic nomen diaboli, qui novissimo tempore perditum hominem ingredietur, quique se Christum esse mentietur, tribus linguis exprimitur. Qui recte exterminans dicitur, quia sicut Christo congregandi, sic diabolo congruit nomen exterminandi. Unde est : *Qui non colligit mecum, spargit* (*Matth.* XII).

Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. Legimus supra quod aquila volans per medium cœlum, tria væ prædixit futura quorum unum abiisse describitur in narratione præcedenti, vel in tribulatione quæ facta est temporibus sanctorum martyrum, adhuc vero duo restare dicuntur narranda, vel posteriore tempore sub antichristo adimplenda.

Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei dicentis sexto angelo qui habet tubam : Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Altare significat Ecclesiam, de qua fumus compunctionis ad Deum dirigitur. Bene altare aureum dicitur, quia profecto Ecclesia justorum sempiterna sapientia illustratur, de qua Salomon dicit : Accipite sapientiam sicut aurum. Recte quoque ante oculos Dei esse dicitur, quia superno respectu semper illustratur, unde in psalmis dicitur : *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII). Hujus altaris cornua sunt omnes prædicatores. Unde et in Veteri Testamento sæpe legimus sanguinem super cornua altaris positum : significabantur enim in hoc sancti martyres proprio sanguine perfundendi. Unum hoc cornu altaris hic specialiter positum, debemus intelligere Dominum Jesum Christum mediatorem Dei et hominum, qui præcepit sexto angelo, id est omni Ecclesiæ, ut solvat quatuor angelos, per quos quatuor regna principalia, et quatuor potestates illorum atque omne corpus diaboli intelligitur. Solvit vero Ecclesia quatuor angelos, id est omnes dæmones in capite suo, a quo audivit in Petro : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo* (*Matth.* XVI).

Quaternarius numeruss æpe pro universitate ponitur, unde et in fine sæculi a quatuor ventis cœli electi per angelos assumi perhibentur. Vel dicitur ei solve, id est solvendos prædic tempore antichristi. Modo enim ligati sunt, quia non possunt nocere quantum volunt, ex quo Dominus veniens eis potestatem abstulit. Quo in loco considerandum est, quantum sævirent si soluti essent, qui modo etiam ligati tantum sæviunt. Tale est illud etiam in Evangelio de ficulnea, quod Dominus cultori dicit : Abscinde illam, id est prædic abscindendam. Neque enim apostoli absciderunt Judæos, sed abscindendos a Romanis prædixerunt. Per flumen Euphratem, in quo angeli alligati sunt, potentia sæcularis intelligitur, quia in principibus hujus sæculi maxime diabolus habitat, et in eis regnat. Euphrates quippe fluvius est Babyloniæ, qui in multa flumina divisus, ingreditur Babyloniam. Medi et Persi diviserunt hunc fluvium in multos rivos, et per ejus alveum ingressi sunt Babyloniam. Quod flumen sæpe in malam partem ponitur. In hoc loco vero, ut diximus, significat potentiam sæcularem, in qua diabolus alligatus prædicitur novissima persecutione, quia et impiis quantum vult nocere permittitur, usquequo novissima persecutio adveniat.

Et soluti sunt, pro eo quod est solventur, *angeli*, id est dæmones, et omne corpus diaboli. *Qui parati erant in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Per horam dimidium annum intellige, per diem mensem et annum, annos tres, quibus antichristus sæviet adversus bonos. Ideo enim per horam, diem, mensem et annum illud tempus intelligi potest, quia et horis gradatim diem, et diebus menses, et mensibus certum est annum expleri. Parati sunt dæmones ut occidant tertiam partem hominum, quia nimirum nocendi opportunitatem semper præstolantur. Unde nec immerito de locustis præmissum est, quod essent similes equis paratis ad prælium. Tertia autem pars ita ut supra intelligitur.

Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum. In hoc numero omnis multitudo intelligitur dæmonum et hominum. Equites itaque in hoc loco debemus intelligere dæmones, qui malis præsident et in eorum cordibus habitant. Vicies autem millies nihil aliud est quam viginti millia. Tale est illud: *Non dico tibi*, Petre, *usque septies, sed usque septuagies septies (Matth.* XVIII). Quod nihil aliud est, nisi septuaginta septem. Quando enim numerus per nomen transit, sicut verbi gratia, cum dicitur septies septuaginta, summa numeri multiplicatur, et efficiuntur quadringenti nonaginta. Quando autem adverbialiter proferuntur nihil aliud intelligitur, nisi quod ipse numerus sonat. Unde et in Genesi legitur : *De Lamech vero septuagies septies ultio dabitur (Gen.* IV). Vicies itaque millies omnes significat reprobos : dena autem millia omnes sanctos, qui decem verba legis custodiunt. Et quia plures reprobi quam justi, duplex numerus reproborum opponitur contra simplicem numerum justorum. De ipsis enim electis dicitur: Currus Dei decem millia. Duplex quoque est numerus reproborum, quia ex malignis spiritibus et reprobis constat hominibus. Et contra simplicem numerum justorum ac parvissimum opponitur innumerabilis multitudo perfidorum hominum et dæmonum.

Et ita vidi equos in visione, subaudis, sicut dixeram, et conscripsi. *Et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas.* Per sessores equorum, intelliguntur dæmones, vel magistri errorum, hæretici scilicet et potentes hujus sæculi quibus præsidet diabolus, sicut Christus electis. De quibus scriptum est : Ascendes super equos tuos, et equitatus tuus sanitas est. In ipsis autem dæmonibus vel errorum magistris, intelliguntur omnes reprobi, et per loricas pœnæ et tormenta æterna figurantur, quæ a miseris nulla prece sunt evacuanda. Dicent enim in inferno gementes, Domine, Domine, aperi nobis. Sed non ideo misericordiam invenient, quin potius audient : Nescio vos. Quas pœnas inevitabiles non solum sustinebunt dæmones, sed etiam omnes reprobi. Hyacinthinas autem posuit pro eo, quod est fumeas. Ex igne enim fumus egreditur. Hoc etiam ipse color hyacinthinus indicat, qui speciem aeris tenet, quia in inferno erit ignis inexstinguibilis. Erit et fumus qui miseros excæcabit, ne veram lucem jam videre possint. Et sulphureas, id est putridas. Erit enim duplex ibi pœna, caloris et frigoris. Unde Job : *Ad calorem nimium transeunt, ab aquis nivium* (*Job.* XXIV). Erit et fetor intolerabilis, quo cruciabuntur igne et sulphure exusti, atque a vermibus comesti. *Et capita equorum tanquam capita leonum.* Quia et animas (ut supra dictum est) interficiunt, et fetorem malæ famæ de se emittunt. Per capita autem equorum auctores intelliguntur errorum, qui et fortes sunt ad conterendos infirmos, et cum se simulant esse bonum odorem, fetoribus inveniuntur repleti. Ut enim supra meminimus, os leonum et corpora dilaniat, et naturalem fetorem egerit.

Et de ore ipsorum procedit ignis et fumus et sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne et fumo et sulphure, quæ procedebant ex ore ipsorum. De ore autem eorum ignis et fumus et sulphur egrediens, tertiam partem hominum occidit, quia videlicet malorum prædicatio sequacibus suis æterna supplicia præparat, quæ recte tormentum impiorum vocatur, per quam ad illud multitudo impiorum pervenit. Genus enim tropicæ locutionis ab eo quod procurat, illud quod procuratur, ostendens. De ore illorum procedit ignis, quia pro illorum doctrina hæc omnia ventura sunt eis, qui eam suscipiunt. Cum autem in illam incurrerint, tunc experientur quam amara mors sit, semper igne cremari, nec funditus mori, semper fumum pati, lucem nunquam videre, semper fetoribus repleri, suavitatis nihil adoleri. Idcoque horrenda prorsus perversorum sunt dogmata, quibus pervenitur ad talia.

Potestas enim equorum in ore ipsorum est, et in

caudis eorum. Quia per suam prædicationem perversam suadendo decipiunt, et temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt, exaltantur. Per caudam quippe, ut supra dictum est, potestas terrena exprimitur, quæ in temporalibus rebus lætatur, quæ postponendæ sunt omnibus qui ad ea quæ in ante sunt se extendere nituntur. In ore vero illud quod per os fit intelligitur. Potestas ergo eorum in ore eorum est, et in caudis ipsorum, quia quos non possunt decipere per pravitatem erroris, decipiunt per principes hujus sæculi. Unde subditur: *Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, et in his nocent*. Legimus in Genesi, quod diabolus serpentem indutus mulierem decepit fraude malæ suasionis. Tales sunt et isti errorum magistri, qui sua perversa doctrina decipiunt quos possunt, et quia eos quos subvertere nequeunt per pravitatem erroris, opprimunt per potentiam sæculi, bene caudæ illorum similes serpentibus dicuntur. Habentes capita, per quæ principes hujus sæculi figurantur, quos sibi hæretici conjungunt, ut catholicos a fide subvertant. Unde et alia translatio habet: Caudæ eorum similes sunt draconibus. Per dracones quippe qui pene immaniores sunt omnibus bestiis, aperte sæculi designatur potestas, quam Ezechiel (*c.* XXIX) ex persona Domini loquens ad Pharaonem regem Ægypti demonstrat dicens: *Ecce ego ad te, Pharao, draco magne*. Et Jeremias (*c.* LI) ex persona Jerusalem de Nabuchodonosor: *Comedit me, devoravit me; absorbuit me quasi draco*. Principium ergo patrociniis fulti magistri errorum amplius nocent, quam si solo sermone suaderent.

Et cæteri homines, id est, pagani, *qui non sunt occisi in his plagis*. Hoc est, non sunt decepti ab hæreticis, ut in anima moriantur, *neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea et lapidea et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis*. Subaudi, similiter peribunt igne, sulphure, fumo. Ac si diceret: Et hi tales ad supradictum pertinere numerum videntur. Hæretici quippe tantummodo Christianos decipiebant et Judæos, non tamen paganos; sed quia ipsi non cognoverunt Deum, cum hoc utique possent facere per naturalem legem, similiter damnabuntur. Unde considerandum est, qua pœna plectendi sunt, qui habentes Dei notitiam, fidem et scientiam et hæc omnia contemnunt, si illi etiam damnabuntur, qui horum omnium nihil habuerunt, et solummodo, quia per naturalem legem Deum non cognoverunt peribunt. Cum enim debuissent considerare et attendere, ut Creatorem cœli et terræ et omnium rerum colerent et adorarent, relinquentes Creatorem, cœperunt adorare opera manuum suarum aurea et lapidea et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, quia spiritus non est in eis. Et non egerunt pœnitentiam a suis homicidiis, quibus interficiebant multos, et sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum fundebant et offerebant dæmoniis, neque a fornicatione sua duplici, ut ab immunditia carnis cessarent, aut ab idololatria, neque a furtis suis, quia sibi invicem unusquisque quæ poterat, furabatur. De quorum profecto conversatione impœnitenti, nunc operis intentio non sinit amplius loqui, præsertim cum et hic liber in longum protractus debiti finis terminum exspectet.

LIBER TERTIUS.

CAPUT X.

Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus. Angelus Christus est, nuntius paternæ voluntatis. Et quia æternæ vitæ novus nuntius advenit, nova nuntiavit, nova promisit, nova fidelibus suis contulit. Unde et per prophetam magni consilii angelus dicitur. Hujus sacerdotis membra sunt illi etiam, de quibus scriptum est: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam* (*Malach.* II). In eo autem quod alium angelum Joannes vidisse se dicit, non est rei diversitas, sed ordo visionis, et consuetudo recapitulationis. Alium enim angelum vidit, quia aliam visionem sub alio intellectu enarrandam repetivit. Fortis autem dicitur, quia ad bellandas venit aereas potestates. De quo Psalmista ex persona angelorum (*Lib.* III): *Quis est iste rex gloriæ?* Et respondens: *Dominus*, inquit, *fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Sed cum Dominus ubique sit, juxta illud, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII), et extra cœlum et terram non sit locus, quomodo descendit de cœlo? Ad quod procul dubio dicendum, quia descensio illius nihil aliud fuit, nisi humilitatis ejus incarnatio. Nube autem amictus apparuit angelus, quia nimirum carne indutus, inter homines apparuit Dominus. De qua propheta: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isa.* XIX). Super nubem quippe levem ascendit, quando carnem sine gravedine peccati assumpsit. Caput vero angeli divinitas intelligitur Filii Dei, juxta illud: Caput Christi Deus. Iris autem, sicut et supra diximus Græce, Latine arcus dicitur, quia diversis coloribus in nube apparere videtur, et est signum propitiationis a tempore diluvii positum inter Deum et homines. Tuncque fit arcus in cœlo, cum radiis solis imbrifera nubes fuerit illustrata, quia dum claritas lucis æternæ, et sol justitiæ carnem assumpsit, reconciliatio facta est mundo. In arcu quoque duo sunt colores principales, cæruleus scilicet et igneus, per quos duo judicia significantur. In uno scilicet diluvium præcedens, in altero vero ignis subsequens. Possunt et in arcu

mysteria figurari baptismatis, quo baptizamur aquis in memoria passionis Filii Dei, sicque percipimus gratiam Spiritus sancti, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). In capite itaque angeli iris erat, quia in potestate verbi propitiatio Filii Dei constabat. *Et facies ejus sicut sol.* Quia in facie cognitio est hominis, per faciem angeli incarnatio Filii Dei intelligitur, quia nisi ille carnem assumeret, nemo hominum illum cognosceret. Hanc manifestam in facie cognitionem Psalmista optabat fieri cum dicebat : *Ostende faciem tuam et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX). Non autem ut sol iste visibilis facies Christi fulget, sed multo amplius, quia et de electis dictum est : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris* sui (*Matth.* XIII). Et quidem erunt electi similes angelis, non tamen ita similes, quod æquales Filio Dei. Nam et in monte coram tribus discipulis transfiguratus, futura membra sua jam in seipso ostendit. Sed non sine causa Christus soli comparatur. Sol quippe habet ortum et occasum. Unde Salomon: *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem* (*Eccle.* I). Sol enim ortus est, quando Christus natus est. Venit ad occasum, quando pro nobis mortuus est, sicque rediit ad ortum, quia ejus humanitas ex passione mortis, ad gloriam resurrectionis rediisse probatur, ibique renascens gyrat per meridiem, quia resurgens a mortuis, calore fidei et Spiritus sancti corda discipulorum illustravit. Jure enim illi meridies vocantur, in quibus sol justitiæ ampliorem Spiritus infundit calorem. Per meridiem quoque gyrans ad aquilonem flectitur, quia ad colligendam gentilitatem, apostolorum prædicatione perducitur, in qua frigidus ventus illi dominabatur, qui in superbiam elatus, primus dixisse probatur : Ponam sedem meam ad aquilonem. Quodque subditur, Lustrans omnia pergit Spiritus, ad hoc pertinet, quod totus mundus prædicatione plenus esse ostenditur; unde est: *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ* (*Psal.* LXXVI). Et ad circulos suos revertitur, quia post aggregationem gentium illuminabitur etiam multitudo Judæorum, et cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit. Possunt et per faciem angeli membra Redemptoris intelligi, non qualia nunc sunt in terris, sed qualia futura sunt in cœlis. Unde est : Tunc justi fulgebunt sicut sol. Quia enim Dominus et Ecclesia una persona est, non inconvenienter ipsa in facie angeli ut sol lucere perhibetur. *Et pedes ejus tanquam columnæ ignis.* Per pedes angeli prædicatores intelliguntur, in quibus per totum mundum incarnata Dei sapientia ambulavit. De quibus dicitur : Illi autem profecti prædicaverunt ubique. De quibus et dicitur : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Rom.* X). Qui bene etiam columnæ et igni comparantur, quia et more columnarum superimpositum Ecclesiæ ædificium portant, et Spiritu sancto accensi, corda auditorum ad amorem Dei prædicando inflamman.tQuia ergo ad prædicationem mittuntur, recte pedes ; quia vero ad amorem Dei illos quibus prædicant accendunt, bene ignis; quia super ædificium Ecclesiæ construuntur, apte columnæ vocantur. Quia enim columnæ sunt, testatur Paulus cum dicit : *Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras mihi dederunt et Barnabæ* (*Gal.* II). Hinc et per Psalmistam dicitur : *Ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV).

Et habebat in manu sua librum apertum. Superius legimus quod viderit librum signatum sigillis septem, per quem Vetus Testamentum designatur, plenum multimoda obscuritate. Hic autem per libellum apertum jam Novum Testamentum significatur, quod apertum est in manu Dei, id est operatione ipsius reseratum. Manus enim illa operatio est nostræ salutis. Et quia in superiori libro noscuntur latuisse secreta, apte nunc in libello aperto Novi Testamenti revelata claruisse significatur gratia, ipse enim apparens in carne, quæ intelligitur per faciem angeli, ea quæ latebant nascendo, moriendo, a mortuis resurgendo, et ad cœlos ascendendo aperuit. *Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Per dextrum pedem illa significantur membra, quæ nullis adversitatibus franguntur, nec ullis successibus extolluntur, id est apostoli, martyres et cæteri, qui potestatem habent calcandi super omnem virtutem inimici. Tales super mare, hoc est, super hunc mundum constituuntur, quia omnes malorum persecutiones perferunt, et non succumbunt. Per sinistrum autem pedem qui supra terram ponitur, intelliguntur confessores, sicut Remigius, Germanus, Martinus et cæteri, qui pacis tempore vixerunt, nec publicum pertulerunt martyrium, quia super terram, hoc est, soliditatem fidei sunt locati. Deus enim vicissitudines temporum disposuit in Ecclesia, membra fortiora scilicet super fluctus maris. Infirmiora vero super soliditatem terræ constituens. Sic et hujus sæculi principes, ubi fortior est impetus belli, fortissimos milites præparant.

Et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit. Leo cum rugit, omnes bestiæ timent. Et ipse in sua fortitudine ostenditur. Clamavit Christus, leo appellatus propter fortitudinem, sive per se, sive per suos prædicatores, cum dixit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III). Et iterum : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Et hac sua voce fortitudinem suam demonstravit, dum multos sibi subjecit, bestias quoque, id est bestiales et feroces homines timore concussit. Quod autem fecit Christus, fecerunt et ejus apostoli, æterna tormenta prædicando peccatoribus, et feroces homines ad fidem illius sua doctrina convertendo. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Quid per septem tonitrua, nisi universalis Ecclesia in suis prædicationibus intelligitur septiformi Spiritu repleta? Unde et bene clamavit leo prius, ac postea septem tonitrua sunt locuta, quia videlicet prius prædicavit

Christus, deinde Apostoli et cæteri doctores ad ejus vocem profecti, prædicaverunt ubique. Bene autem septem tonitrua voces suas loqui perhibentur, quia sancta prædicatio non Judæorum fabulas, non philosophorum nænias, non hæreticorum versutias in suis dogmatibus recepit, sed propriis sensibus ut est edita, semetipsam jam in auditorum cordibus per sanctos prædicatores diffudit. Possunt autem et in septem tonitruis specialiter apostoli sancti intelligi, qui in rota hujus sæculi tonant, quia alta et profunda et obscura et terribilia loquuntur. Unde et eorum numerus ex partibus septenarii conficitur, id est, ex pari quaternario et impari ternario. Sive enim tria per quatuor, sive quatuor per tria ducantur, ad duodenarium numerum pervenitur, quia videlicet per ipsos duodecim apostolos fides sanctæ Trinitatis intonuit per quadripartitum orbem, qui missi sunt prædicare tria summa per quatuor infima.

Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas scripturus eram. Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Quia audierat Joannes superius: Quod vides scribe in libro, voluit etiam ea quæ audivit a septem tonitruis scribere, sed dictum est ei, signa, id est sigilla quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. Ubi merito quæritur, quare illi hoc dicatur, cum in Joanne omnes doctores figurentur, qui utique non debent divina eloquia sigillare, ut non ad aliorum manifestentur utilitatem. Verum dicendum est, quia quod nos sub sigillo signamus, non omnibus notum esse volumus, sed solummodo familiaribus, et quibus credere nos pro certo posse scimus. Quod autem palam dicimus, et non sigillamus, ad multorum notitiam ducimus. Dicitur Joanni, et in illo omni ordini doctorum, ne scribat quæ locuta sunt septem tonitrua, quia non omnibus sunt manifestanda divina eloquia. Pro temporibus enim abscondenda sunt, ne fiat contra præceptum Domini, quo ait: *Nolite sanctum dare canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII). Simplicibus quoque debent discrete, et secundum capacitatem singulorum distribui, quia alii lactis potum suscipiunt, alii vero solidum cibum percipere possunt. Unde ipse Dominus discipulis dicit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI). Et iterum: *Fidelis servus et prudens, qui dat conservis suis in tempore tritici mensuram* (*Luc.* XII). Dicatur ergo Joanni signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere, et in illo omni choro doctorum ac si diceret: Eloquiorum Dei sacramenta sic intra mentis secretum tege, quatenus ne aut hi qui non debent ad eorum cognitionem perveniant, aut hi qui debent cum discretione et moderatione eorum notitiam capiant.

Et angelus quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cælum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum. Cum Dominus in Evangelio jurare prohibeat, dicens: *Nolite jurare neque per cælum neque per terram, sed sit sermo vester, est est, non non: quod enim amplius est, a malo est* (*Matth.* V). Quid est quod ipse manum ad cælum levans, jurat per viventem in sæcula sæculorum? Sed sciendum quia homines recte jurare prohibentur, quia sæpe in juramento falluntur: non enim homines a juramento Deus cohibuisset, si in eo peccatum deesse cognovisset. Deus itaque jurare potest, qui non mentitur aliquando. Juramentum autem ejus est omnis sermo illius, quia quidquid loquitur, absque ulla ambiguitate completur. Per manum autem angeli, ut supra diximus, intelligitur operatio Filii Dei, et dispensatio humanæ redemptionis. Levavit itaque angelus manum in cœlum, quando Filius Dei carnem quam pro nobis assumpsit, ad dexteram Patris elevavit. Hinc scriptum est: Levabo in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam, ac si diceret: Assumptam a verbo carnem ad cœlos elevabo, et per utramque naturam scilicet Verbi et hominis, quæque futura sunt roborabo. Juravit per viventem in sæcula sæculorum, id est per Deum Patrem, quando se et Patrem unum ostendit, dicens (*Joan.* XIV): *Ego in Patre et Pater in me est.* Et quando etiam omnia sua opera ad Deum retulit, dicens: *Pater, in me manens, ipse facit opera.* De quo etiam subditur: *Qui creavit cælum et ea quæ in eo sunt*, id est, solem et lunam et cætera sidera. *Et terram et ea quæ in ea sunt*, id est, homines, bestias, aves et cætera usque ad vermiculum. *Et mare et ea quæ in eo sunt.* Cete scilicet et pisces diversi generis. Quo in loco hæreticorum perfidia damnatur, qui non verentur asserere, quædam a bono Deo, quædam vero a principe facta tenebrarum. Sed et cum subjungit, *Quia tempus non erit amplius*, quæstionem nobis facit, maxime cum Psalmista de reprobis dicat: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula* (*Psal.* LXXX). Si enim impiorum tempus erit in sæcula, quomodo tempus jam non erit? Ad quod dicendum, quia justis non erit tempus, id est, mutabilitas aliqua, quia immutabiles erunt in mente, et incorruptibiles in corpore. Tempus quippe est vicissitudo dierum ac noctium. Ideoque ibi jam tempus non erit, ubi nulla varietas cujslibet rei. Justi vero immutabiles existent, quia in æterna claritate et in indeficienti luce permanebunt; unde Psalmista: *Ordinatione tua perseverat dies* (*Psal.* CXVIII). Impii autem tempus habebunt, quia semper per varia tormenta mutabuntur, et ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium. Quod ergo Dominus de justis negat, hoc de injustis Psalmista affirmat.

Sed in diebus vocis septimi angeli cum cœperit tuba canere. Id est cum cœperit sancta Ecclesia ultimam suam prædicationem diffundere. *Consummabitur mysterium Dei.* Id est perficietur quidquid modo latet, quia consummatio hic non abolitionem significat, sed perfectionem. Mysterium autem appellatur illud, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), quod tunc consummabitur, id est

perficietur,cum et justis bona,et injustis data fuerint tormenta ante præparata,*sicut evangelizavit per servos suos prophetas.*Omnis enim intentio prophetarum principaliter de Domini adventu fuit, et sæculi consummatione. Ideoque tunc perficietur, quod ante prædictum est per illos. *Et audivi vocem iterum de cælo loquentem mecum, et dicentem : Vade et accipe librum de manu angeli stantis supra mare et supra terram.*Et angelus qui tenet librum apertus Christus est, et ipse qui invitat Joannem ut vadat ad angelum Christus est ; ipse enim tenet librum apertum, quia ipse revelavit omnia quæ latebant in Veteri Testamento, de ejus nativitate, passione, morte et resurrectione. Vox ergo illa quæ facta est ad Joannem nihil aliud intelligitur, nisi interna inspiratio qua Deus inspirat cordibus fidelium ut accedant ad eum, juxta illud : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Psal.* xxxiii). Nam et quod Joanni dicitur, omnibus utique dicitur, qui revelata facie gloriam Domini contemplantur. Isti enim tales apertum habent libellum, ideoque illis dicitur, ut accedant ad angelum non gressibus corporis,sed passibus fidei et mentis. Nec mirum si ipse Christus de se tanquam de alio loquitur,cum et sancti in Scripturis sæpissime de se quoties magna dicunt, sic loquuntur quasi de alio. Unde est, *Erat Moyses vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra* (*Num.*xii).Et Job : *Vir erat in terra Hus nomine Job, simplex, rectus ac recedens a malo* (*Job.*i).Et ipse Joannes : *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* xiii). Bene quoque ipsa vox non de terra, sed de cœlo sonuit, quia qui de terra est, de terra loquitur. Quod vero sequitur, stantis supra mare et supra terram, superius expositum est.

Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum. Jubentis quippe Dei vocem paratissimus sanctorum sequitur effectus, quia pergunt ad angelum, id est, accedunt fide et devotione ad Christum,poscentes sibi dari librum ab eo, qui aperit ora mutorum, et linguas infantium facit disertas. Ex hoc Jacobus : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus,et non improperat,et dabitur ei*(*Jacob.*i). *Et dixit mihi, accipe librum et devora illum.* Acceptum librum devorare est,cum aviditate Scripturam secretis recondere visceribus Ubi notandum quia non dicit, accipe et bibe illum, sed devora, id est manduca avide.Scriptura enim sacra in quibusdam locis potus est, in quibusdam vero cibus. In rebus obscurioribus, quæ intelligi sine expositione non possunt. cibus est quia veluti mandendo, legendo, et ruminando sumitur ; in apertioribus vero quæ intelligi sine expositione possunt, ibi potus est : potum enim non mandendo glutimus.Apertiora ergo et manifestiora bibimus, quæ etiam non exposita intelligere valemus. Et quanquam sancti apostoli et ipse Joannes aperte cognoscerent Dei sacramenta, tamen quia adhuc expositione indigebant. qualiter ad eum pertinerent,nequaquam dicitur Joanni bibe, sed devora, ac si apertius diceretur, pertracta et intellige, id est prius mande, et sic degluti. Quod sancti patres fecerunt, Augustinus scilicet, Gregorius,et cæteri,quorum nunc expositionibus utimur. *Et faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Præposterus ordo est in hoc loco: Prius enim in ore cibus assumitur, et sic demum ad inferiora ventris trajicitur. Hæc omnia in sequentibus exponentur.

*Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tanquam mel dulce.Et cum devorassem eum,amaricatus est venter meus.*Qui alii per os Ecclesiæ figurantur, nisi sancti prædicatores, qui die ac nocte legem Domini meditantur,et possunt dicere : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum !*(*Psal.*cxviii) Per ventrem vero sæculares homines intelliguntur, ventri et voluptatibus suis servientes, de quibus Apostolus: *Quorum Deus venter est* (*Philip.* iii). Tales enim aliquando avide per os prædicatorum divina verba suscipiunt : sed quia terrenis voluptatibus deserviunt,sermo Dei qui in ore doctorum fuerat illis tanquam mel dulce, in ventre amarescit, sicut (verbi gratia) cum audiunt : Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum ; et : *Si quis non oderit patrem,aut matrem, aut uxorem, filios et filias, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv). Et iterum : *Si quis vult post me venire,abneget semetipsum* (*Luc.*ix). Amarescunt illis divina eloquia, quia desperant se hoc posse facere, voluptatibus suis volentes deservire. Aliter: Ipsis sanctis prædicatoribus dulcis est sermo Dei in ore ad prædicandum, ad meditandum,ad exponendum ; sed dum coguntur ea complere operibus,quæ docent verbis, vertitur illis in amaritudinem.In ore quoque prædicatorum dulcis est sermo (sicut diximus) ad legendum, ad exponendum ; sed dum pro ipsa sua prædicatione contemnuntur,et insuper affliguntur,et diversis modis cruciantur,in ventre eorum convertitur in amaritudinem, quia contristantur in mente simul, et de vexatione et de contemptorum damnatione. unde Apostolus : *Tristitia est mihi magna et* ingens *dolor cordi meo* (*Rom.* ix). Quod enim venter secretum cordis significet,Jeremias ostendit, qui cum dixisset, *Ventrem meum doleo*, continuo subjecit, *sensus cordis mei conturbati sunt in me* (*Jer.* iv).Neque enim ad salutem populi pertineret, si ventrem se corporeum dolere prædicaret,sed ventrem doluit.quia mentis afflictionem sensit Vel certe acceptus liber et comestus in amaritudinem vertitur, cum quilibet doctor ex sua prædicatione pœnitentes conversos aspiciens,mentis affectu illis conjungitur, et cum Apostolo dolet cum dolentibus,flet cum flentibus.Vel certe dulcis est nobis, cum gaudia patriæ cœlestis promittit ; amarus vero cum austera præcepta, per quæ ad eamdem patriam perveniamus indicit.Dulce quippe est audire : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui*(*Mat.*xiii).Amarum autem: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*(*Matth.*xxiii) Item dulce est audire : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.quoniam*

videbimus eum sicuti est (I Joan. III). Amarum autem: *Qui dicit se in* Christo *manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (I Joan.* II). Dulce fuit apostolis : *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim (Luc.* XII). Amarum fuit illis : *Qui vult inter vos esse major, sit omnium servus (Matth.* XXIII).

Et dicit mihi : Oportet te iterum prophetare populis et gentibus et linguis et regibus multis. Joannes pene omnia, imo omnia quæ in hoc libro præmissa sunt non specialiter ex sua, sed generaliter et electorum protulit persona ; nunc autem quæ in hoc versu narrantur, et suæ et aliorum personis congruere docet. Quando enim ista vidit, in Pathmos insula relegatus erat, et ideo ei dicitur : *Oportet te iterum prophetare populis et gentibus et linguis et regibus.* Ac si ei divina vox diceret : Non morieris in hac insula, ut tu putas, sed iterum prophetabis, et hanc Apocalypsin quam vidisti, manu tua scribes, et alios docebis, nec solum hanc prophetiam annuntiabis, sed altius cæteris ad erudiendam fidem sanctorum Evangelium scribes. Iterum autem dicit, quia videlicet jam hoc fecerat coram regibus et gentibus, unde et a Domitiano impiissimo Cæsare, et in ferventis olei dolium missus est, et in eamdem insulam exsilio deportatus, ubi etiam hanc Apocalypsin vidit. Nam cum jam provectæ esset ætatis, et putaret se celerius ad Christum e mundo migrare, interfecto Domitiano, et cuncta ejus jussione cassata reversus est Ephesum, ubi et præfatam Apocalypsin Ecclesiis tradidit legendam. Ebione autem, Valentino et Cerintho contra Christum oblatrantibus, episcoporum precibus flexus, indicto triduano jejunio, Evangelium etiam scripsit, et ideo tot populis, et gentibus prædicavit, quia ejus prædicatio ad multorum notitiam pervenit. Sed quæ illi specialiter ascribuntur, generaliter prædicatoribus deputantur, ad quorum personam dicit : Oportet te iterum prædicare populis, quia nimirum aliis ad Christum migrantibus, electorum Ecclesia in subsequentibus prædicatoribus iterum non desinit prædicare. Prophetare autem intelligere debemus prædicare, sicut et Paulus dicit : *Prophetæ duo dicant vel tres, et cæteri dijudicent* (*I Cor.* XIV). Vel certe propterea iterum Joannes prophetare jubetur, ut quod doctores Ecclesiæ prædicant ore, facto iterato clament. Oportet enim ut hi qui verba vitæ credentibus nuntiant, operibus etiam vitæ clamare non desistant.

CAPUT XI.

Et datus est mihi calamus similis virgæ. Hæc verba sicut conveniunt Joanni, similiter conveniunt omni ordini prædicatorum. Per calamum autem, id quod calamo efficitur intelligere debemus, id est divinam Scripturam, quia antiqui calamo scribebant. Unde bene ipse calamus non inanis, sed similis virgæ dicitur. In virga enim rectitudo sacræ Scripturæ intelligitur, in qua nullum est mendacium, nullus error, sicut in philosophorum libris, Judæorum et hæreticorum, quorum doctrina plena est mendacio. Sacra autem Scriptura ex omni parte est recta, atque ideo bene virgæ comparatur, juxta quod Psalmista dicit *Virga* recta est *virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Aliter : Reges in signum potentiæ suæ virgam in manibus portant, per quam regia illorum potestas exprimitur. Recte ergo calamus, id est divina Scriptura virgæ comparatur, quæ suis observatoribus regnum promittit, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). et multa similia. Et istud regnum quod cœlestis prædicatio promittit, in inflexibili justitia perseverat. Postquam autem datus est ei calamus, divina vox dicit illi : *Surge*, videlicet ad prædicationis officium, et noli jacere in imis vitiorum, quia, ut supra dictum est, quod Joanni dicitur, omnibus veritatis prædicatoribus convenit, qui quod verbis prædicant, factis iterato clamare debent. *Et metire templum Dei ac altare* Templum Dei ipsa est Ecclesia, cui Apostolus dicit : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Altare autem in templo, eminentiores significat in Ecclesia fideles, id est virgines, continentes, et sæculo renuntiantes. Sicut enim altare in templo est, ita vita religiosorum in plebe fidelium consistens, in quibus principaliter jugis atque indeficiens sanctæ compunctionis permanet ignis. Quod autem sequitur, *et adorantes in eo*, tale est, tanquam subaudiretur et in templo, et in altari adorantes metire. Quo nimirum dicto illi exprimuntur, qui in spiritu et veritate adorant Patrem, sicut Dominus dicit. Dicitur itaque omni ordini doctorum : Surge ad potiora opera, metire templum et altare et adorantes in eo, hoc est, unicuique professioni et ordini, secundum suam dignitatem et locum annuntia verbum Dei, ut (verbi gratia) virginibus dicito : Beatæ estis quæ respuistis nuptiale consortium, unde et habebitis societatem angelorum ; et quæ non habetis in terra sponsum, habebitis in cœlo sponsum Christum Deum et hominem victurum in æternum. Dicito etiam sæculo renuntiantibus : Beati estis qui, Evangelici præcepti non immemores, cuncta terrena pro Christo reliquistis, sequentes eum, a quo thesaurum in cœlo indeficientem percipietis. Continentibus vero : Beati qui post licitum nuptiarum, sectantes continentiam, internumerari contenditis his, de quibus merito dicitur : *Virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV). Vel altare generaliter sanctam Ecclesiam accipiamus, in quo Deo quotidie sacrificium laudis, et incensum orationis offertur. Metire templum et altare, id est secundum capacitatem uniuscujusque sermonem profer, simplicibus simpliciora, perfectis alta et profunda committens.

Atrium autem quod est foris templum ejice foras, et ne metiaris illud. Miranda prorsus locutio talis, quod illud foras ejici præcipit, quod foris esse ostenditur. Quomodo enim foras ejici potest, si intus non est? Sed tale est hoc, quale et illud : Deleantur de libro viventium, id est, non scribantur in eo. Ita ergo et hic dicitur. Atrium vero ejice foras, id est, noli illud

computare intus. Per atrium autem quod foris est, intelliguntur hæretici, pagani, et Judæi, quibus ad sancta sanctorum nullus patet ingressus, de quibus Paulus dicit : *Quid autem mihi de his qui foris sunt judicare ?(I Cor.* v). Dicatur ergo, ne metiaris atrium quod foris est, id est, noli tales computare in numero sanctorum, *quoniam datum est gentibus*. Id est, communi tormento peribunt, et inter eos reputabuntur qui idola colunt, quoniam et illi simulacra colere videntur, mendacium pro veritate tenentes. Judæi se dicunt credere in Deum Patrem, sed mentiuntur, quia qui non habet Filium, nec Patrem habet, et qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Mendacium ergo colunt, qui veritatem non adorant. Hæretici quoque diversos errores de Domino fatentur, unde quia a veritate recedunt, similes gentibus habentur, verbi gratia : Sabellius dicit quod idem sit Pater qui Filius, et quia duas non vult intelligere personas in Patre et Filio, similis est et etiam deterior paganis. Photinus quoque affirmat eum purum hominem, nec fuisse ante Mariam, et iste similis est gentibus, qui simulacrum hominis mortui se adorare fatentur, dum solummodo Christum hominem fuisse dicit, et Deum negat. Et ideo isti tales atque eorum similes, velint nolint, in illorum transeunt numerum, qui imagines mortuorum adorant hominum, præsertim cum singulis partibus mendacium sit quod tenent. Similiter qui fidem quam habent operibus destruunt, in numero infidelium reputantur. *Et civitatem sanctam calcabunt*, ipsa scilicet atria *Mensibus quadraginta duobus*. Civitas sancta olim appellabatur Hierusalem, juxta illud Evangelii : *Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt et apparuerunt multis in sancta civitate (Matth.* xxvii). Verumtamen hic non de illa dicitur, sed potius de Ecclesia, de qua scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Psal.* lxxxvi). Hanc civitatem calcant, id est comprimunt atria, id est hæretici, pagani, Judæi, et falsi fratres, et verbo et tormento : sed sicut silex calcata pedibus hominum, elimari potest, comminui non potest, et tanto magis elimatur, quanto magis calcatur : ita sancta Ecclesia ex persecutione perfidorum robustior redditur et luculentior, unde Apostolus : Quando *infirmor, tunc fortior sum* et *potens* (*II Cor.* xii). Quadraginta duos menses possumus specialiter referre ad spatium trium annorum et dimidii, quando sub Antichristo acerbius calcabitur, et comprimetur Ecclesia ab impiis. Nam in tribus annis et dimidio quadraginta duo menses continentur, quo numero etiam omne præsens tempus intelligitur, propter sex mundi ætates, et septem dies, quibus omne præsens tempus volvitur. Sexies enim septem quadraginta duo faciunt. Aliter : Legimus in Veteri Testamento, quod populus Israel quadragesima et secunda mansione ingressus est terram repromissionis, et quia in figura omnia contingebant illis, utique et hoc iter ad nos pertinet, qui in itinere deserti moramur, et ad patriam repromissionis tendimus post Rubri maris baptismum, in quo submersus est Pharao cum suis exercitibus, id est diabolus cum omnibus peccatis originalibus. Quod ergo ibi per quadraginta duas mansiones in figura factum præcessit, hoc hic per menses figurata locutio expressit. Mensibus ergo quadraginta duobus calcatur civitas, quia quandiu in præsentis vitæ itinere transit, persecutionem ab impiis sustinet Ecclesia.

Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt, id est dabo ut prophetent, *diebus mille ducentis sexaginta*. Hic etiam et in numero dierum, qui juncti faciunt annos tres et dimidium, et in adventu etiam et prophetia duorum testium manifeste ostenditur persecutio, et regnum Antichristi. De his quippe duobus testibus Dominus per Malachiam prophetam dicit : *Ecce ego mittam vobis Enoch et Eliam, ut convertant corda patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum* (*Matth.* iv). Et in evangelio ipse Dominus : *Elias veniens restituet vobis omnia* (*Matth.* xvii). Isti ergo venientes prophetabunt, id est prædicabunt, quia, ut supra dictum est, prophetare aliquando ponitur pro prædicare. Diebus mille ducentis sexaginta, id est tribus annis et dimidio, qui interficientur ab antichristo *Amicti saccis*, quia pœnitentiam quam prædicabunt ore, etiam habitu ostendent, sicut fecit beatus Joannes, qui erat indutus pilis camelorum. Sed in his duobus testibus omnis Ecclesia comprehenditur in suis prædicatoribus, quæ per omne tempus istius vitæ prophetat et prædicat mysteria Filii Dei, sive nunc scilicet, sive in extremis temporibus. Bene autem Ecclesia in duobus testibus figuratur, propter duo Testamenta videlicet, quibus roboratur ; vel quia ex duobus populis constat, et duobus præceptis charitatis vivificatur; sive etiam propter duo martyrii genera. In saccis vero humilitas sanctorum exprimitur, qui, licet sint magistri, peccatores se esse fatentur ; nam cilicium criminosis convenit. Vel certe, quia sanctorum vita reprobis videbitur despecta, ideo saccis induti perhibentur. Et hoc est quod in hac eadem Apocalypsi dicitur, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus* (*Apoc.* vi).

Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Ipsi specialiter duo, Enoch scilicet et Elias, duæ olivæ appellantur propter unctionem Spiritus sancti, qua sunt delibuti. Dicuntur etiam et candelabra, quia lucebunt, aliisque lumen veritatis ostendent et verbo et opere. Generaliter omnes sancti Ecclesiæ in his duobus comprehenduntur, qui tempore baptismatis in manuum impositione episcoporum acceperunt Spiritum sanctum. Dicuntur autem duæ olivæ, cum una sit oliva, id est, universalis Ecclesia, juxta illud : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Ps.* li), propter duo Testamenta, vel dilectionem Dei et proximi, vel duo genera martyrii. Similiter et eadem Ecclesia cum sit unum candelabrum propter unitatem fidei, dicuntur duo candelabra propter prædicta mysteria. Bene autem in conspectu Domini terræ stare per-

hibentur, quia sancti intima contemplatione sui Conditoris in suis præcordiis inhærere probantur, et jugiter voluntatem ejus considerantes, ea faciunt in quibus Creatorem suum non offendunt. Unde Elias dicit : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII). Et Paulus : Sicut ex Deo, *coram Deo loquimur in Christo* (*II Cor.* XII). Potest etiam et de his duobus testibus intelligi, aliter qui in conspectu Domini terræ stant, quod videlicet in paradiso, ubi quondam fuit Adam, antequam peccaret, translati sunt, et a nostris conspectibus ablati, claritate visionis Dei perfruuntur.

Et si quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, et devorabit inimicos eorum. Hoc ex parte jam impletum est, quando, sicut in libro Regum, legimus (*IV Reg.* I), ad vocem Eliæ descendit ignis de cœlo, et consumpsit quinquagenarios cum suis quinquaginta. Sed specialiter hæc verba sicut pertinent ad illos duos, ita generaliter et ad omnes sanctos. Per ignem autem prædicatio sancta figuratur, quia corda auditorum ad amorem Dei ascendit. Ex isto itaque igne boni perficiunt, mali vero deficiunt, unde Paulus : *Christi bonus odor sumus Deo;* et : *Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Dum enim sancti bona coram ipsis proferunt, etiam nolentes nocent, quia ipsi bona quæ audiunt, in sui damnationem vertunt ; dumque sanctos persequuntur, qui sibi vitam annuntiant, hoc igne, id est doctrina quæ procedit de ore illorum, devorantur, quia pro contemptu et persecutione sanctorum, digni suppliciis æternis aguntur. *Et si quis eos voluerit lædere, ita oportet eum occidi*, sententia scilicet verbi Dei. Vel certe de ore testium ignis egrediens inimicos eorum interficit, quia nimirum contraria Christo sentientes, atque in malo perseverantes, anathematis fulmine sancta Ecclesia percutit. Quod si et hoc in bonum accipere volumus, sancta Ecclesia in suis doctoribus igne oris sui inimicos devorat, cum verbo exhortationis et administratione claritatis eos ad sui amorem provocat, ut moriantur inimicitia, et vivant dilectionis gratia, congregatis dilectionis carbonibus super caput eorum, juxta Salomonis sententiam.

Ili habent potestatem claudendi cælum nubibus ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint. Et hoc juxta litteram impletum cognovimus in Moyse et Elia, quoniam unus aquas Nili fluminis convertit in sanguinem, eo quod induratum esset cor Pharaonis. Alter vero clausit cœlum ne plueret annis tribus et dimidio. Dum enim regnaret Achab rex impius, qui sanctos Dei interfecit, et insuper idola coluit ; omnisque populus Israel relinquens Deum patrum suorum, adoraret Baal, et eos Elias revocare ad cultum Dei non potuisset, iratus dixit : *Vivit Dominus, si erit vobis ros aut pluvia, nisi juxta oris mei verbum* (*III Reg.* XVII). Quod ita factum est, donec populus ageret pœnitentiam, et iterum ille sua petitione obtineret pluviam. Moyses quoque terram Ægypti percussit omni plaga, quotiescunque voluit, id est, quousque liberaret filios Israel de Ægyptiorum servitute. Spiritualiter ipsi sancti appellantur cœlum ; appellantur autem et nubes, de quibus scriptum est : *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V). Claudunt itaque cœlum, hoc est se ipsos, non quo omnimodis cœli imbres non emittant, sed quod super terram, quæ spinas et tribulos germinat, non pluant. Pluunt itaque perfectis, abscondunt vero suam pluviam impiis, quoniam bonis et suscipere volentibus suam prædicationem manifestant, contemptoribus vero et irrisoribus abscondunt. Unde est : *Ne miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII). Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem Aqua Scripturam significat. Unde est : *Aqua profunda sermo ex ore viri* (*Prov.* XVIII). Ipsi itaque aquam in sanguinem vertunt, cum occasionem illis qui bene prolata male intelligunt, administrant, et doctrinam quam percerunt, in sui perniciem convertunt. Quod idcirco facere sancti dicuntur, quia ipsi eis divina verba annuntiant, qui contemnunt, cupientes eos instruere, et ad Dei voluntatem revocare. Habent quoque potestatem percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint, quia in potestate illorum est, ut quando velint loquantur, et iterum quando velint taceant, ut scilicet fidelibus loquantur, infidelibus autem taceant. Et ideo quotiescunque infidelibus divina mysteria claudunt, toties insanabili plaga percutiunt. Quotiescunque vero fidelibus Dei sacramenta pandunt, toties alios ad mortem, alios ad vitam trahunt. Et quod aliis proficit ad salutem, aliis provenit ad mortem ; dumque verba coram impiis formant, sanguinem carnalis intelligentiæ quo moriantur porrigunt. Et notandum quod non dicit, habebunt potestatem, sed habent, ut hoc non de duobus tantum, Enoch et Elia, qui venturi sunt, sed etiam de præsentis nunc temporis Ecclesiæ prædicatoribus dictum intelligamus.

Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus illos bellum, et vincet illos et occidet illos. Hoc testimonium non ad ipsum regnum Antichristi est referendum, sed ad præcedens tempus quo ipsi prædicabunt, antequam ille incipiat regnare. In revelatione enim bestiæ finiendum, id est perficiendum et complendum est testimonium illorum, qui docent ipsum non esse Christum, sed diabolum, pronuntiantes Judæis atque gentibus olim jam venisse Christum, et sua passione redemisse genus humanum, unde et ab eo tenti interficientur. Et hoc est quod sequitur, quia bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum. Bestiæ autem vocabulo non solum damnatus ille homo, verum etiam habitator illius diabolus, qui per illum exaltabitur, et extolletur supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur, sed et omne corpus illius figuratur. Homo itaque ille perditus ascendet de abysso, hoc est de multitudine Judæorum per-

fidorum, qui impietate profundi sunt nascendo, et per ætatum momenta proficiendo, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita (Gen.* XLIX). Diabolus enim ascendet de abysso, hoc est, de reproborum cordibus in quibus habitat : et ingredietur illum damnatum hominem, ut per eum signa faciat, et elevetur ita, ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Omne enim corpus illius cum capite suo ascendet de abysso, quia divino Dei judicio efferari permittetur. *Judicia* enim Dei *abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Inde namque ascendet, unde ad superbiam elevari permittetur. Faciet autem contra Dei testes bellum, et corporale et spirituale, exhibebit cuncta quæ in præcedentibus martyribus sunt adimpleta, id est virgas, fustes, plumbatas, candentes ferri laminas, ungulas ferreas, bestias, ignes, et carceres, et si qua sunt similia tormentorum genera. Iterum quos sic non poterit vincere, conabitur doctrinis superare, exhibebit dona, verba promet dulcia, adhibebit falsa miracula, et per utraque sæviens multos a fidei rectitudine ad errorem inclinabit, alios scilicet decipiens terroribus, alios autem persuasionibus. Verum quod dicitur, *vincet eos*, non ad sanctos pertinet, qui non poterunt vinci, et qui ante poterunt occidi, quam a fide separari ; sed quædam pars malorum intelligitur, quæ sociata est corpori Christi, quæque sive terroribus, sive blandimentis vinci posse narratur. Quod vero *occidet eos*, ad sanctos pertinet, quod interficiet diversis modis, et superare non poterit. Inter quos etiam erunt ipse Elias et Enoch, qui a bestia nec terroribus nec blandimentis superari nullo modo poterunt. Inter eos autem qui vincentur, comprehenduntur falsi Christiani, Judæi, hæretici et pagani. Si vero quærimus quæ sint arma Ecclesiæ, utique fides et innocentia, duo dilectionis præcepta, duo etiam Testamenta. Hinc pugnant, hinc victores existunt, etiam cum moriuntur.

Et jacebunt corpora eorum in platea magnæ civitatis, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Civitatem magnam, quantum ad litteram appellat Jerusalem, quæ Dei civitas magna dicebatur, sed postquam Dominum suum interfecit, jam non dicitur civitas magna, aut Jerusalem, sed Sodoma et Ægyptus. Licet enim persecutio ubique grassetur, tamen immanior et acerbior erit Ecclesiæ vexatio, ubi Dominus crucifixus traditur, et ubi caput malorum apparebit Antichristus. In cujus platea specialiter dicuntur jacere corpora sanctorum, tanquam scilicet ut ubi principale certamen erit, ibi mortuorum corpora multipliciter pereant ; ubi etiam intelligitur, quia Judaica plebs specialiter adhærebit Antichristo, quousque Enoch et Elia prædicantibus, qui ex ea salvandi fuerint, revertantur ad Christum. Bene autem illa civitas Sodoma vocatur et Ægyptus, quia opera Sodomorum atque abominationes Ægyptiorum sectasse cognoscitur Unde Isaias illis dicit : *Audite, principes Sodomorum (Isa.* I). Altius autem per civitatem magnam in qua jacebunt corpora sanctorum, totus mundus intelligitur, quia in omnibus mundi partibus sancti tunc temporis interficientur. Unde bene dicitur : Ubi Dominus eorum occisus est Quod enim Dominus extra portas illius civitatis est passus significabat, quia Christus in suis membris in toto mundo erat passurus. Ita est civitas magna, quæ Babylon vocatur, in qua diabolus regnat, sicut civitas est Christi Hierusalem, in qua regnat ipse Christus. Illa cœpit a Cain, ista autem ab Abel. Sodoma interpretatur *muta*, Ægyptus *tenebræ*. Quibus nominibus illi comprehenduntur, qui, metu nimio concussi, tempore Antichristi non audebunt confiteri fidem Christi, sed in tenebris infidelitatis cæcati, et in tenebris tenti peccatorum, negabunt illum. Insuper etiam et civitatem sanctam calcabunt, id est compriment. Jacebunt autem corpora multorum, et illorum scilicet qui fuerint mortui, et illorum etiam qui diversis affligentur tribulationibus, id est fame, nuditate, carceribus, et cæteris inexquisitis tormentis.

Et videbunt de populis et tribubus et linguis et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium. Manifesta etiam ostenditur persecutio sanctorum in omnibus gentibus futura, cum dicitur quod omnes populi, et tribus et linguæ, videbunt corpora eorum tribus diebus et dimidio, id est tribus annis et dimidio, quibus regnabit Antichristus Ita enim hic dies pro anno positus est, sicut et in Veteri Testamento, ubi legimus quod reversi exploratores qui quadraginta diebus terram exploraverunt, fecerunt murmurare populum : Unde et postea quadraginta annos permanserunt in deserto, Domino dicente ad Moysen (*Num.* XIV) : Diem pro anno dedi vobis. Similiter et ad Ezechielem (*Ezech.* IV), cui præceptum est, ut trecentis nonaginta diebus jaceret super latus sinistrum, *diem*, inquit, *pro anno dedi tibi*. Significata est enim in his diebus captivitas decem tribuum trecentis quadraginta annis futura.

Et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Per corpora autem totos homines accipere debemus, qui non solum exstincti, verumetiam diversis pressuris attriti jacebunt et conculcabuntur. Consuetudo quippe sacræ Scripturæ est, ut aliquando per animam aliquando per corpus totum hominem significet. Per animam, ut ibi : *Descendit Jacob in Ægyptum in animabus septuaginta* (*Act.* VII). Per corpus vero, sicut Maria in Evangelio dicit : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX), cum solum corpus quæreret, quod positum fuerat in sepulcro, anima illius cum divinitate Verbi descendente ad infernum. Verum tanta sævitia tunc erit, et tam erit immanis illa persecutio, ut non satientur reprobi, postquam interfecerint eos, sed etiam ad augendam suam malitiam, neque post mortem permittent eos poni in monumento. Sic enim legimus factum et in persecutione sanctorum martyrum, quod tanto tunc amplius fiet, quanto gravior erit persecutio. Aliter : In monumentis idcirco mortuorum corpora ponuntur, ut ibi quiescant, et diem ex-

spectent novissimum. Unde et per quemdam sapientem dicitur : Corpora eorum in pace sepulta sunt. Tunc itaque non sinent eos poni in monumentis, hoc est, non permittent eos quiescere, veluti quiescunt corpora mortuorum, sed variis et inexquisitis eos cruciabunt tormentis. Monumentum etiam dicitur eo quod moneat mentem, quia et nos dum consideramus sanctorum monumenta, qui sua corpora pro Christo tradiderunt, monemur venerationem illis impendere. Non itaque sinent eos poni in monumento, hoc est non permittent eos venerari, sed velut irrisione dignos, permittent eos in plateis jacere, ubi comedantur a bestiis.

Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et judicabuntur, et munera mittent invicem. Recte inhabitantes terram vocantur, qui de interitu et de nece sanctorum gaudentes, mentem ad præmia contuenda electorum, vel ad sua consideranda supplicia erigere non noverunt. Tales ultimo tempore cum Ecclesia tradita fuerit in manus persecutorum, videntes Enoch et Eliæ, cæterorumque martyrum corpora insepulta jacere, gaudebunt ex eorum humiliatione et interfectione, qui eos male viventes et peccantes increpabant Et mittent sibi invicem munera, eulogia scilicet et datum temporale, vel sermonum congratulationem, tanquam diem festum celebrantes. *Quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos qui habitant super terram.* Sicut supradictum est, in devoratione scilicet ignis spiritualis, in suspensione pluviæ salutaris, in conversione aquarum in sanguinem. Licet ergo toto nunc tempore gaudeant impii de tribulatione et humiliatione justorum, lætantes cum malefecerint, et exsultantes in rebus pessimis, tamen jam tunc longa erit et major talium exsultatio de afflictione vel morte justorum, ac sua crudelitate. Sed cum dixerint *pax et securitas*, tunc repentinus eis superveniet interitus. Unde hic quoque apte subinfertur :

Et post tres dies et dimidium. Id est interitum repentinum super eos venire, qui dicunt pax et securitas, et tunc dolorem, cum dicunt gaudium post quadraginta scilicet quinque dies, qui in Danielis libro et Isaiæ commemorantur. *Spiritus vitæ a Deo intrabit in eos.* Non tamen alienus spiritus ingredietur in eos, sed unusquisque homo suam animam recipiet. *Et steterunt.* Pro eo quod est stabunt, quia præteritum tempus est positum hic pro futuro. *Super pedes suos.* Quantum autem sit hoc futurum, post illos quadraginta quinque dies solus Deus novit. Bene vero stare dicuntur sancti, quia scilicet jam incommutabiles erunt in mente, et incorruptibiles in corpore. *Et timor magnus cecidit*, id est cadet *super eos qui viderunt eos.* Pro eo quod est videbunt, id est super omnes reprobos qui interfecerunt eos. Ibi quippe recognoscent eos in gloria, quos persecuti sunt in præsenti vita. et timebunt dum viderint eos glorificatos, exspectantes sententiam divinæ ultionis. Vel etiam ipsi sancti cum viderint se invicem glorificatos, et viderint cœlum ardere, infernum autem tum, dæmones per hunc aera discurrentes, Dominum venientem ad judicium cum multitudine angelorum timebunt. Sed ut Dominus dicit, *virtutes cœlorum movebuntur (Matth.* XXIV), quanto magis homines. De quibus adhuc subditur :

Et audierunt vocem magnam dicentem illis : Ascendite huc. Vox ista quæ eos vocat ut cœlos ascendant, ipsa est de qua Apostolus dicit : *Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo (I Thess.* IV) Ascendite (inquit) huc, id est, ascendite ad Deum, et ad caput vestrum qui membra estis illius, qui modo singulis redditurus est juxta opera sua. Ideoque nolite morari in terra, ne involvamini in pœnis miserorum. *Et ascenderunt in nube in cœlum, et viderunt illos inimici eorum.* Legimus in Evangelio, quod Dominus in nube venturus sit ad judicium ; sic enim dixerunt angeli testes illius ascensionis : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum* ascendentem, id est, eadem carne et nube (*Act.* I). Sicut ergo Christus venturus est in nube, ita et omnes sancti. Unde ipse dicit : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum* potestate magna *et majestate (Matth* XXIV). Unde et Apostolus dicit : *Nos autem qui vivimus rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (I Thess.* IV), non in aere, sed in cœlo. Quod si quis, hanc Pauli sententiam intuens, inquirit qualiter generalis primo homini illata compleatur sententia, qua illi dixit Deus : *Terra es et in terram ibis,* scire debet veram Dei esse, et Pauli sententiam, quia et vivi reperientur homines, ex quorum persona hoc Apostolus loquitur ; et tamen scire debet ut beatus Augustinus dicit, in ipso raptu nubium, etsi momentaneam, mortem tamen gustabunt. In terram ergo revertentur, quia hoc est corpus in terram reverti, quod est exeunte anima remanere corpus, quod utique terra est. Itaque securi dicimus, quia in momento et in ictu oculi, in ipsis nubibus, Spiritum vitæ accipient hi, qui in adventu Domini vivi reperientur, in quibus, ut dictum est, et momentaneam mortem gustabunt. Impii quippe remanebunt in terra hac, electi elevabuntur ad gloriam, in qua et inimici illorum eos videbunt, et sentient judices juste, quos judicaverunt et damnaverunt injuste.

Et in illa hora factus est terræmotus magnus. Cum loqueretur de ipso judicio, repente venit ad ea quæ ante futura sunt ; id est ad persecutionem Antichristi, de quo paulo ante fecerat sermonem, ipsamque vocat horam quam ante in tribus diebus et dimidio expresserat. Quid autem mirum, si eadem persecutio una hora vocetur, cum omne præsens tempus una hora appelletur, juxta quod Joannes dicit : *Filioli, novissima hora est (I Joan.* II). Terræmotus itaque significat illam persecutionem validissimam, unde bene terræmotus non simpliciter sed cum additamento magnus vocatur, quia tunc tribulatio erit, ut Dominus ait, qualis non fuit, neque fiet. Hinc et

Danieli angelus dicit : Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt. *Et decima pars civitatis cecidit, et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.* Hic locus in Evangelio exponitur, ubi Dominus dicit, quod quædam mulier habens drachmas decem, perdiderit unam ex illis. Novem quippe sunt ordines angelorum, sed homo decimus est creatus, qui locum a diabolo evacuatum repleret. Ista decima pars periit in illis, qui consenserunt et crediderunt Antichristo. Non autem tota decima pars periit, sed pars decimæ partis in hæreticis scilicet, paganis et Judæis et falsis fratribus. Civitas quippe Hierusalem appellatur, quia constat ex angelis et hominibus. Civitas cujus decima pars cecidit, illa scilicet quæ ad novem angelorum ordines non pertingens, locum decimi ordinis cum electis minime tenet. Et cum sit ipsorum perditorum numerus infinitus, sub finito comprehenditur, cum dicitur : Quia mortua sunt in terræmotu nomina hominum septem millia. Septenarius enim numerus sæpe pro universitate ponitur, atque ideo in septem millibus hominum omnes reprobi intelliguntur, qui mortui sunt in anima sub eadem persecutione. *Et reliqui*, qui in fide permanserunt, id est, post abnegationem ad fidem redierunt, sive etiam qui ex errore ad veram doctrinam conversi sunt, et in eadem fide perstiterunt. *In timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli.* Sive quod eo gubernante, et fortitudinem donante non sunt lapsi : sive quod misericorditer post ruinam sunt erecti.

Væ secundum abiit, et ecce væ tertium venit cito. Superius aquila volans, tria væ dixit futura, quorum duo in enarratione præcesserunt, tertium adhuc restat. Primum væ quippe narrat prælium locustarum, secundum solutionem angelorum quatuor usque ad istum locum, in quo multa per recapitulationem de adventu Antichristi dicuntur : tertium inchoatur hic, et tendit usque ad præfinitum locum, id est damnationem omnium reproborum cum capite suo.

Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. In septimo angelo nihil aliud, nisi ut supra in cæteris Ecclesia intelligitur, non jam prædicans ut superius, sed in conspectu sui Creatoris consistens. Et hoc est quod superius angelus stans supra mare, et super terram juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus jam non erit, sed in diebus septimi angeli consummabitur mysterium Dei. Septimo autem angelo tuba canente, voces magnæ fiunt in cœlo, id est in ipsa electorum Ecclesia. Quæ voces nihil aliud sunt, nisi magnum sanctorum desiderium, laudantium Deum, et gratiarum actiones personantium atque dicentium ; Factum est regnum hujus mundi, cui antiquus hostis dominabatur, Domini Dei nostri, id est Patris et Christi sui Filii, et regnabunt Pater et Filius, et hi qui in Patris et Filii nomine intelliguntur, cum omni electorum Ecclesia in sæcula sæculorum. Hanc potestatem Filius Dei accepit per humanitatem, qui omnia cum Patre possidebat per divinitatem, unde et ipse surgens a mortuis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

Et viginti quatuor seniores, id est prædicatores, *qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis.* Id est in potestate judiciaria, juxta illud : Ecce Dominus veniet cum senioribus populi sui. *Ceciderunt in facies suas.* Omnia sua ad eum referentes, qui dicit : Sine me nihil potestatis facere. Qui in conspectu Dei sedent, quia in cunctis quæ agunt, vel dicunt, Deum sibi præsentem semper attendunt. *Et adoraverunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es* immutabilis *et qui eras* ante sæcula cum Patre. Ubi intuendum est, quia non subjungit, *qui venturus es*, ut supra. Præsentem enim jam in judicio, quo hæc omnia agentur demonstrant, quem venturum minime prædicant. *Qui accepisti virtutem tuam magnam*, Quando resurgens a mortuis omnia regna mundi tuæ potestati subjecisti, et hoc in humanitate, quia virtus indeficiens est in tua divinitate. *Et regnasti*, regnas et regnaturus es.

Et iratæ sunt gentes, quæ scilicet vident suam culturam ad nihilum redigi, unde Psalmista : *Dominus regnavit, irascantur populi. Et venit ira tua*, id est tempus vindictæ tuæ, quando irascentium populorum cervices confringes. *Et tempus mortuorum.* Ut scilicet qui mortui sunt peccato, moriantur damnatione perpetua. In quibus videlicet gratiarum actionibus duos Domini adventus comprehendunt : Primum scilicet humilem et occultum, quando surgens a mortuis mundum sibi substravit. Secundum vero excelsum et manifestum, quando impiis irascetur, et servos suos vindicabit. Non autem gaudent electi, quia reprobi damnantur, sed ideo gaudent, quia advenit tempus quando mali justam damnationem, et ipsi recipiant bonorum operum dignam remunerationem. Ante enim damnabuntur impii, et sic remunerabuntur pii, nec poterunt pervenire ad regnum corpora piorum, nisi præcesserit damnatio reproborum. Quod autem dicit, *iratus es*, non ita intelligendum est, ut irascatur Deus sicut et homo, sed sic videbitur reprobis, quos damnabit. Talis quippe in singulorum conscientiis erit, qualem eum videbunt. Unde in mentibus electorum videbitur benignus, in mentibus reproborum iratus. *Judicare et reddere mercedem* unicuique. *Servis tuis prophetis et sanctis.* Sic videntur hæc verba sonare, quasi præcesserit meritum electorum, pro quo mercedem sunt recepturi. Non enim redditur nisi quod debetur, sed non est ita, quia scriptum est : *Quis prior dedit illi et retribuetur ei?* (*Rom.* XI). Et alibi : *Gratia salvi facti estis, et hoc non ex vobis, ut ne quis glorietur* (*Eph.* II). Sciendum est itaque quia ut aliquid Deo damus, prius ab illo accepimus, cujus misericordia prævenit ut velimus, subsequitur ut operemur, unde Psalmista : *Misericordia ejus prævenit me, et misericordia ejus subsequetur me* (*Psal* XX, LVIII). Itaque quod accepimus, et Dei est, quia ipse dedit, et nostrum, quia nos ab illo percepi-

mus, et ideo cum Dominus mercedem reddit, sua ipse dona in electis remunerat. Sub hac intelligentia quotidie dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (Matth.* v); si nostrum est, cur ut detur petimus? Sed fit nostrum accipiendo quod non erat habendo. Quæritur autem, cur, nominatis prophetis et cæteris sanctis, apostoli sunt relicti? Sed sciendum, quia in prophetis ibi sunt comprehensi et apostoli, qui prophetæ sunt, quia ventura reproborum supplicia, et sanctorum præmia prænuntiant. De quibus ipse Dominus ait : *Ecce ego mitto ad vos prophetas.* Et ipsi Joanni dictum est : *Oportet te prophetare et prædicare gentibus.* Et quia non omnes sunt prophetæ qui sunt sancti, remunerabuntur prophetæ, remunerabuntur et isti. *Et timentibus nomen tuum pusillis et magnis.* Timentes quoque nomen illius, id est reverentiam habentes nominis ejus, et ideo peccare timentes, cum pusillis et magnis mercedem recipient. Magni quippe sunt, qui bonum quod intelligunt, juvante se divina gratia facere possunt. Pusilli autem, qui non ea possunt implere quæ intelligunt, quia nec locum habent. Sicut quilibet in monasterio constitutus, misericordiam vult impendere fratribus, vult etiam aliis sermonem prædicationis et doctrinæ impendere, sed quia ad hoc non vocatur, non illud quod intelligit, et vult, opere perficere valet. Ideoque tales in numero perfectorum habentur. Ideoque nulla subripiet de imperfectione desperatio, licet non fuerit omnibus attributa perfectio. Hinc Ecclesia in Canticis canticorum dicit sponso suo : *Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant.* I). Et quia talium innumerosior summa invenitur, ideo in subsequentibus Salomon ait : *Adolescentularum autem quarum non est numerus* (*Cant.* IV). *Et exterminandi eos qui corruperunt terram,* subaudis tempus advenit. Qui enim corruperunt terram, id est carnem suam maculaverunt diversis vitiis et peccatis, vel qui alios maculaverunt exemplo et doctrina prava, exterminabuntur, id est a terra viventium separabuntur, et ab hæreditate sanctorum, exsilio æternæ damnationis damnati.

Et apertum est templum Dei in cœlo. Cœlum est Ecclesia, quæ est sedes Dei. Templum in cœlo corpus intelligitur Christi, de quo ipse Judæis dicit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud;* unde Evangelista exponens subdit : *Hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* V). Quod templum apertum est nascendo, moriendo, resurgendo, atque ad cœlos ascendendo. Templum etenim Dei est ipsum corpus, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In cœlo hoc templum, quia in Ecclesia hæc mysteria prædicantur et retinentur. Vel apertum est hoc templum, quando (sicut in Evangelio legimus) lancea latus ejus perforatum est. In cœlo autem secundum hunc sensum Joannes apertum dicens templum, in conspectu suo intelligi voluit, cognoscens se esse de illorum numero, de quibus meminerat scriptum : *Cæli enarrant gloriam Dei. Et visa est arca testamenti in templo ejus.* Quod significatur per templum, hoc et per arcam, id est sanctorum Ecclesia, genus est in genere, sicut octo animæ in arca. Quæ propterea arca testamenti vocatur, quia duorum Testamentorum habet cognitionem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus; ibi est urna habens manna, id est corpus Christi, in quo verus est panis qui de cœlo descendit; ibi est virga Aaron, per quam sacerdotium designatur, quia et illud sacerdotium in figura præcessit. Significabat enim regale sacerdotium, quod agitur nunc in Ecclesia. Hæc arca quatuor portabatur circulis, quia quatuor instruitur Evangeliis. Aperto ergo templo, visa est arca, quia eo moriente dum latus ejus lancea perforatur, mysterio sanguinis et aqua Ecclesia ædificabatur. In cujus rei figura, in principio mulier de latere viri dormientis fabricata esse describitur. *Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua et terræmotus et grando magna.* Per fulgura miracula intelliguntur, quibus incredulorum mentes percussæ fractis mox superbiæ viribus, humilitati se subdiderunt. Hinc Psalmista : Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos. Per voces vero, prædicationes et exhortationes : Bene autem prius fiunt fulgura, ac deinde subsequuntur voces, quia sancti prædicatores prius miracula faciebant, et sic ad nova credenda loquendo suos auditores invitabant; unde Petrus prius ad Speciosam portam sanavit paralyticum, et deinde Judæorum mentes ad fidem verbo exhortationis informavit. Tonitrua quoque significant comminationem terroris divini judicii Post voces tonitrua fiunt, ut hi qui forte miracula contemnunt, verba despiciunt, terrore judicii quatiantur. Terræmotus vero persecutionem significat, quæ excitata est contra sanctos. Unde et bene post terræmotum grando sequitur, nam grando eos qui persecutionem commovent, significat. Grando quippe et fruges terræ comminuit, et ipsa comminuitur; fitque ut grando funditus deficiat, et denuo terra fructificet. Sic nimirum principes hujus sæculi dum persequebantur sanctos et affligebant, et ipsi pariter confringebantur, et ad nihilum redigebantur, aut viribus scilicet, aut commutatione in melius. Plures etenim de his, qui Ecclesiam Dei persecuti sunt, ad finem Christi conversi, cœperunt pati, qui prius aliis inferebant. Porro malis pereuntibus, aut etiam qui fuerant prædestinati conversi ad fidem, Ecclesia fructificare in bono opere, et crescere cœpit in fide.

CAPUT XII.

Et signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Istud est signum de quo admonitus est Achaz, ut peteret *signum a Deo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Sed cum ille diceret, *Non petam, et non tentabo Dominum,* conversus propheta ad domum David, dixit : Propter hoc dicit Dominus : *Ecce dabo vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Magnum quippe fuit signum, quando virgo concepit et peperit, et

post partum virgo permansit. Et in cœlo hoc factum est, id est in Ecclesia, cujus et mater Domini membrum erat. *Mulier amicta sole*, id est circumdata divinitate Altissimi, unde angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc.* I). Illa scilicet de qua Paulus ait, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Ipsa autem beata Dei genitrix in hoc loco personam gerit Ecclesiæ. Neque enim omnia quæ hic narrantur, juxta litteram beatæ Virgini specialiter congruere possunt, sed electorum Ecclesiæ, secundum mysticam narrationem generaliter conveniunt, in qua quotidie fit hoc signum, quia quotidie concipitur in ea Christus et nascitur. Ipsa est enim mater, ipsa est et filius ; unde Dominus dicit: *Si quis fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est (Marc.* III). Dum enim quotidie novos populos creat, in illis nascitur Christus. Ipsa est amicta etiam sole, id est circumdata Christo, de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ (Malach.* IV). Hinc Paulus dicit : *Omnes quotquot baptizati estis, Christum induistis (Gal.* III). De hoc sole impii dicturi sunt in inferno : *Sol justitiæ non luxit nobis (Sap.* V). Per lunam autem quæ mutabilis est, ut pote quæ a principio usque ad plenum orbem crescit, et inde deficit usque ad tricesimam ætatem, omnia istius sæculi mutabilia designantur, ideoque tam beata Dei genitrix, quam etiam omnis Ecclesia, lunam sub pedibus habet, quia cuncta temporalia despicit, omnia mutabilia pro nihilo ducens, cœlestia mentis tenet intuitu, dicens cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III). Aliter : In hac muliere possumus intelligere perfectiores in Ecclesia, qui juxta Domini consilium, sua omnia relinquentes, secuti sunt Christum. Per lunam autem simplices, qui laborant ad aliorum usus, in plantando, ædificando et agricolando. Hos itaque habent illi, qui sunt perfecti, quasi sub pedibus, quia longe ab eorum merito distant, non tamen illi mercede carebunt, licet illis non per omnia coæquentur, si fideliter ministerium suum impleverint. *Et in capite ejus coronam stellarum duodecim*. Quia per mulierem (ut diximus) Ecclesia intelligitur, caput illius Dominus Jesus Christus intelligitur. De qua Paulus dicit, de Deo Patre loquens: Ipsum caput dedit supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus. In duodecim vero stellis significantur duodecim apostoli, qui sua prædicatione tenebras infidelitatis fugant, et lumine veritatis suos auditores illuminant. Unde angelus Danieli dicit : Qui autem docti fuerint, et alios erudiunt, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *In capite ejus corona* est *stellarum duodecim*, id est duodecim apostolorum, per quos omnes gentes quæ in circuitu istius mundi sunt, crediderunt in Christum, et primum per eos ipsum caput victoriam de toto mundo portavit.

Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Hæc juxta litteram beatæ Mariæ aptari nequeunt, quæ sicut sine delectatione concepit, ita sine dolore peperit, nullumque cruciatum habere in partu potuit, quæ nullum peccatum libidinis in conceptu contraxit. Sed juxta mysticum intellectum hoc ad Ecclesiam refertur, quæ mulier vocatur, non propter effeminatum animum, sed quia prædicatione et lavacro spirituales filios gignere quotidie non desistit. Unde et ipse dicit in Evangelio : *Si quis fecerit voluntatem Patris*, et cætera usque, *et mater est*. Ipsa enim Ecclesia reputatur in matrem, reputatur in filium : quia dum quoslibet ad fidem adducit, mater est, aut fonte baptismatis regenerat. In illis autem, qui accendunt ad baptismum, et confitentur se in Christum credere, filius est. Hinc Paulus : Per Evangelium ego vos genui. De hac muliere Dominus dicit : *Mulier cum parit*, id est cum parere vult, *tristitiam habet, quia venit hora ejus*. Sicut enim mulier dum parturit, affligitur et vexatur, ita et sancta Ecclesia dum in hoc sæculo est, et videt suos affligi, et variis modis tribulari, tristatur, affligitur, et vexatur : et clamat ad Deum, postulans liberari, ne victa tribulationibus succumbat. Sed cum ad tempus vel horam pervenerit, qua ultima corporis membra ad lucem æternam nascendo perveniant, tunc cessabit cruciatus ac parturitionis clamor.

Et visum est aliud signum in cœlo : et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem et cornua decem. Per draconem, ut supra jam quoque diximus, intelligitur diabolus, qui aperte quoscunque potest deglutire non cessat, et quia diu est ex quo homines nocet, propter multiplicitatem insidiarum magnus vocatur : Rufus vero, propter homicidium, quia ille homicida erat ab initio, ex quo scilicet primum hominem interfecit. Cœlum autem ipsa Ecclesia intelligitur, quæ superius significata est per mulierem. In cœlo est draco, quia etiam in Ecclesia diabolus, quibus valet, nocere non desinit. Neque enim ipse cœlum possidet, sed cœlo adversatur. Per septem autem draconis capita, omnes intelliguntur reges illi subjecti, qui contra septiformem Ecclesiam pugnant Per decem vero cornua omnia regna illi subjecta. Nam quod in cornibus regna significentur, Zacharias manifestat et Daniel, quorum uterque dicit se vidisse quatuor cornua, quæ sunt quatuor regna principalia. Cum his enim cornibus, hoc est, cum ista sæculi potentia, et regnis sibi subjectis, pugnat diabolus contra eos, qui decem præcepta legis observant. *Et in capitibus ejus septem diademata*. Quod significatur per capita, hoc et per septem diademata, id est omnis hujus sæculi potentatus, qui illi adhærent, et per fraudem verisimilem contra septem ecclesias, et contra septiformem Spiritum dimicant.

Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. Per caudam draconis, ut supra quoque dictum est, pravi intelliguntur doctores : propheta enim docens mendacium, ipse est cauda. Potest etiam et cauda specialiter ipse Antichristus intelligi, qui omne mendacium dicturus

est, habens eum habitatorem, de quo Dominus dicit : *In veritate non stetit.* Tertia autem pars stellarum quam trahebat cauda draconis ; in hæreticis, paganis, Judæis figuratur ac falsis Christianis, qui de cœlo, hoc est, de societate sanctorum ejiciuntur, et in consortium malorum hominum trahuntur. Illi enim designantur per stellas de cœlo abstractas, qui prius lucere videbantur in Ecclesia, sed adveniente Antichristo, decepti blandimentis, tormentis et falsis miraculis, obscurabuntur. Fit autem quotidie hæc stellarum dejectio, sed amplius tunc fiet, quanto immanior erit persecutionis sævitia. Quod autem dicitur, *trahebat*, more Scripturæ sacræ præteritum ponitur pro futuro. Vel, bene etiam trahebat tertiam partem stellarum, quia quodammodo retro aspiciens, de toto transacto hoc tempore ista loquitur. Ab adventu enim Domini, quo stellæ spirituales in cœlo splendere cœperunt, et isti cadere inchoaverunt. *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Quantum ad beatam Mariam pertinet, diabolus stetit ante eam, volens per Herodem Filium ejus interficere, quando ille fugit in Ægyptum, et lactentes pro eo sunt interempti, sed quod non potuit facere per illum, fecit per filium ejus Herodem, qui illis diebus, sicut Evangelium dicit, Hierosolymis erat. Voluit autem eum devorare diabolus, quia æstimans eum purum hominem, putabat quod cum cæteris in inferno eum tenere posset, sed non potuit, ut in sequentibus dicitur, quia surgens a mortuis, ascendit ad Deum Patrem ; sic quotidie, imo omni hora, stat diabolus ante sanctam Ecclesiam, ut possit eos decipere, qui, fonte baptismatis renati, efficiuntur filii Dei, sed non prævalet, quia rapiuntur ad Deum, a quo proteguntur, juxta illud : *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.* Et : *Volo ut ubi ego sum, illic et minister meus sit* (*Matth.* XXIV). Non autem vel Christus, vel membra illius tunc solummodo draconem vincunt, cum ad cœlos ascendunt, sed potius vincunt eum in hoc, et ipse Dominus et electi ejus, quia mandata vitæ custodiunt. Unde et in Evangelio legimus, quod cum tentaret Dominum, testimonia ejus divina ipse protulit, et sic eum confudit.

Et peperit filium masculum. Beata Maria peperit masculum, id est Dominum Jesum Christum fortem, qui ad hoc venit, ut principem hujus sæculi debellaret. De quo Psalmista : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Masculus autem aliquando ponitur in malam partem, aliquando in bonam. In malam, ut illud Jeremiæ : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus.* (*Jerem.* XX) Quo in loco propheta personam humani generis gerit, dicens : *Maledictus vir*, diabolus scilicet, *qui annuntiavit patri meo*, mundo, *natus est tibi puer masculus*, id est, populus fortis in malum. De hoc patre Psalmista dicit : *Audi, filia, et vide*, et cætera, usque ad *domum patris tui* In hoc autem loco masculus in bonam partem ponitur, quia significat Dominum Jesum Christum, vel certe membra illius, quæ quotidie parit sancta Ecclesia. Recte autem sancti sub nomine masculi comprehenduntur, quia fortiter contra adversa istius sæculi dimicant, sicut fecerunt sancti apostoli et martyres, qui etiam ipsa corpora tradiderunt pro Christi nomine, quibus Psalmista dicit : *Viriliter agite et confortetur cor vestrum* (*Deut.* XXXI). Quod autem subditur : *Qui erat recturus omnes gentes in virga ferrea.* Tam de Christo, qui potestate inflexibili omnes gentes regit, unde illi in psalmo dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II), quam de omnibus electis potest intelligi, qui in suo capite acceperunt potestatem, ut regant gentes in virga ferrea, et habeant potestatem confringendi eos tanquam vas figuli, ut faciant ex vasis iræ vasa misericordiæ. Nam quod Christus facit potentia, faciunt etiam sancti, dono illius adjuti, prædicatione sua. Virga autem ferrea rectitudo intelligitur justitiæ, qua et diligunt bonum quod Deus fecit, et insequuntur malum quod homo nequiter gessit, sicque sua ut aliena facta librant, et aliena judicant ut sua. *Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus.* Iste raptus, ut supra dictum est, non est solummodo corporalis, sed spiritualis. Quasi enim quidam raptus sanctorum sit ex hoc mundo ad Deum, dum fidem quam habent interius mandata vitæ custodiendo, etiam exterius opere exornant, unde et Psalmista dicit : *Ascensus in corde suo disposuit.*

Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Solitudinem ad quam mulier fugit, secretum mentis debemus intelligere, quia abjiciens primum terrenorum desideriorum tumultus et mundi hujus superfluas curas, seipsam desertum quietis facit, ibique invenit locum a Deo paratum, hoc est, ipsum Deum omnipotentem, qui in corde illius requiescit. Iste est locus de quo Psalmista dicit : *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii ut salvum me facias* (*Psal.* XXX). In solitudine ergo cordis locum sancti inveniunt quo salventur, quia dum insolentias cogitationum non patiuntur, solaque æterna petunt, Conditorem suum in secreto cordis sui habent habitatorem, in qua solitudine pascunt eam, nulli dubium, quin prædicatores sancti hic intelligantur, qui Ecclesiam pascunt sua prædicatione et doctrina diebus mille ducentis sexaginta. Quamvis hic numerus specialiter pertineat ad tempora Antichristi, quibus necessario pascetur Ecclesia a doctoribus, præcipue Elia et Enoch, tamen ad omne præsens tempus potest referri, a Domini scilicet ascensione usque in finem sæculi. In hoc tempore morante Ecclesia in solitudine sui Conditoris, et curis temporalium rerum quiescente, pascunt eam doctores exemplo et doctrina per suas Epistolas, Evangelium, et expositiones Librorum pabulo divini sermonis. Nam sicut Antichristus mille ducentis sexaginta diebus re-

gnabit, ita et Christus mille ducentis sexaginta diebus, id est tribus annis et dimidio, prædicavit. ideoque totum præsens tempus possumus accipere per hunc numerum, a quo divina prædicatio cœpit, in quo et per novissimos prædicatores terminabitur. Hanc etenim mulierem significabat olim populus ex Ægypto egressus, qui Pharaonem, draconem scilicet qui in medio fluminum suorum cubabat, fugiens in desertum perductus est, quo manna vesceretur, et a morsu ignitorum serpentium, aspiciens æneum serpentem in ligno suspensum liberaretur. Desertum quippe illud significabat præsentem vitam, et secretas mentium solitudines. In hac quippe vita pascimur vero manna, id est corpore Christi, qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* et cætera, usque *pro mundi vita*. Adsunt quoque igniti serpentes, id est dæmones, qui virus nequitiæ suæ nobis infundere conantur. sed non prævalent, quia liberamur per eum qui suspensus in cruce nos a diabolo liberavit, qui et similitudinem nostræ habuit mortalitatis, tamen non habuit maculam peccati, ideoque nos ab omnibus prævalet mundare peccatis

Et factum est prælium magnum in cœlo. Non tunc solummodo factum est prælium, quando in initio temporis diabolus per superbiam dejectus est de cœlo, sed et quando a Domini passione ejectus de cordibus fidelium, cœpit amplius sævire contra omnes, et hæc pugna perseverat usque ad finem sæculi, quando cum fuerit solutus, consummabitur. Cœlum enim sancta Ecclesia est, in qua fit hoc prælium. maxime, ut diximus, ex quo per fidem ejectus est de cordibus credentium, apostolis prædicantibus, juxta illud : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* et cætera. Sic enim dicitur : *Factum est prælium magnum in cœlo*, ut ab initio fidei Christianæ usque ad finem, totum tempus vitæ præsentis comprehendi, sine aliqua dubitatione credatur, quatenus et factum in præteritis, et esse in præsentibus, et consummandum in novissimis asseratur. *Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone.* Angeli Michaelis, vel draconis dicuntur illis subditi et ad obediendum missi, non tamen ab eis creati, sicut quidam vaniloqui dixerunt hæretici : vel etiam quoniam sub uno rege in una civitate militare creduntur Sic enim solemus et nos dicere, videntes eos qui ex eadem societate sunt : Ecce mei aut nostri. Hinc enim Dominus de pusillis ait in Evangelio : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Hinc Josue principem exercitus Domini interrogat dicens : *Noster es, an adversariorum ?* Omnes enim angeli boni, dicuntur angeli Michaelis, quia ad ejus societatem pertinent. In quo numero bonorum angelorum, etiam homines justi comprehenduntur pugnantes cum diabolo. Porro angeli draconis dicuntur omnes quotquot ei consenserunt, quando superbiens dixit : *Ascendam super altitudinem cœli*, et cætera. Ubi etiam pariter malorum hominum forma comprehenditur. Pugnant itaque Michael et angeli ejus in cœlo, hoc est, in Ecclesia, et pugnat draco cum suis dæmonibus, quoniam sicut dæmones sunt parati semper ad impugnandum, ita et sancti angeli ad resistendum. Attamen nec nos sine angelorum, nec rursum angeli sine nostro conflictu contra antiquum hostem dimicant. Erigamus ergo arma securi, quia fortissimos nostræ patriæ concives, et invictos adjutores habemus, juxta quod Apostolus dicit : *Nonne omnes administratorii sunt spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ?* Inde autem illi fortes, unde et nos : inde illi invicti, unde et nos, id est ex divina virtute, sine qua nec illi aliquid valent, nec nos. Pugnat enim nunc Michael, qui est præpositus Ecclesiæ cum suis angelis pro Ecclesia. Pugnabit etiam amplius tempore Antichristi, juxta illud : In tempore illo consurget Michael princeps vester et cætera.

Et non valuerunt, neque locus inventus est amplius eorum in cœlo. Quare dicit, non valuerunt, cum etiam post baptismum et suam abrenuntiationem diabolus multos decipiat ? Sed licet videantur prævalere ad tempus, tamen in eos qui ad vitam sunt prædestinati, non prævalent : quia ablato peccato per pœnitentiam, non invenit in eis locum diabolus. Ille namque fit ejus habitatio, in cujus mente regnat peccatum. Tolle ergo regnum peccati, et non invenietur locus diabolo. Sunt autem et nonnulli in quibus nec ad tempus prævalent, quia ad nullum mortale crimen eos possunt impingere, per quod illorum corda debeant possidere, quibus Paulus ait : *Nolite locum dare diabolo.* Potest autem et hoc specialiter referri ad diem judicii, quando illorum certamen ab adventu Domini in judicio terminabitur. Quo peracto, ista sententia complebitur, non valuerunt scilicet, quia in fine certaminis succumbent. Neque locus eorum amplius inventus est in cœlo. quia tunc funditus ab electis exclusi, decipiendi ultra tempus non habebunt.

Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas. Ipse antiquus hostis, ut jam dictum est, draco appellatur propter immanitatem sceleris. magnus propter occultas insidias : et quia ex multo tempore nocet, serpens antiquus. quia per serpentem primum hominem decepit fraude, et sic cum veneno nequitiæ interemit. Vocatur quoque diabolus, id est deorsum fluens, sive criminatur, quia quotidie de cordibus fidelium fluit, et inde dicitur Satanas, id est contrarius, quia bonos insequitur, quorum illi opera sunt contraria. *Qui seducit universum orbem.* In his videlicet quæ pereunt, id est partem orbis. Nam a toto partem intelligere debemus, quia quamvis multos electorum in corde plerumque seducat, non tamen in perpetuum, nec ad æternam mortem. *Et projectus est in terram.* Projectus est autem de cœlo in terram, id est de mentibus electorum in corda reproborum, non quo in eis et ante non erat, sed quod ab istis exclusus amplius illis dominari cœperit. Ruinam ejus terra excipit quia terrena quærentium, terrena sapientium mentes invadit. De qua scilicet

terra eidem serpenti in prima maledictione figuratim dicitur : Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Nam quod Propheta dicit : Esca ejus electi, de illis est intelligendum, qui æstimatione hominum electi apparebant, sed in conspectu Dei jam terra erant.

Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. Hæc vox ad omne præsens tempus pertinet quæ cœpit ab adventu Redemptoris, sed usquequo ad consummationem perveniat, clamare non desinit. Vox itaque in cœlo ista, est magnum electorum desiderium in Ecclesia : *Nunc facta est salus.* Sed omni tempore vitæ præsentis, ab adventu scilicet mediatoris usque ad finem ejusdem prædicationis, salus facta est, quia gratia Dei vel bonitate sumus salvati, unde Psalmista dicit : *Domini est salus*, et cætera. *Factus est virtus*, quia per illum sumus roborati. Regnum quoque et potestas facta est Dei nostri. Sicut ipse resurgens a mortuis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (Matth.* XXVIII). —*Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Accusatio diaboli nihil est aliud, nisi ad malum præcipitatio. Tunc enim accusat, quando dignos accusatione reddit, non loquendo exterius, sed odiendo interius. Sed ab hac accusatione ille liber apparet, qui in se accusare studet quod ab adversario suo accusari posse cognoscit. Angeli itaque gaudentes de nostra revocatione, lætantur de casu diaboli. Unde in Domini nativitate dicebant : *Gloria in excelsis Deo.* Quid enim mirum, si homines fratres vocant, dum cernunt ipsum Dominum hoc facere? Surgens enim a mortuis dicit Mariæ : *Vade, dic fratribus meis.* Neque enim jam dedignantur homines habere fratres, qui Dominum habent hominem fratrem. In die autem et nocte, vel continuum tempus intelligitur, vel prospera vel adversa. In die et nocte diabolus accusat, quando alios in prosperitatibus extollit, atque alios adversitatibus frangit, et hoc ante conspectum Dei, qui ubique est, juxta illud : Cœlum et terram ego impleo.

Et ipsi vicerunt illum. Id est, sancti qui in Ecclesia sunt et in cœlo, bellum contra draconem faciunt, hoc est, in societate electorum. *Propter sanguinem agni.* Cujus videlicet Passionem imitantur mortificantes se cum vitiis et concupiscentiis. *Et propter verbum testimonii sui* Quia rectitudinem fidei custodiunt. *Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quia ante elegerunt mori in hac vita ut postmodum regnarent cum Christo, quam hic vivere temporaliter, et postmodum æternaliter perire, usque ad mortem se posuerunt, ne animas suas nequiter amarent. Hinc Paulus dixit : Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum pro Christo, *nec facio animam meam pretiosiorem quam me (Act.* XX). Et Dominus : *Qui amat animam suam perdet eam.* Imitantur enim Dominum suum, quem sciunt pro sua redemptione non pepercisse animæ suæ.

Propterea lætamini, cœli, id est omnes ecclesiæ. Plurali enim numero utuntur, quia numerositatem Ecclesiarum assignant. *Et qui habitatis in eis.* Id est, omnes sancti qui in congregatione sanctorum moramini, vel certe habitatores cœlorum, angelos intelligere possumus, quibus concorditer in Domino convenit congratulari, dum et homines ad illorum consortium redeunt, et angeli redintegratum numerum suum istis receptis aspiciunt. Ubi non est aliud quod exponi debeat, nisi ut hac manente lætitia, hic liber debitum finem accipiat.

LIBER QUARTUS.

SEQUITUR CAPUT XII.

Væ terræ et mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam. Terra autem et mare unum idemque significant, sicut Daniel aperte demonstrat. Qui cum dixisset se vidisse quatuor ventos pugnantes in magno mari, adjecit : *Et quatuor bestiæ ascenderunt de terra.* Hoc ipsum significans per terram, quod et per mare, id est hunc mundum, in quo miseri fluctuant, qui semper terram petunt. Ita ergo et hic terra et mare reproborum significant corda, quibus est væ, id est æterna damnatio, vel perditio, ad quos versutus inimicus expulsus ab electis, descendit, non quod in eis ante non esset, sed quia expulsus a non suis, amplius in suis dominari cœpit. Qui recte terra et mare nuncupatur, quia dum semper terrena petunt, superbiæ fluctibus tumidi, et vitiorum illecebris amarissimi inveniuntur. Talibus itaque væ imminet, id est æterna damnatio, quia dejectus a fidelibus diabolus, cum ira magna sævit adversus illos : et tanto utique hoc agit ferventius, quanto viciniorem sibi sentit adesse pœnam, unde subditur : *Sciens quod modicum tempus habet.* Modicum quippe tempus, præsens intelligitur vita, de qua Apostolus : *Filioli, novissima hora est (I Joan* II). Et si computemus omne tempus ab exordio mundi usque ad finem sæculi, æternitati comparatum, brevissimum est Quia ergo diabolus in proximo se scit esse damnandum, ad exercendum, malitiam suam, angustum ei videtur hoc tempus, quamlibet prolixis morarum spatiis protelatur. Considerat quippe quod juxta sit, ut licentiam, nequissimæ libertatis amittat : et quanto brevitate temporis angustatur, tanto multiplicitate sceleris expanditur. Hanc autem ejus ruinam et in adventu nostri redemptoris factam, et nunc usque fieri debemus credere. Habet autem diabolus iram non solum contra eos, qui per terram et mare figurantur, sed etiam contra eos qui in cœlo habitant, a quibus

victus excluditur. Nam et per ipsos sævit versutius adversus ipsos

Et postquam vidit draco quod projectus esset de cœlo, hoc est de corporibus electorum. *In terram*, id est in reproborum corda. *Persecutus est mulierem quæ peperit masculum*. Sancta Ecclesia designatur per cœlum, similiter et per mulierem. Appellatur autem mulier non propter mollitiem animi, sed quia quotidie spirituales Deo filios gignere non cessat. Ipsa etenim est sponsa annulo fidei in baptismo subarrhata, de qua Paulus dicit : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI). Et alibi: *Desponsavit sibi Christus Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (*Eph.* V. Et in sequentibus hujus libri verbis dicitur : *Veni, ostendam tibi sponsam agni* (*Ap.* XXI). Ipsa est etiam uxor in perfectione operis et morum constituta, quia sua prædicatione et doctrina multos filios Dei generat. Unde et ipse Dominus dicit : *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, et mater est* (*Marc.* III). Credendo ergo sponsa, operibus inhærendo uxor, vocibus prædicando mater efficitur Christi. Toties enim parit Christum quoties officio prædicationis membra ejus quæ nos sumus ad fidem et operationem informat. Postquam itaque vidit draco quia projectus esset de cœlo, maximeque post adventum Filii Dei, de quo Dominus ait : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum, id est fortem populum, sicut fuerunt sancti martyres, qui ante potuerunt mori quam a fide Dei separari. Persecutus est quippe hanc mulierem in ipsa adolescentia, quando interfecit Abel, sed hanc post adventum Filii Dei acrius persequi aggressus est, et ad argumentum persecutionis callidus semetipsum convertit, alios per membra sua crucifigens, ut Petrum, alios lapidibus obruens, ut Stephanum, alios igne consumens, ut Laurentium, alios quoque serpentibus tradidit, ungulis laniavit, in mare præcipitavit, et per varia instrumenta similia transire coegit. Et hæc quidem facit ligatus, sed vehementius contra eam exsurget, quando damnatum hominem ingredietur, et pugnabit tormentis, et falsis miraculorum signis, *ita ut in errorem* deducantur, *si fieri potest, etiam electi* (*Matth* XXIV). Quorum tanto robustior tunc erit constantia, quanto immanior persecutorum sævitia.

Et datæ sunt mulieri duæ alæ magnæ aquilæ ut volaret in desertum in locum suum. In duabus alis mulieri datis, duo intelliguntur Testamenta, et duo charitatis præcepta, in quibus *tota lex pendet et prophetæ*, sive etiam activa et contemplativa vita. Quibus acceptis effecta est aquila, petens per mentis contemplationem cœlestia, juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Sic enim dicitur : *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ*, tanquam diceretur : Hoc donum ipsa mulier meruit, ut aquila magna efficeretur. Desertus autem locus corda sanctorum intelliguntur, remota a terrenis desideriis. Prius enim a semetipsis inordinatos desideriorum motus ejiciunt, et sic semetipsos desertum quietis efficiunt, ut habeant locum quo fugere possint, quia dum mala hujus mundi non diligunt, sed solummodo æternam patriam appetunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. In qua solitudine locum tenet, quo fugiat ad Deum qui in secreto mentis a quærentibus invenitur, cui Psalmista dicit: *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii ut salvum me facias* (*Ps.* LXX). Duabus ergo alis mulier utens, draconis persecutionem evadit, quia sancta Ecclesia, duorum Testamentorum cognitione, sive duobus præceptis charitatis fulta, et ad cœlestia suspensa, occultas inimici insidias præcavere, et apertas persecutiones novit contemnere, removens se ab omnibus terrenarum rerum tumultus, et in secreto mentis Domino vacans *Ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis*. Id est, per omne tempus istius vitæ, a Domino prædicatione usque ad finem sæculi, illo vero pane qui de cœlo descendit Ipse enim est fugientibus persecutorum sævitiam via, ipse ad solitudinem pervenientibus locus, ipse in eadem solitudine esurientibus cibus.

De hoc tempore satis supra dictum est. Nam quia prædicatio Christi tribus annis et dimidio perduravit, et tribus annis et dimidio terminabitur. Recte per hoc spatium omne tempus præsentis vitæ intelligitur, in qua sub eadem doctrina Ecclesia moratur. In hujus mulieris figura olim populum Israeliticum columna nubis præcedebat per diem, et columna ignis per noctem. In nube quippe blandimentum amoris, in igne autem terror exprimitur timoris Per has quippe duas columnas duo significantur Testamenta. Per nubem in die, Novum significatur Testamentum, in quo non vindicta peccantium, sed misericordiæ lenitas ostensa est. Unde est: *Nemo te condemnavit, mulier* (*Joan.* VIII). Per ignem vero in nocte. Vetus Testamentum intelligitur, quod supplicium peccantibus minatur. Unde est : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Fugiens autem populus Pharaonem, qui est draco magnus, cubans in medio fluminum suorum, veluti mulier fugit draconem, pervenit in desertum, in quo Deum protectorem reperit, et manna cœlesti pastus est et per suspensum serpentem æneum. Dominum videlicet Jesum Christum salvatus est, qui veneno peccati caruit: quia et si apparuit in similitudine carnis peccati, tamen *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Potest autem deserti nomine illa regio designari, quam apostata angelus deseruit, et homo in quo certum refugii locum invenit Ecclesia, quæ undique persecutionibus angustiatur in terra, ubi cibum indeficientem reperit, quæ hic dum affligitur, justitiam esurit. In alis autem mulieris, ipsa suspensio intelligitur contemplationis. Solet enim hoc proprium esse sanctorum donum, in quo magis pressuris angustiantur in terra, eo amplius contemplationi spenna eleventur ad summa. Hinc Paulus dicit: *Quando infirmor, tunc fortior sum* (*II Cor.* XII).—*Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen*. In

Scriptura sacra sæpe aquarum impetus significat persecutionem, unde Psalmista : *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos* (*Psal.* CXXIII). Per os vero antiqui serpentis, suasio illius intelligitur, qua reprobi instigantur ut contra Ecclesiam sæviant. Post mulierem ergo in desertum volantem, serpens ex ore suo flumen emisit, quia maxime post adventum Filii Dei et postquam Ecclesia cœlestia petiit, infidelium multitudinem diabolus in sanctorum necem commovit, sicut Neronem, Domitianum, et cæteros, ut eam faceret trahi a flumine, id est in corpus suum, hoc est, in societatem reproborum posset eam traducere, sed non valuit, quia si moriuntur martyres corpore, tamen post mortem carnis veraciter dicent : *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Ibid.*), quia dum persecutores trajicere eos in corpus suum non valuerunt, funditus delere conati sunt.

Et adjuvit terra mulierem. Terra in sacro eloquio humanam naturam significat, unde primo homini dictum est : *Terra es, et in terram ibis.* Terra itaque in hoc loco caro nostri Redemptoris intelligitur, qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit. De hac terra Psalmista ait : *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psalm.* LXXXIV). Hæc terra mulierem adjuvit, quia ipse primum omnes fluctus humanæ persecutionis pertulit et devicit. *Et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Quia tempore passionis abundantia vitæ suæ mortis principem deglutivit, et resurgens a mortuis inundantes fluctus absorbuit potentia divinitatis, quia ad hoc mortuus est, ut et vivorum et mortuorum dominetur, unde Apostolus: *Dedit illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (*Ph.* II). Et unde ipse fluctus persecutionum superavit, inde Ecclesiam ne vinci possit adjuvit, ac si diceret suis fidelibus : Nolite timere mortem, nolite timere fluctus humanarum subire persecutionum, sed confidite, quia ego vici mundum, principem quoque mundi debellavi, fluctus vitæ mortalis resurgendo calcavi, quia prior ego persecutiones ejus bibi, bibensque superavi, vobisque spem resurgendi dedi. Ideoque sicut ego me humiliavi, et per humilitatem ad victoriam veni, ita et vos humilitatem sequimini, ut mecum postmodum regnare possitis, quoniam diabolus nihil amplius prævalebit in corpore, quam quod prævaluit in capite. *Et iratus est draco in mulierem* Id est, contra sanctam Ecclesiam quæ, sicut dixi, mulier appellatur, quia spirituales filios generat. *Et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus.* Fecit quidem draco prælium cum his, qui fuerunt ante Domini adventum boni, sicut fuit Abraham, Isaac et Jacob, et multi alii, sed amplius post adventum Filii Dei, cœpit sævire cum reliquis, qui erant de semine ejus, id est cum apostolis et martyribus, quos per membra sua crucifixit, ustulavit, igni tradidit, et variis tormentis cruciavit. Semen quippe mulieris verbum intelligitur prædicationis, quo renascuntur homines, et filii Dei efficiuntur. Tanto enim diabolus amplius sævit adversus Ecclesiæ membra, quanto a præcedentibus divino munere roboratis victus est. Hinc est quod expulsus ab homine, cum septem aliis nequioribus redire describitur. *Qui custodiunt mandata Dei.* Quibus scilicet in lege præcipitur : Non occides, non furtum facies, et cætera his similia. *Et habent testimonium Jesu.* Id est, fidem illius retinent corde, et ornant opere. Cum his quippe diabolus maximum habet conflictum, juxta illud Apostoli : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Sustinent quidem et reprobi mala, sed non adversus eos diabolus intorquet bellum, quod nequaquam fieri potest, nisi inter duas partes contrarias Sed cum dicitur primum qui custodiant mandata Domini, et deinde infertur : Et fidem Jesu, sic videntur verba hæc sonare, quasi ante fidem bona opera possint esse. cum prius sit credere, ac si eamdem fidem operibus post fulcire. Sed sciendum, quod ideo mandata prius ponuntur, quia charitas quæ in mandatis constat, major est omnibus virtutibus, licet fides via sit ad Deum. Unde Apostolus : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas* (*I Cor.* XIII). Quare major? quia cæteræ transibunt, charitas permanebit in electis.

Et stetit super arenam maris. Notandum autem quod idem draco non supra petram, sed super arenam stetisse dicitur. Cunctis enim liquet, quia serpens in petra vestigium habere non valet. In arena vero quæque loca tetigerit, signa sui corporis relinquit. In petra non stat draco, quia in cordibus sanctorum, quæ voluptates nullæ emolliunt, locum diabolus nullum invenit. E contra, in arena gressum figit, quia mentes quas humor carnalis concupiscentiæ emollit, inhabitat. Hinc a Domino Job dicitur : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus* (*Job.* XL), id est, in lubricis et voluptuosis cordibus requiescit. Quem ergo Dominus in locis humentibus dormire prohibet, hunc Joannes super arenam stare affirmat.

CAPUT XIII.

Et vidi de mari. Hoc est de multitudine reproborum, vel de profunda perfidia Judæorum. *Bestiam ascendentem.* Id est Antichristum. Ubi enim in sacro eloquio singulariter bestia ponitur, ipse malignorum spirituum princeps per illam designatur. Unde est : *Bestia agri scindet eos.* Et Isaias : *Mala bestia non pertransibit per eam.* Ubi vero particulariter, vel universa dæmonum portenta, vel bestiales hominum motus exprimuntur. Unde est : *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Et Apostolus . *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi.* Et : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ.* Hic itaque, sicut dixi, bestia quæ ascendit de mari, diabolum significat, qui ascendit de cordibus reproborum, ut amplius sæviat, solutus per ipsum perditum hominem, qui nascetur de plebe Judaica, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via*, et usque. *Ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX).

Et in illo etiam omne corpus ejus figuratur. *Habentem capita septem et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata.* Per septem autem capita, omnes reges intelliguntur illi subditi, per decem cornua, omnia regna. Multas enim potestates hujus sæculi habebit sibi subditas, quibus et honorem dabit, et mundi regna Domino permittente, unde in cornibus ejus decem sunt diademata, hoc enim significat per decem diademata, quod per decem cornua, id est omnia regna terrena illi subdita; septem enim capita vel cornua, non numero, sed significatione universitatis invenimus. *Et super capita ejus nomen*, scriptum, *blasphemiæ*. Quia maxime potentatus hujus sæculi blasphemat Deum et verbo et opere. Blasphemabit autem ipse Deum et tabernaculum et nomen ejus, sicut in sequentibus invenimus. Facient etiam qui sunt membra ejus, quia ei placere cupiunt. De hac blasphemia Apostolus dicit, qui adversabitur, et extolletur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Et membra ejus adorabunt eum, quia honorem divinum illi dabunt. Et quia in bestia non solummodo caput, sed omne quoque ejus figuratur corpus, subditur:

Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Pardus bestia est sævissima atque impatientissima; et varietate cutis discolor. Ursus quoque rapicissima est, primum pedibus conculcat et comminuit, et sic omnia devorat. Leo vero terrorem suo rugitu omnibus bestiis immittit: et cum sit fortissimus bestiarum, atque ad nullius paveat occursum, tamen insidiando prædam sibi præripit. Tales sunt utique hæretici, pagani, et cæteri, qui ad corpus Antichristi pertinent. In varietate siquidem pardi, diversitas nationum ostenditur, quæ illi creditura est. Vel etiam multitudo divitiarum, quibus ille suos ornabit subjectos. Vel certe omnium hypocritarum, atque omnium reproborum fictæ actiones, qui bona quæ faciunt, cupiunt semper videri, ut laudem ab hominibus accipiant. Unde contra Dominus fidelibus dicit: *Orantes nolite multum loqui, sicut hypocritæ faciunt. Et cum eleemosynam facis, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt, sed nesciat sinistra tua quod faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Justi quoque opera sua ostendere jubentur, sed ad hoc ut non ipsi quoque per ea, sed Pater cœlestis glorificetur. In urso autem potestas exprimitur sæcularis. Unde bene in libro Regum legimus, quia cum reverteretur Eliseus in Bethel, pueri illudentes cœperunt dicere: *Ascende, calve, ascende, calve* (*IV Reg* II). Maledixit ergo eis in nomine Domini, et egressi duo ursi de saltu, devoraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Eliseus in hoc loco significat Dominum Jesum, qui cum reverteretur ad Patrem per passionem mortis, clamaverunt ei pueri insultantes, id est Judæi pueriliter sapientes atque dicentes: *Vah qui destruit templum Dei, et in triduo illud reædificat. Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce et credimus ei* (*Matth.* XXVII). Sed ipsius Domini sanguine vindictam expetente, exierunt duo ursi, Titus et Vespasianus, principes gentium, cum multitudine exercituum, post quadragesimum secundum annum Dominicæ passionis, ipsamque Judaicam gentem peremerunt. Sicut ergo ibi per ursum potestas terrena exprimitur, ita et hic. Tales quippe sunt in corpore Antichristi, qui pedibus sæcularis potentiæ conculcant pauperes, debiles, orphanos, et cæteros Dei servos. Leo quoque (ut diximus) quamvis sit fortissimus bestiarum, et ad nullius paveat occursum, tamen insidias tendit, cum prædam sibi præripit. Cujus etiam rugitu omnes bestiæ pavere dicuntur, et ideo non immerito per leonem Antichristus intelligitur: quia quosdam terroribus decipit, quosdam autem fraude. Unde Psalmista: *Sub lingua ejus labor et dolor* (*Psal.* X). Sedet in insidiis cum divitibus in occultis. De quo rursum per eumdem dicitur: *Sicut leo in cubili suo*. Recte enim antiquus adversarius contra electos in certamine positus, leo appellatur, quia per utraque sævire permittitur, et fraude scilicet et virtute. Virtute, per potentiam sæcularem: fraude, per signa miraculorum. Ut eos enim qui aperte iniqui sunt, pertrahat, sæcularem potentiam ostentat: Ut vero etiam justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis. *Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam*. Sicut in Christo plenitudo divinitatis requiescit, ita in illo plenitudo nequitiæ. Et sicut Christus per virtutem verbi omnia sua facit opera, ita et ille perditus per diaboli potestatem, qui in eo habitabit, opera sua faciet. Draco itaque, id est diabolus, dedit illi potestatem suam et virtutem, ut faceret miracula et signa inaudita, et potestatem magnam dedit illi, per quam elevatur super gentes et regna. Contra bonos desæviet, nec erit ulla difficultas peragendi malum, quia is eum inhabitabit, qui per se omne malum adinvenit.

Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem. Diximus superius quia per septem capita omnes reges illi subditi designantur, per unum autem caput, quod hic singulariter tanquam occisum se vidisse dicit Joannes, ipsum principem malorum intelligere debemus. Unde recte dicitur: Tanquam occisum eum vidisse in mortem, quia videlicet ipse simulabit se occisum, et post mortem resurrexisse. Unde subjungitur: *Et plaga mortis ejus curata est.* Tanta quippe temeritas erit in illo damnato homine, ut ad deludendos animos parvulorum, imitatione veri capitis Christi, occisum se dicat et resurrexisse post mortem, ideoque ne forte veritas, sed illusio putetur, idcirco nequaquam affirmando dicitur: Et unum de capitibus suis occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est, sed præmittitur. Quasi, adverbium scilicet similitudinis, ut per hoc (sicut dictum est) aperte ostendatur non esse illud veritatis persecutione, sed verisimili fraude: quanquam illa particula non semper pro adverbio similitudinis, sed aliquando etiam pro affirmatione veritatis in Scri-

ptura ponatur, unde est: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. — Et admirata est universa terra post bestiam.* Nulli dubium, quin per terram terreni intelligantur, qui admirantur post bestiam, æstimantes eam resurrexisse a mortuis, et facere ea miracula in virtute divinitatis.

Et adoraverunt draconem, id est diabolum, *qui dedit potestatem bestiæ* ut faceret miracula potentialiter. *Et adoraverunt bestiam*, id est ipsum Antichristum. *Dicentes: Quis similis bestiæ?* Ut se ostendat resurrexisse a mortuis. *Et quis poterit pugnare cum ea?* Ut voluntati ejus resistere possit, id est nullus. Hic jam aperte demonstratur, quid sit admirari universam terram post bestiam, id est reprobos et terrena sapientes. In eo itaque draconem adoraverunt, quod bestiam illam, videlicet, Antichristum non solum divitiis et potentatibus, verum etiam electorum signis et virtutibus fultum, Christum esse putaverunt. Forsitan enim contemnenda esset, si solummodo potentia sæculari, et non virtutibus fulta esset. Rursum despicienda esset fortassis, si solum virtutibus simulatis et non etiam sæculari potentia usa fuisset. At cum signis et potentia videatur suffulta, quis non solum reproborum, verum etiam electorum non trepidet? Unde et adorantes dicunt: *Quis similis bestiæ?* Et verum dicunt isti qui hanc bestiam adorant, quia neque in sæculari potentia, neque in miraculorum fraude in retroactis temporibus similis ei apparuit.

Et datum est ei os loquens magna et blasphemias. Divino et justo Dei judicio ad illudendos animos reproborum, permittitur Antichristus magna loqui: magna utique, non quia bona, sed quia inaudita et terribilia. Et blasphemias loquetur, quia dicet se Deum esse, et pro illo se adorari faciet. Datum est enim et illi a Deo ut hoc faceret, id est permissum est illi. Tale quippe est hoc, quale et illud: *Induratum est cor Pharaonis.*

Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. In tribus annis et dimidio, quadraginta duos menses sunt, atque idcirco specialiter in his mensibus ultimum tempus et persecutio significatur Antichristi. Generaliter autem omne tempus hujus sæculi, a Domini prædicatione usque ad finem sæculi, sicut et supra per dies mille ducentos sexaginta. Quia ergo per quadraginta duos menses omne tempus, quo diabolus contra Ecclesiam pugnat, sive etiam quo aperte solutus acrius pugnabit, intelligitur, videndum est in ipsius numeri natura, quare eos non vincat. Constat enim hic numerus ex denario, quaternario, et binario. Quatuor ergo referuntur ad quatuor libros Evangelii, sive quatuor virtutes principales. Denarius ad Decalogum legis, binarius ad duo dilectionis præcepta. Idcirco itaque, sive in omni tempore præsentis vitæ, sive etiam sub Antichristo, insuperabiles existunt, quia, quatuor libris Evangelii fulti, quatuorque principalibus virtutibus roborati, Decalogum legis opere complent, et duo dilectionis præcepta custodiunt, diligentes Dominum Deum ex toto corde suo, et proximum sicut seipsum, nam et quod omne tempus hujus vitæ designetur per quadragesimum secundum numerum, hinc patet, quod filii Israel quadragesima et secunda mansione ingressi sunt terram repromissionis. Notandum quippe est omnibus, quod per ipsum iter Israelitici populi præsens vita significetur, in qua peregrini sumus, et ad patriam cœlestem tendimus.

Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum; blasphemare nomen ipsius. Ipse qui nunc aperuit ora reproborum ad blasphemandum Deum vel Dei servos, ipse tunc aperiet os corporaliter, cum in illo damnato homine habitare cœperit. Tale est enim hoc, quale et illud, quod in Evangelio de Redemptore nostro, licet per contrarium dicatur, quia aperiens os suum docebat eos, ac si diceretur: Qui dudum aperuerat ora prophetarum, in præsentia carnis apparens, os suum aperuit. Sed agnus ad doctrinam, bestia aperiet os suum ad blasphemias. Vel certe, quia nunc per membra sua metu fidelis populi aperte non præsumens blasphemare, os suum obstruitur, Psalmista dicente: *Obstructum est os loquentium iniquitatem* (*Ps.* LXII). In futuro os aperire dicitur, quando per ipsum hominem damnatum sæculari potentia contra Deum et Ecclesiam elevatus, publice ausus fuerit blasphemare nomen ejus, illud scilicet, de quo Paulus dicit: *Propter quod et Deus exaltavit illum*, etc., usque *Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Blasphemabit hoc nomen, quia dicet ipsum non esse Christum, sed potius Antichristum, se autem Christum esse fatebitur, nec jam similem Deo, sed, sicut dicit Apostolus, extolletur et elevabitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ideoque in illo deterior omnibus blasphemia invenitur.

Et tabernaculum ejus, subauditur blasphemabit, id est, ipsam carnem Redemptoris nostri, in qua habitat omnis plenitudo divinitatis, dicens, non hæc ita se habere, sed signum fuisse, et per dæmonum potestatem tanta agere potuisse, se autem confitebitur vere esse Filium Dei et filium hominis, ita ut sedeat in templo Dei tanquam sit Deus. Et quia divinitatem in se habitare dicit, idcirco etiam adorari se faciet.

Et eos qui in cœlo habitant, id est in Ecclesia, sive nunc, sive etiam qui jam præcesserunt, blasphemabit, dicens, omnes hos ministros fuisse Antichristi, et pseudoprophetas et apostolos ab ipso deceptos, affirmans ante se nullum Christianum fuisse, sed omnes Antichristos exstitisse.

Et datum est illi, id est, permissum est illi a Deo justo judicio. *Bellum facere cum sanctis, et vincere illos.* Faciet bellum adversus sanctos, quia pugnabit adversus eos, et muneribus et tormentis, et quos non poterit inclinare ad suam fidem, vincet, id est occidet eos, non tamen animas illorum decipiet. Sed fortassis quærit aliquis cur Deus omnipotens ita sanctos suos permittet affligi? Quibus breviter respondendum est, quia filii sunt et paterna hæreditate

donandi atque a Deo dilecti. Unde scriptum est: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit (Heb.* XII). Nam si ipse Dominus persecutionem sustinuit, ut ad gloriam perveniret, qui est omnino sine peccato, quanto magis sancti justo judicio affliguntur, ut hæreditatem cœlestis patriæ consequantur? qui, licet sancti sint, tamen non sunt sine peccato, econtra reprobi adversus eos sæviunt, jugiter mala operantur, tamen minime corriguntur, sed in judicio isti, quibus nunc videtur iratus, invenient illum placatum, reprobi autem experientur iratum: et ira quæ nunc misericorditer a sanctis inchoat, in reprobis sine misericordia conquiescit: hinc Petrus dicit (*I, c.* IV): *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei*. Possumus sanctos eos intelligere, qui nunc simulatam in conspectu hominum videntur habere sanctitatem, quos vincet, quia superati donis aut tormentis, a fide recedent, quam nunc ficte tenent.

Et data est ei potestas in omnem tribum et linguam et gentem. In tribu et populo accipimus Judæos, quia ille populus in tribubus erat distinctus: in lingua et gente, omnes nationes; non solum in Judæis, sed etiam in omnibus gentibus erunt sancti, adversum quos potestatem accipiet, ut eos interficiat et temporaliter contra eos prævaleat. Similiter etiam erunt et in Judæis et in gentibus, qui victi succumbent. Unde et subditur:

Et adorabunt eum, id est Antichristum, et in illo diabolum. *Omnes qui habitant terram*, id est qui terrenis desideriis inserviunt. *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni*, sed potius in terra, juxta illud Jeremiæ (*c.* XIII): *Recedentes a te in terra scribentur*. Quis vero sit agnus, Joannes manifestat, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan.* I). Quis est autem liber vitæ Agni, in quo justorum nomina numerentur ascribi, nisi vis quædam divina, quæ ante mundi constitutionem ad vitam æternam sanctos prædestinavit futuros? Qui videlicet liber prædestinationis, sicut fixa æternitate electos tenet ascriptos, ita nequaquam ulla ratione reprobos admittit scribendos.

Qui occisus est ab origine mundi. Occisus est autem iste Agnus ab origine mundi, non in se, sed in suis membris, sicut in Abel et multis aliis: quia sicuti in suis pascitur, ita in suis occiditur, unde est: *Saule, Saule, quid me persequeris? (Act.* IX). Vel certe in prædestinatione occisus est, quia ante omnia sæcula decrevit Deus Pater cum Filio et Spiritu sancto, ut in fine temporum veniret, et occideretur, ut sua morte nostram redimeret mortem; vel in ipso agno quem Abel obtulit, aut certe (ut verius dicam) ipse Abel innocens, a fratre peremptus, eum præfigurabat.

Si quis habet aures, subauditur cordis, *audiat*, id est intelligat spiritualiter quod dicitur. Quotiescunque hæc particula ponitur, sive in Evangelio, sive in hac Apocalypsi, ea quæ præcedunt, aut quæ sequuntur, spiritualiter intelliguntur.

Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. Hæc verba sicut pertinent ad omne corpus Antichristi, ita et ad ipsum principem malorum Antichristum, qui duobus modis captivabit homines, primum videlicet a fide Christi eos separans mente, deinde ab æternorum societate fidelium, quia qui ei obaudierint, perpetuo captivitatis exsilio damnabuntur. Ita et ille prius captivabitur in anima, dum diabolo tradetur ad possidendum. Deinde damnabitur in inferno captivitate perpetua.

Et qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Et hoc similiter duobus modis est accipiendum: primum enim gladio malæ persuasionis interficiet homines in anima, deinde quos sic non poterit superare, interficiet gladio materiali, cum quibus etiam Eliam et Enoch gladio ipso trucidabit. De hoc gladio spirituali Psalmista liberari se optabat, dicens ad Deum: *De gladio maligno eripe me (Psal.* CXLIII). Ita et ille occidetur gladio sententiæ divinæ, juxta illud: *Quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui*, ac si diceret martyribus: Nolite timere, nolite expavescere, nolite pusillanimes existere, sed estote fortes contra robustos, quia et hoc quod patimini cito transiet, et hi a quibus patimini, sine tarditate vindictam recipient, id est diabolus, ejusque damnatus homo, seu omnis multitudo reproborum, qui unum utique sunt.

Hic est patientia, id est idcirco virtutem patientiæ etiam inter adversa sancti custodiunt, quia triumphaturos se post paululum sciunt, damnatoque eo, qui sibi ad tempus prævaluerat, ipsi in perpetuo lætabuntur. *Et fides sanctorum*, subaudis, hic est, quia pro certo juste implebitur et eorum remuneratio, et impiorum damnatio.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra. Prior bestia Antichristus ipse scilicet malorum caput, sequens vero corpus illius intelligitur, maxime qui eum prædicaturi sunt. Qui de terra ascendere dicuntur, quia de terrenis commodis et divitiis quas possidebunt, in superbiam elevabuntur. De terra quippe ascendere est, pro terrenis rebus in superbiam erigi.

Et habebat cornua duo similia Agni. Agnus Christus est de quo Joannes dicit: *Ecce Agnus Dei (Joan.* I). Duo ejus cornua sunt innocentia et vita pura, doctrina et miracula. Ista duo cornua simulabunt se habere ministri Antichristi, innocentiam scilicet et vitam puram, doctrinam et miracula: quoniam quod Christus et ejus ministri habent in veritate, isti habebunt simulate. *Et loquebatur sicut draco*, id est sicut olim diabolus per serpentem mala persuasione locutus est mulieri, per quam decepit virum, ita et isti sua prava doctrina omnes quoscunque possunt, seducunt, et a fide Christi separant: et cum sint sævissimi dracones, virus nequitiæ suis auditoribus infundentes, agnos se esse simulant, ut agnos decipere valeant Assumunt Agni faciem, ut draconis possint exercere operationem.

Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Quia sicut Antichristus vi et fraude, blandimentis et doctrinis, terroribus et tormentis decipit, ita et omnes ministri ejus. Quid est autem,

quod dicit in conspectu ejus? Nunquid enim prædicatores Antichristi semper in ejus præsentia manere poterunt? Non. Quin potius discurrent per universas mundi partes prædicando, sed ubicunque sint, ita ea facere studebunt, quæ illi sciunt placita, quasi semper ab eo videantur, et in ejus conspectu consistant. Intantum quippe illum honorabunt, ut quidquid acturi sunt, coram ipso se agere dicant, tanquam nihil eum latere possit. Sicut enim sancti, quia jugiter ejus voluntatem custodiunt, in conspectu Dei se manere fatentur, juxta illud: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII); et Apostolus: Sicut ex Deo *coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* XII), ita et illi in omne quod locuturi sunt et acturi, caput suum sibi præponent, quasi in conspectu ejus potestatem super populum exerceant.

Et fecit terram, id est terrena corpora hominum. *Et inhabitantes in terra*, id est animas in corporibus quiescentes, et omnem suam sollicitudinem in terrenis rebus ponentes. *Adorare bestiam primam*, id est Antichristum, de quo supra dixerat: *Vidi de mari ascendentem bestiam, habentem capita septem*, etc.

Cujus curata est plaga mortis, id est qui se fingit resurrexisse a mortuis, sicut jam supra dictum est. Omnes enim qui eum recepturi sunt, utique prostrati et corpore et anima illum adorabunt, et in ipso damnato homine adorabunt diabolum in eo habitantem. Quo in loco gravissima vis seductionum ostenditur, quæ et animas et corpora miserabiliter mancipat. Qui enim vi cadit, non seductus, solo corpore captivatus est. Qui autem seducitur, et mente et corpore captivatur.

Et fecit signa magna, quia non solum verbis, sed etiam falsis miraculis multos seducet. Ita *ut ignem faceret de cœlo in conspectu hominum descendere*. De hoc, Dominus in Evangelio dicit: *Consurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV). Inter quæ etiam signa et miracula hoc erit maximum, quod ignem faciet de cœlo descendere. Legimus in Veteri Testamento, quod diabolus justo Dei judicio et permissu descendere fecit ignem de cœlo super pecora beati Job, qui tactas oves puerosque consumpsit. Quid ergo mirum, si factus est per Antichristum quod jam fecit per semetipsum? Tamen non faciet hoc in sua potentia, sed Dei permissione, ut hi qui ei sunt credituri justo Dei judicio decipiantur. Aliter: legimus in Actibus apostolorum, quod die Pentecostes Spiritus sanctus in ignis visione descendit super apostolos, quo repleti *cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei* (*Act.* III). Qui etiam eis quos baptizabant, deinceps Spiritum sanctum dabant, ut similiter omnibus linguis loquerentur, sicut legimus fecisse Petrum et alios. Unde et Simon allata pecunia dixit: Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manum, accipiat Spiritum sanctum, ut possit loqui omnibus linguis. De cœlo itaque, id est de seipsis, faciebant descendere ignem, hoc est Spiritum sanctum, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Matth.* VII), id est super eos qui ante fuerant terreni, sed tunc renovabuntur per gratiam Spiritus sancti. Unde et ipse Dominus in signum credentium specialiter hoc dixit futurum. *Signa*, inquit, *eos qui crediderunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* (*Marc.* XVI). Ita ergo hæc bestia ignem faciet descendere de cœlo, quia prædicatores Antichristi falsa imitatione per impositionem manus, dare suis sequacibus Spiritum sanctum se fingent. Et hinc vehementior erit persecutio, quo illud Spiritus sancti donum, bestia vel habere vel dare putabitur, quo Ecclesiam suam Dominus eminere voluit super omnia regna mundi; nam cum multa videantur nobiscum hæretici habere communia, hoc specialiter donum sola se gloriatur habere Ecclesia. Sed illi forsitan agent quibusdam præstigiis, ut illi quibus manus imposuerint, loquantur linguis multarum gentium. Et hoc in conspectu gentium carnaliter sapientium. Homines enim vocantur, qui non divina, sed humana sapiunt, quia per hanc simulationem non oculos spiritualium, sed carnalium ludificare probantur. Aliter: legimus in Veteri Testamento, quod ad vocem Eliæ descendit ignis de cœlo, et consumpsit duos quinquagenarios cum suis quinquaginta. Sermo itaque Eliæ ignis fuit, et ipsi excitaverunt contra seipsum ignem irrisorie clamando: Homo Dei, descende, rex te vocat. Ignis ergo intelligitur fervor et zelus, quo accenduntur sancti, Elias scilicet et Enoch, et cæteri prædicatores, adversus eos quos viderint recedere a fide, et zelo fervoris succensi condemnabunt eos suo anathemate. Ipsa itaque bestia ignem faciet descendere de cœlo, quia ipsi reprobi perverse agendo accendent se flammis sibi in cœlestes animas electorum ut eos condemnent. Et hoc est quod etiam supradictum est, quia si quis eos voluerit nocere, ignis exibit de ore eorum, et devorabit inimicos illorum.

Et seducet inhabitantes terram propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. Per terram, ut sæpe dictum est, terreni intelliguntur, qui idcirco seduci poterunt a ministris Antichristi, quoniam plus terrena quam cœlestia diligunt. Imaginem bestiæ facient, hoc est fidem illius tenebunt, et simulationem ejus imitabuntur. Neque enim hoc pueriliter intelligere debemus, quod facturi sunt aliquam imaginem quam secum ferant, sed imaginem illius facient, id est fidem ejus habebunt, et simulationem ejus imitabuntur, tanquam sit vere Filius Dei, et veraciter resurrexerit a mortuis. Habet autem plagam gladii et vixit, secundum quod supra dictum est, quia Antichristus dicet se interfectum et resurrexisse a mortuis. In conspectu hujus bestiæ multa signa facient, quibus seducent terram: quia ubicunque fuerint, ita ejus voluntatem implebunt, et ea quæ illi placere cognoscunt, facient, quasi semper illi præsentes assistant.

Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ

Id est ipsis ministris Antichristi datum est a Deo, hoc est, permissum est ut daret spiritum imagini bestiæ. Imago bestiæ, ipse homo damnatus intelligitur, in quo diabolus habitabit, cui prædicatores falsi spiritum dabunt, hoc est, plenitudinem Spiritus sancti in eo requiescere dicent. Dicimus enim nos : *Date honorem Deo.* Et rursus : *Exaltabo te, Deus meus rex (Psal.* XXIX). Quomodo enim illi honorem dare possumus? aut quomodo illum exaltare valemus, qui non habet quo exaltetur? Sed exaltamus illum, quando excelsum prædicamus. Tali modo isti dabunt spiritum imagini bestiæ, prædicantes eum plenum esse divinitate. Nam et Photinus dicit : Ego Christo principium ex Maria tribuo, id est hoc annuntio quia ex Maria initium sumpserit. *Et ut loquatur imago bestiæ.* Datum est illi, subauditur. Nam non solum Spiritum sanctum in eo requiescere dicent, sed etiam prædicabunt illum loqui, id est ventura prædicere, per spiritum prophetiæ. Intantum quippe signis et miraculis prævalebit, ut a suis et Spiritu sancto plenus credatur, et ventura prædicere posse æstimetur. Diabolus enim per os ejus loquetur, et suis cultoribus multa fallacia dabit responsa, sicut olim loquendo per ora idolorum. *Et faciat ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* Id est quicunque non audierint eos, ut colant Antichristum pro Deo, interficiantur ab illis et ab hujus sæculi principibus qui eos sequentur : sicut Elias et Enoch et multi alii.

Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos et servos habere characterem in dextera manu aut in frontibus suis. Pusilli sunt, qui malum quod intelligunt et volunt, perficere non possunt. Magni sunt qui secundum suum libitum operantur malum. Divites, qui terrenarum rerum possessores, vel etiam superbi. Quo contra beati pauperes spiritu dicuntur. Nam et ille suos ministros multis ditabit divitiis, pro quibus in superbiam nimiam elevabuntur. Pauperes fide et bonis operibus intelliguntur. Quo contra Apostolus dicit de se et sibi similibus : *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes (II Cor.* VI). Liberi et servi sunt, alieni a justitia, et servi peccatorum facti. Talibus quippe dicit Apostolus : *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Id est, alieni fuistis a justitia. Hi homines habent characterem bestiæ in dextera manu et in frontibus suis, et sunt etiam nunc tam extra Ecclesiam quam intra. Extra Ecclesiam sunt Judæi, intra falsi Christiani. Quid autem per dexteram manum reproborum intelligitur, nisi operatio illorum? Et quid per frontem, nisi fides exprimitur? Habent ergo characterem in dextera manu et in frontibus suis, quia ubi debuerunt habere pura opera virtutum et fidei, ibi inveniuntur macula criminis deturpati. In manu habent Judæi ejus characterem, quia opera diaboli faciunt : in fronte, quia in eum credunt, et illum recepturi exspectant, juxta illud : Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : alius veniet in nomine suo, illum suscipietis. Similiter habent et illi qui fidem verbotenus habent, sed opera fidei non habent. Proprie autem ad illud tempus pertinet hoc, quando mali aperte illum sequentur reproba fide et reproba actione.

Et ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habuerit characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Negotium istud spiritualiter est agendum. Dominus quippe committens suis fidelibus tanta talenta doctrinæ, dicit : Negotiamini dum venio. Et bene prædicatio negotio comparatur. Sancti enim doctores doctrinam prærogant, et fidem a populis reportant, fidem impartiuntur, et eorum protinus vitam sumunt. Tempore itaque Antichristi nemo talium (id est bonorum prædicatorum) poterit vendere aut emere, id est, nemo poterit prædicare libere Christum, quia carceribus recludentur, et insuper interficientur, nisi qui habuerit characterem bestiæ, id est fidem illius tenuerit, et nomen ejus et numerum nominis, de quo in sequentibus dicemus. Character autem et nomen bestiæ et numerus nominis ejus, unum sunt. Verum ista mercatio non cessabit in his qui electi fuerint, quoniam, prout valuerunt, talentum divini verbi erogare curabunt. Ad has enim nundinas illi negotiatores occurrent eximii : Elias videlicet et Enoch, qui intuitu merces Ecclesiæ præclaras ostendent, ut non solum fidei Christianæ dediti, verum etiam ipsi eas concupiscant, qui characterem bestiæ. videbantur habere, Domino de uno eorum dicente : Elias veniens, restituet vobis omnia.

Hic est sapientia : Qui habet intellectum, quo possit hæc intelligendo penetrare, *computet numerum bestiæ* Obscuritatem hujus loci considerans beatus Joannes, intentum voluit lectorem facere : atque idcirco eum prænonuit, ut numerum bestiæ perspiceret, et quia purus homo erit Antichristus, plenus tamen dæmone, subjungit : *Numerus enim hominis est.* Ac si diceret : Attendite diligenter, quia homo erit verus, non Deus, sicut ipse jactando dicet. *Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Omnes libri Novi Testamenti Græco sermone sunt scripti. præter Evangelium Matthæi et Epistolam Pauli ad Hebræos. Quia ergo hic liber (ut cæteri) Græco scriptus est, idcirco sensus hujus loci more Græcorum est requirendus, apud quos omnes litteræ numeros in se continent. Dicamus itaque ANTEMOS, quod interpretatur *honori contrarius*, quod nomen illi bene convenit, qui Antichristus, id est Christo contrarius dicitur. Hoc etenim nomen præcedentem in se continet numerum, hoc modo : α unum, ν quinquaginta, τ trecentos, ε quinque, μ quadraginta, ο septuaginta, σ ducentos. Dicamus adhuc et aliter : ARNUME, quod interpretatur : *Nego.* Et hoc nomen bene illi aptatur, quia Christum negabit Deum esse, neque Deum confitebitur injuste. Et in hoc quoque nomine numerus ipse continetur. Nam α unum ostendit, ϱ centum, ν quinquaginta, ο septuaginta, ν quadringentos, μ quadraginta, ε quinque; qui simul ducti, faciunt sexcentos sexaginta sex. Dicamus et aliter : TEITAN, quod Latine *sol* dicitur. Sol autem Christus est per significationem, *qui illuminat*

omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan* I). Teitan quoque appellatur gigas : unde et in Virgilio legimus: *Titaniaque astra*. Christus enim gigas, de quo Psalmista dicit : *Exsultavit ut gigas* (*Psal.* XVIII). Ipse itaque Antichristus hoc nomen sibi fallaciter usurpabit, et dicet se esse solem illum, de quo scriptum est : Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. Litteræ autem hujus nominis totum illum præcedentem continet numerum, id est sexcentos sexaginta sex. τ quippe trecentos exprimit, ε quinque, ι decem, iterum τ trecentos, α unum, ν quinquaginta ; qui simul juncti faciunt sexcentos sexaginta sex. Quod nomen (sicut diximus) sibi Antichristus usurpabit, audens se hominibus lucem profiteri, cum sit apostata angelus in eo transfigurans se in angelum lucis. Quam ob causam, si etiam hoc aliquis intelligere vult, Latinis litteris ponamus nomen, in quo idem numerus inveniatur, hoc modo : Dic Lux. Ipse enim (ut dictum est) fatebitur se esse lucem, nam *d* quingentos, *i* unum, *c* centum, *l* quinquaginta, *v* quinque, *x* decem exprimunt. Quæ in unum collectæ, faciunt similiter sexcentos sexaginta sex. Possumus adhuc eumdem numerum, si per Græcas litteras scribatur, Gothico nomine, reperire hoc modo : GENSERIKOS. γ quippe tria, ε quinque, ν quinquaginta, σ ducentos, η octo, ρ centum, ι decem, κ viginti, ο septuaginta, σ ducentos ostendit. Qui simul ducti, faciunt sexcentos sexaginta sex. Interpretatio autem nominis ejusdem est, *gentium seductor* : in eo Christo contrarius, quod iste seductor, ille vero dicitur gentium salvator. Sive ergo hoc, sive illo modo, sive in Græca, sive in Latina, sive in Gothica lingua hic numerus accipiatur, non incongrue ad Antichristi personam refertur. Sed est adhuc quod de eodem numero subtili investigatione pensemus, ut plura de eo offerentes lectori plenius satisfaciamus. Dicatur ergo : Numerus enim ejusdem sexcentesimus sexagesimus sextus. Senarius quippe numerus apud sæcularem scientiam ideo perfectus est, quia primus in numeris completur partibus suis, id est, sexta sui parte, tertia et dimidia : quæ sunt unum, et duo, et tria : quæ in summa ducta, sex faciunt. Nec alius ante senarium numerus reperitur, qui suis partibus dum dividitur, tota ejus summa compleatur, quique dum a sexta sui parte, id est, ab uno in denarium, a tertia autem in vicenarium surgit, quasi quadratum denarium reddit. Sed ut solidetur, rursum a sexta sui parte quæ in denarium surgit, ad centenarium pervenit, sicque in suis partibus multiplicatus, sexcentos consummat. Sed quia cuncta hæc per sacræ Scripturæ celsitudinem proficiendo transcendimus, ibi senarium, ibi sexagenarium, ibi centenarium, unde perfectus numerus sit, invenimus. In Scriptura etenim sacra numerus senarius ideo perfectus est, quia in mundi origine Dominus, ea quæ primo die cœpit, sexto die opere complevit, cum hominem, propter quem cuncta creaverat, ad imaginem suam fecit. Denarius numerus in eo perfectus est, quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur : atque enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerabuntur. Sexagenarius in eo perfectus est, quia omnia quæ in sex diebus operantur, eisdem decalogi mandatis concluduntur : atque evangelico protestante eloquio, terra bona fructum sexagesimum reddit. Centenarius in eo perfectus est, quia dum decalogi mandata decies multiplicata comprehendit, omnis operationis summam concludit. Nisi enim centenarius numerus perfectionem designaret, nequaquam Dominus ad discipulos diceret : *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios*, aut filias, *aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Quia vero sex diebus Deus cuncta opera sua fecit, et sex sunt ætates hujus sæculi, recte per hunc numerum possumus intelligere omne tempus præsentis vitæ. Quia ergo homo ille, filius perditionis, Christum se esse fallaciter affirmabit, tanquam ipse sit conditor omnium, quæ in sex diebus peracta volvuntur, seque alpha et omega, principium et finem, et Deum scilicet ante sæcula, et hominem mentietur in fine sæculorum, recte numerus bestiæ per intellectum computatus, sexcentesimus et sexagesimus sextus omne tempus vitæ præsentis comprehendens, et diabolicæ fraudis nequitiam, et finalem sæculi terminum ostendit.

CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, id est, Christi. *Et nomen Patris ejus*, id est, Dei Patris, *scriptum in frontibus suis*. Sion, quæ interpretatur speculatio, Ecclesia est, quæ bona futura incessabiliter contemplatur, et quæ etiam mala sint cavenda denuntiat. Mons Sion nihil est aliud quam ipsa Sion, id est Ecclesia, de qua Psalmista dicit: *Mater Sion dicet, homo* (*Psal.* LXXXVI), etc. ; et alibi, *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion* (*Psal.* CXXIV). Agnus autem Christus est, de quo Joannes dicit : *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I). *Agnus stabat supra montem Sion*, quia ipse Christus præsidet Ecclesiæ suæ. Sed in hoc loco finitus numerus ponitur pro infinito, id est, centum quadraginta quatuor millia pro innumerabili multitudine electorum. Specialiter vero hic numerus eos significat qui virgines sunt et mente et corpore : quia multi sunt virgines corpore, non tamen mente. Nam et ipsa verba, quibus dicuntur centum quadraginta quatuor millia cum Domino visa, non carent mysterio. Centenarius enim numerus in divina Scriptura sæpe perfectus ostenditur, unde est : Terra bona fecit fructum centuplum, quod scilicet ad virginalem pertinere probatur perfectionem. Rursusque, Homo quidam habuit centum oves. Quo in loco summa angelorum et hominum intelligitur, centum quippe oves Deus omnipotens habuit, quia angelorum et hominum naturam ad se videndum creavit, et iterum, *Qui reliquerit domum et fratres*, etc., usque *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*. Quadragenarius quoque numerus in mysterio est consecratus, unde

et ipse Dominus quadraginta diebus jejunavit, sicut olim fecerant Moyses et Elias. Constat enim ex quaternario et denario. Quaternarius sacratus est propter quatuor flumina paradisi, sive propter quatuor libros Evangelii, vel propter quatuor notissimas mundi partes, sive etiam propter quatuor virtutes principales. Denarius quoque similiter est consecratus, propter decem legis præcepta. Tunc decalogum legis perficimus, cum quatuor libros Evangelii in fide et operatione custodimus. Millenarius etiam sæpe pro perfectione rei de qua agitur, ponitur, unde est, Verbi quod mandavit in mille generationes. Cum enim credendum sit quod nequaquam usque ad centum generationes mundus extendatur, quid aliud in mille generationibus nisi generationum universitas designatur? Unde et in hac Apocalypsi sancti cum Christo mille annis dicuntur regnaturi, id est, semper et omnia futura tempora. In hoc itaque numero, ut dictum est, summa eorum exprimitur, qui virginitatem servaverunt, ut Joannes et Paulus, multo plures erunt et cæteri sancti. Quo in loco etiam hoc notandum, quod hi supra montem Sion stare dicuntur, cum ipsi sint mons Sion, quia videlicet nisi quis etiam supra semetipsum ascenderit, de bestia non triumphabit. In magna enim mentis celsitudine stare debet, qui contra sæculi principem certamen inierit. Intuendum etiam quod Agnus hic stare perhibetur, cum Lucas de eo dicat: *Dominus Jesus ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei* (*Act.* I). Unde sciendum quia sedere, regnantis est vel judicantis: stare vero, laborantis vel juvantis. Quia ergo post devictam mortem Christo resurgenti a mortuis data est potestas in cœlo et in terra, jure eum Lucas sedere dicit. Hinc etiam et Stephanus inter manus lapidantium positus, intuens in cœlum, dixit: *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII). Stant quoque cum illo electi, quia laborant in præsenti vita, et in certamine sunt constituti. *Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Non debemus hoc carnaliter intelligere, quod scilicet habeant pictaciola frontibus suis circumligata, in quibus sit nomen Agni vel Patris ejus scriptum, sed in suis frontibus nomen Agni et Patris portant, quorum fidem tenent, et operibus ornant. Et quia in nomine Patris et Filii signantur, et hoc signo crucis ab omnibus tuentur adversis.

Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Cœlum enim ipsa est Ecclesia, quam ob causam et illi qui cum Agno sedent, ipsi sunt cœlum. Et quia multi per Domini misericordiam virgines ex omnibus gentibus sunt colligendi, idcirco eorum vox similis voci aquarum multarum dicitur. Aquæ enim multæ, ut idem Joannes dicit, populi multi sunt. Et quia etiam tales ad numerum judicum pertinent, qui et prædicatores exsistunt, ut ipse scilicet Joannes et Paulus, qui dicit: *Volo omnes esse sicut meipsum* (*I Cor.* VII), idcirco dicitur: *Et tanquam vocem tonitrui magni*. Ipsi quoque sunt citharœdi, imitantes Domini sui passionem, nam (sicut supradictum est) in cithara est lignum, et sunt chordæ diverso modo tensæ. Lignum hoc. lignum est Dominicæ passionis, vel crucis. Porro chordæ devota sunt corda sanctorum, qui imitantes et recolentes ejus passionem, mortificant se cum vitiis et concupiscentiis, adimplentes ea quæ desunt passionibus Christi, in corpore suo.

Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores. Canticum novum cantare est de incorrupta mentis et corporis integritate gaudere. Sed cum ipsi sint sedes, et quatuor animalia, et seniores, quid est quod ante sedem et quatuor animalia et seniores cantare dicuntur? Quia videlicet semper ante se consistunt, qui nulla rerum mutabilium varietate a contemplatione Conditoris animos reflectunt. *Et nemo poterat dicere canticum*, id est, nemo poterat gaudere de incorrupta mentis et corporis virginitate. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia*, non Petrus scilicet, non alius quilibet apostolus connubium expertus. Nam et in ipso conjugio peccatum Psalmista considerat, dicens: *Ecce enim iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L). Dicere tamen possumus, quod veraciter affirmare non audemus, quia non omnes virgines in illo beato regno conjugatos præcedunt, sed hi specialiter, qui et vita et moribus et tormento passionis, virginitate insuper custodita coæquantur martyribus conjugatis. Verbi gratia: si Joannes apostolus in cruce fuisset levatus ut Petrus. si verum est quod de Petro dicitur, id est quod uxorem habuerit, utique præcelleret eum, quia ille virgo, hic vero esset non virgo. Unde nec canticum illud dicere cum Joanne, nec Agnum quocunque ierit, potest sequi. *Qui empti sunt de terra.* Quo pretio? Utique pretioso sanguine Christi, cujus amore sunt elevati a terra, et cælibes effecti.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, id est, non sunt polluti et maculati cum mulieribus mente et corpore. Nihil enim prodest esse virginem corpore, si contigerit mente corruptum quempiam esse, *Virgines enim sunt.* Ideoque: *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit*, id est, imitantur illum. Sequi enim Christum, imitari est. Unde et ipse dicit: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII), id est me imitetur. Sequuntur isti Christum, quia, sicut ille virgo, ita et isti virginitatem custodiunt. Et quia eum in præsenti præ cæteris sequuntur, in futuro familiarius adhærebunt. Sequentur quoque illum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, sed quocunque ipsi potuerint. Quæ etiam multitudo sanctorum, etsi non poterit dicere canticum illud, audire tamen poterit et condelectari tam excellenti dono. *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno.* Sicut enim ex multo grege optimus eligitur

agnus, et sicut ex multis fructibus eliguntur primitiæ, ita et isti eliguntur ex multitudine electorum, qui, tanquam primitias semetipsos offerentes, centesimum referunt fructum.

Et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Quæstio hic oritur, quare hoc dicat Joannes, cum Psalmista dicat: *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). solus autem Deus verax? Quod ita solvitur, quia omnis homo, inquantum ex se est, mendax est: inquantum autem verax est, ex Deo est. Unde cum Dominus interrogasset discipulos suos, dicens: *Vos autem quem me esse dicitis?* respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et ille: *Beatus es, Simon Bar-Jona* (*Matth.* XVI). Ecce homo in confessione Filii Dei verax, imo veracissimus homo. Sed unde verax? non a se, sed a Deo Patre qui in cœlis est. Cum autem alibi Dominus pœnam passionis suæ prædiceret, respondit Petrus: Absit a te, Domine, non morieris. Ego moriar pro te. Ecce homo mendax. Sed unde mendax? utique quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Ergo omnis homo quantum de se, mendax: quantum de Deo, verax. Sed cum hæc ad omnes sanctos pertineant, quare de solis virginibus specialiter dicitur: *In ore eorum non est inventum mendacium?* Sine dubio, quia ad comparationem aliorum, soli virgines dicuntur veraces. Sed nec mirum si illi specialiter veraces dicuntur, qui veritati, quæ Christus est, virginitate mentis et corporis amplius inhærere videantur. *Sine macula enim sunt,* et hoc similiter intelligendum, quia cum sint etiam sancti sine macula, id est sine corruptione, utpote jam peccatis omnibus expurgati, ad comparationem Dei mendaces sunt et maculati.

Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium æternum. Primus angelus ipse est Agnus, de quo superius sermo habitus est, est enim nuntius paternæ voluntatis. Alter autem angelus ordo prædicatorum intelligitur. Dicitur autem alter, non quod Christus ejusque prædicatores unus non sint, quia ipse est caput, electi membra, sed quod in narratione non unus. Nam hoc est iste angelus, quod etiam sequens, id est ordo prædicatorum. Sed quia unus succedit alteri, idcirco alius post alium commemoratur. Volat angelus per medium cœli, id est sancti prædicatores incedunt velociter prædicando Christum per Ecclesiam. Volat per medium cœlum, quia mentis contemplatione cœlestia petunt, non terrenis inhærentes, sed subjectos etiam populos ad cœlestia et verbis et litteris invitant. De his quippe volantibus prædicatoribus Isaias dicit (*c.* LX): *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Ut nubes enim volant, quia a terrenis desideriis pennis virtutum sublevati pluunt verbis, et coruscant miraculis. Ad fenestras suas velut columbæ sunt, quia per hoc quod exterius conspiciunt, nihil terrenum concupiscunt, sed gaudia æterna jugiter contemplantur. Ipse quoque angelus Evangelium æternum habere dicitur, quia A videlicet illud quod Evangelium promittit, æternaliter manebit. Per illud enim quod nuntiat, illud exprimitur quod nuntiatur. *Ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem et tribum et linguam et populum, dicens voce magna.* Hoc est quod Dominus in Evangelio dicit: *Oportet prædicari Evangelium in toto mundo, et tunc veniet finis.* — *Timete Dominum*, id est, habete reverentiam nominis ejus, *et date illi honorem*, id est, adorate eum, et subjicite illi. *Quoniam venit hora judicii ejus*, ut reddat unicuique secundum opera sua. *Et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum.* Ac si diceret: Nolite adorare Antichristum, qui tantummodo ad tempus prævalebit in corporibus hominum, sed eum, qui postquam occiderit corpus, B habet potestatem animam mittere in gehennam. Et nolite adorare eum qui putatur conditor esse creaturæ, spiritu seductionis repletus, sed potius ipsum, de quo dicit Daniel (c. VII): *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Et Apostolus: *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, etc., usque *quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II). Illi (inquit) date honorem, et non Antichristo, qui contrarius honori in charactere et nomine ac numero nominis ejus esse cognoscitur. In cœlo autem et terra et mari omnis creatura in tempore condita demonstratur.

Et angelus alius secutus est eum, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas, *quæ a vino iræ* C *fornicationis suæ potavit omnes gentes.* In eo quod iste angelus primum secutus asseritur, subsequens prædicatorum ordo imitatur. Bene autem angelus angelum sequitur, qui eadem annuntiat. Ille enim dixit: *Quia venit hora judicii ejus*: hic autem dicit: *Cecidit, cecidit Babylon* (*Is.* XXI). Nomine autem Babylonis confusio mundanæ conversationis intelligitur. Duæ quippe civitates sunt in hoc mundo, id est Hierusalem quæ habet regem Christum; et Babylon, quæ habet regem Nabuchodonosor, id est diabolum. Quarum una cœpit ab Abel, altera a Cain: una est corpus Christi, altera corpus diaboli. Cum autem dicunt sancti prædicatores: *Cecidi, cecidit Babylon*, præteritum tempus ponitur pro futuro. Cecidit, videlicet pro eo quod est casura, vel cadet in æternam D damnationem scilicet, qua diabolus cum omnibus suis membris damnabitur, cum audierint: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Quod autem angelus, id est prædicatorum ordo, ruinam perfidæ civitatis congeminando denuntiat, pro confirmatione rei facit idipsum. Aut certe nunc simul cum ipsis reprobis omnem eorum gloriam perituram demonstrat, juxta illud: Peribit *mundus et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II), ac si diceret: Et sæcularis gloria, et amatores ejusdem temporalis pariter ceciderunt. Magna hæc dicitur civitas, propter innumerabilem reproborum multitudinem, vel propter enormitatem vitiorum. Vinum autem fornicationis intelliguntur omnia vitia et peccata, quibus

reprobi alios inquinant: præcipue autem philosophi et principes hujus sæculi omnes subjectos inebriant vino erroris, unde et sensum ab eis auferunt, ut, relicto Creatore, creaturæ serviant. Nam et fornicatio specialiter pro idololatria ponitur. Unde est : Perdes *omnes qui fornicantur abs te (Psal.* LXXII). Hæc Babylon, id est, *conversatio mundana*, a vino fornicationis suæ potavit omnes gentes, quia vitiorum omnis summa in temporalis gloriæ ambitu retinetur. Pro quibus omnibus, quos vino erroris et peccatorum inebriant, punientur.

Et tertius angelus secutus est eos dicens voce magna. Tres angeli hic ponuntur, propter fidem Trinitatis quam annuntiant, sed tamen, ut dictum est, quod est primus, hoc sunt sequentes, id est ordo prædicatorum. *Voce magna*, quia bestiam se despicere et pro nihilo ducere, in libertate vocis ostendunt. *Si quis adoraverit bestiam*, id est diabolum, *et imaginem ejus*, id est Antichristum. *Et acceperit characterem in fronte sua*, id est fidem illius in mente sua, *aut in manu sua*, ut ejus imitetur opera.

Et hic bibet de vino iræ Dei mixto mero in calice iræ ipsius. Videamus qui sint qui habent characterem bestiæ in fronte et in manu, et qui solummodo in manu. Judæi habent in fronte et in manu, quia et in eum credunt, et inde eum recepturi sunt, juxta illud. Alius veniet in nomine suo, illum recipietis ; et opera illius imitantur, blasphemando Christum, et nequissimis deserviendo operibus. Falsi autem Christiani habent ejus characterem in manu, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Dum ergo Christum operibus denegant, procul dubio Antichristi sunt, ideoque characterem illius in manu portant. Idcirco dicitur et hic, quia videlicet similiter damnabuntur falsi Christiani, qui operibus imitantur Antichristum, quomodo et Judæi, qui illum sequuntur fide et opere. Quod est autem vinum, hoc est calix, id est vindicta et ira Dei omnipotentis, ventura super eos qui Antichristum adorant et imitantur. Nam et nos dum vinum in calicem damus, non dicimus : Ecce vinum et calix, sed tantum aut vinum, aut calix. Sed idcirco posuit vinum et calicem, ut ostenderet quia quod erat in calice cum mero mixtum, ad comparationem meri turbidum erat. Merum quippe dicimus purum. Sunt enim in hoc calice simul mixtæ fæces cum vino mero, id est puro. Per vinum itaque merum, vindicta divini examinis intelligitur circa justos, qui flagellantur in præsenti, ut postmodum glorificentur. Per fæces autem damnatio peccatorum exprimitur, qui in extremo examine damnabuntur, nam vinum supra est, fæces autem in fundo latent, quia videlicet sancti in præsenti puniuntur, et quasi apertum contra eos sævit divinum judicium. Reprobi autem in fine damnabuntur, quia nunc sine flagello deseruntur. Bibent reprobi quod remanserit in fundo, id est fæces, et non bibent electi, quia et reprobi post voluptatis lasciviam æternis cruciatibus damnabuntur, et electi post temporaneam disciplinam in potentiam regni erigentur. Ideoque si quis adoraverit Antichristum, aut imaginem illius acceperit in fronte, aut in manu sua, non hic ad præsens flagella recipiet, tanquam vino potatus, sed in futuro perenni vindicta plectetur, tanquam fæcibus inebriatus. *Et cruciabitur igne et sulphure in conspectu sanctorum.* Cum sint in inferno tanta tamque innumerabilia tormenta, quanta nec dici nec æstimari possint, breviter tamen in his duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis, non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremandum. Erit quoque ibi et sulphur, quod et fomentum præstabit igni, et fetorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne fetor, et ex fetore ignis procreabitur, cum unum horum ad tormentum miserorum satis sufficere posset, aut ignis videlicet, aut fetor. Sulphur quippe (ut diximus) fetorem, ignis autem habet ardorem. Qui enim ad perversa desideria ex carnis fetore ardent, nunc maxime libidini deserviendo, dignum est ut postmodum igne et sulphure pereant, quatenus ex justa pœna discant quid ex injusto desiderio faciunt. Angelorum autem vocabulo, in quorum conspectu cruciari dicuntur, non solum angelici spiritus, verum etiam electorum Ecclesia exprimitur. Quod ideo fiet, ut dum impiorum cruciatus justi conspiciunt, in Dei laudibus crescant, per cujus misericordiam evaserunt quod miseri patiuntur : quia in se cernunt bonum quo gratis remunerati sunt, et in illis aspiciunt supplicium, quod misericorditer evaserunt, eritque ut malorum tormentum, ad electorum proficiat incrementum. Subjungitur autem, *et ante conspectum Agni.* Non quo eum ultra visuri sint, cum scriptum sit : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, sed tanto timore terrebuntur, ut videatur illis Deus omnipotens semper esse præsens, eisque vindictæ suæ iram semper infligere, unde Job dicit : *Dimitte me ergo ut plangam paululum peccata mea, antequam vadam ad terram, ubi umbra mortis et sempiternus horror inhabitat (Job.* XX).

Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Magnus fumus indicium est magnarum flammarum, quia, quamvis sine nutrimento lignorum, corporeus tamen erit ignis reproborum, ideoque fumum ejus sempiternum dicit inesse. Quia ergo in igne reprobos sine fine ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in sæcula sæculorum ascendere dicit. Quo in loco error Origenis aperte destruitur, qui dixit post mille annos reprobos redire ad vitam, justos autem reversuros ad pœnam, alioquin falsum est quod Veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (Matth.* XXV). Quod si quis vult quærere cur pro temporali peccato sine tempore reprobi cruciabuntur, dicendum est quod districtus judex veniens non facta pensabit, sed voluntates. Nam reprobi, si fieri posset, semper in hac vita vivere cuperent, ut nequaquam peccare desisterent : et ideo nunquam carebunt supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato. Et nullus erit iniquis terminus ultionis, qui nunquam volue-

runt habere terminum criminis. Si enim, ut illi aiunt, finienda sunt supplicia quandoque reproborum, ergo quandoque finienda sunt et gaudia justorum. Si ergo hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At inquiunt: Ideo æternam pœnam minatus est peccatoribus, ut eos a perpetratione peccatorum compesceret, quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus : Si falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. *Nec habent requiem die et nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis accepit characterem nominis ejus.* In die et nocte continuum tempus intelligitur, sive etiam vicissitudines pœnarum, juxta illud : *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium (Job* XXIV); unde est : Erit tempus eorum in sæcula. Deficient enim miseri sine defectu, semperque erit quod crucietur, quia semper ad cruciamenta reparabitur quod defecit.

Hic, id est in præsenti vita, *patientia sanctorum est*, qui dum considerant quæ sint sanctorum gaudia et reproborum supplicia, patienter omnia perferunt ut in fine salventur. *Qui custodiunt mandata Dei*, id est, præcepta legalia, ut est, *Diliges Dominum Deum tuum (Matth.* XXII), et *Non adulterabis, Non furtum facies (Luc.* XVIII), et cætera hujusmodi.

Et audivi vocem de cœlo dicentem : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hæc vox tam ad ipsum Joannem pertinet, quam ad omnes fideles, qui remunerationem sempiternam exspectant. Scribe in corde tuo, et in cordibus auditorum tuorum, vel litteris commenda ut ad posteros veniat: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quæ sententia dupliciter potest intelligi : Beati mortui sæculo qui in Domino moriuntur, viventes virtutibus; qui scilicet pleni fide et cæteris bonis operibus, de hoc mundo migrant. Vel, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, id est, qui imitantes caput suum, non timent pro eo mortem subire temporalem, ut in æternum possint vivere cum illo, *amodo*, id est, a præsenti tempore *jam dicit Spiritus*, id est tota Trinitas, quæ est Deus, *ut requiescant a laboribus suis.* Quod superius dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, omnibus electis congruit : quod autem sequitur. *Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis*, specialiter pertinet ad prælatos, qui diverso modo laborant in hoc, quod gregem Dei commissum habere videntur, ad quorum personam a Domino specialiter dictum est : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (Matth.* XXV). — *Opera enim illorum sequuntur illos*, id est, merces operum suorum sequetur illos, cum unusquisque receperit secundum suum laborem; quia enim post opus merces sequitur operis, ipsum opus electorum eos comitari dicitur. Ubi autem finis annuntiatur operis, ibi tandem hujus libri sit finis.

LIBER QUINTUS.

SEQUITUR CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce nubes candida, et supra nubem sedentem similem Filio hominis, subauditur, vidi. Nubes candida, caro et anima nostri Redemptoris intelligitur, quam non fuscavit macula peccati. De hac nube per prophetam dicitur : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (Isa.* XIX). Super nubem quippe levem ascendit, et in Ægyptum venit, quando carnem nostræ mortalitatis accepit, et in hoc mundo natus apparuit Super nubem vidit sedentem, quia Christus divinitatis potentia præsidet etiam humanitati suæ. Vel certe per nubem candidam Ecclesia intelligitur, fonte baptismatis a peccatis mundata. Per fidem enim Christi et baptismum illius mundatur ab omnibus peccatis, juxta illud : *Fide mundans corda eorum (Act.* XV). Hinc inibi præsidet Christus, suaque sessione Ecclesiam, velut gallina pullos suos, protegit et gubernat. Quare autem ipse non jam simpliciter homo, sed similis Filio hominis dicatur, supra dictum est, quia videlicet surgens a mortuis, metasque humanitatis transcendens, *jam. non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom.* VI). Et *nubes* autem, et *supra nubem* sedens, unum sunt, id est caput et membra. Unde et cum Dominus super nubem sedet, utique ipsa nubes cum Domino sedet. *Habentem in capite suo coronam auream*, per quam victoria Christi designatur, qui primum de diabolo triumphavit, et Ecclesiæ suæ triumphum victoriæ contulit. Legimus etiam superius quod angelus habebat in capite suo stellas duodecim, ubi per angelum Christus, per duodecim stellas duodecim apostoli intelliguntur, et per illos omnis ordo prædicatorum, quo coronatur Christus, id est ornatur et circumdatur, et ex quorum societate lætabitur in capite, id est in mente sua. *Et in manu sua falcem acutam*, id est in potestate sua judiciariam potestatem vel dignitatem, quam ipse Christus etiam suis fidelibus dedit, dicens discipulis: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Potest etiam falx intelligi divina prædicatio, quam alibi Dominus gladium appellat, dicens : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Id.* X). Quare gladius divina prædicatio appellatur, quia per ipsam separantur boni a malis, veluti membra a membris. Hanc falcem habet Christus in manu, id est in operatione sua, quia ea quæ docuit verbis, primum ipse implevit operibus, juxta illud. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Volens quippe Dominus instruere prædicatorem quomodo prædicare deberet, primum in seipso formam verbi ostendit. Quam etiam falcem, id est divinam prædicationem, commendavit suæ Ecclesiæ, dicens apostolis ;

Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcunque mandavi vobis (*Matth.* XXVIII), acuta est falx, quia velociter hominem a terrenis desideriis et societate malorum separat.

Et alter angelus exivit de templo. Ipse designatur per alterum angelum, qui et per primum, id est Christus, sed propter ordinem visionum dicitur alter, cum idem sit. *Exivit de templo*, hoc est, de sua invisibili majestate, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), quia, cum esset invisibilis in sua natura, accepit carnem et animam in utero virginali, et factus est visibilis in nostra substantia. Hinc Apostolus ait : *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Phil.* II). Et ipse Dominus : *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI). Templum quippe Patris est Filius et templum Verbi ipse homo assumptus, et templum Patris et Filii Ecclesia, de qua Paulus dicit : *Templum Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III). Exivit ergo de templo, quando visibilis ad humanos prodiit aspectus. *Clamans voce magna ad sedentem super nubem.* In hoc loco qui designatur per nubem, ipse et per sedentem supra nubem. Est enim genus in genere, sicut supradictum est de arca Noe et octo animabus. Sedens ergo supra nubem, Ecclesia est in suis prædicatoribus, ad quos loquitur Christus præcipiendo dicens : *Mitte falcem tuam acutam,* id est prædicationem divinam in Judæos. Hoc est enim quod ipse eis dicit : *Ite tantum ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X.) — *Et mete*, id est separa Judæos a terreno sensu vel a terrenis desideriis, ne jam carnaliter accipiant : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isa.* I). — *Quia venit ut hora metatur*, id est tempus quod prædictum est per os prophetarum, quod jam colligi debet ad spiritualem sensum et fidem Christi. *Quoniam aruit messis terræ*, id est præparata sunt corda populorum ad credendum, et ideo tempus est ut excidantur a terra, et colligantur ad fidem Dei omnipotentis. De hac messe ipse in Evangelio dicit : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX).

Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, quia ad vocem Christi cœperunt prædicare Judæis primum, quousque ejicerent eos a finibus suis, unde Paulus et Barnabas dixerunt eis : *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei*, etc., (*Act.* X). — *Et messa est terra*, id est collecti sunt omnes, quotquot fuerant præordinati ad vitam æternam, de quibus jam scriptum est : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX).

Et alius angelus exivit de templo quod est in cœlo. Superius dixerat angelum de templo exiisse, nunc autem ubi hoc templum visum fuerit, indicare curavit. Hic quoque angelus Christus est, porro hic cœlum simpliciter debemus intelligere habitationem cœlorum, ubi est templum, id est sancti angeli, in quibus Deus habitat. Si enim in hominibus, licet peccatoribus, habitare dignatur, juxta illud : *Inhabitabo in illis, et inambulabo* (*II Cor.* VI), quanto magis in angelis, qui sine peccato sunt ! Ipsi itaque sunt templum Dei, quia in ejus sunt jugiter contemplatione. *Exivit* ergo *de templo*, quod est in cœlo, non quo a contemplatione angelorum recederet, sed quia assumendo carnem, hominibus visibilis apparuit. *Habens et ipse falcem acutum*, id est judiciariam potestatem, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V). Vel sicut dictum est, in facie acuta prædicatio intelligitur superna, quæ dividit patrem a filio, et filium a patre, etc., sicut in Evangelio Dominus dicit, id est reprobos a bonis.

Et alius angelus exivit de altari. Qui enim superior est, ipse designatur et per hunc angelum, id est Christus nuntius paternæ voluntatis. Altare autem ipse est, qui et pontifex, Christus scilicet, per quem munera nostra Deo Patri dirigimus petentes nos exaudiri per Christum. Omnes quoque electi altare sunt, quibus Apostolus dicit : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). Angelus itaque exivit de altari, id est Christus electus est singulariter princeps ex omni multitudine fidelium. *Qui habet potestatem super ignem.* Ignis Spiritus sanctus est, de quo Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII). Qui etiam super electos in linguis igneis descendit. Unde merito quæritur quomodo angelus, qui utique Christus intelligitur, potestatem habeat super ignem, id est super Spiritum sanctum, cum unius substantiæ sit cum Patre et Spiritu sancto. Non enim (ut hæretici dicunt) Deus pater ex nonnullis rebus subsistentibus Filium creavit, aut iterum ipse Filius Spiritum sanctum minorem se creavit : quia quorum una est deitas, una est etiam et essentia : et ideo Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ sunt, unius potestatis et majestatis. Sed in hoc habet Filius Dei potestatem super ignem, quia nemo angelorum et hominum accipit Spiritum sanctum, nisi per Filium. Unde ipse surgens a mortuis, *insufflavit et dixit discipulis suis : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Et alibi : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI). — *Et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam*, id est ad ordinem prædicatorum, qui habent in se divinam prædicationem, dicens : *Mitte falcem tuam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus.* Quod supra per maturas segetes, hoc et hic per botros vineæ terræ designatur, id est omnes fideles. Maturæ sunt uvæ ejus, id est præparati sunt populi ad credendum. Tunc præcepit hoc Dominus, quando post resurrectionem suam apparens discipulis suis, ait illis : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVII), etc.

Et misit angelus falcem suam in terram. Quia profecti prædicaverunt ubique. *Et vindemiavit botros vineæ terræ.* Id est, homines a terreno sensu et pristino separavit errore, et unitati fidei conjunxit. *Et misit in lacum iræ Dei magnum.* Quid per *lacum*, sive, ut

alia translatio habet, *torcular*, intelligitur, nisi angustia humanæ tribulationis, in qua omnes mittuntur boni et mali? In hac tribulatione sancti triturantur tanquam segetes, ut a paleis separentur et cœlestibus horreis recondantur. Tunduntur etiam calcibus tanquam uvæ in prelo, ut a vinaciis expressi, æternis promptuariis includantur. Misit ergo falcem et botros quos vindemiavit, in lacum, quia missa sancta Ecclesia prædicatione eos, quos a terreno amore vel pristino errore separavit, magnis tribulationibus tradidit, quibus tribulantur ab impiis, et affliguntur diverso modo. Hinc Apostolus dicit : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Rom.* VIII); et alibi : *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Lacus iræ Dei dicitur, quia propter peccata hominum istæ tribulationes aguntur. Nisi enim primus homo, in quo omnes peccàverunt, peccasset, nemo hominum in lacum mitteretur, id est, nemo has tribulationum angustias sustineret. Sed postquam peccavit, ejectus de paradiso, missus est in lacum tribulationis. Qui lacus magnus dicitur propter amarissima electorum tormenta, quibus affliguntur in præsenti vita. Quæ enim major pressura angustiæ et tribulationis esse potest, quam crucifigere hominem, ut Petrus est crucifixus? ustulari, ut Laurentius? Affligunt ergo injusti temporaliter justos, ut sint quibus Deus misericors postea in æternum parcere possit.

Et calcatus est lacus extra civitatem. Per id quod continet, illud intelligamus quod continetur, id est per lacum, eos qui in lacu sunt. Civitas autem ista, extra quam calcalti sunt, Ecclesia est. Si itaque (ut supradictum est) in lacu tribulatio, qua et boni et mali tribulantur, intelligitur, quid est quod modo calcati sunt extra civitatem? si enim ipsa civitas calcatur, quomodo extra civitatem calcantur? Sed sciendum est, quia hic a genere redit ad speciem, et loquitur solummodo ex persona reproborum, de quibus in sequentibus plura erit dicturus : quod statim manifestatur, cum subditur : *Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum*. Sancti enim pressi non sanguinem de se reddunt, sed purissimum vinum, quod in Dominicis apothecis reconditur. Reprobi vero, quia videbantur intra Ecclesiam esse, et non erant, missi in lacum, sanguinem reddiderunt, hoc est, infidelitatem. Sanguis enim diverso modo intelligitur in sacro eloquio : aliquando significat propagationem humanæ sobolis, ut ibi : *Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I). Aliquando adulterium et homicidium, ut ibi, *Libera me de sanguinibus, Deus Deus meus* (*Ps.* L). Aliquando etiam peccata cætera, ut est illud : *Sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV). Sanguis sanguinem tangit, cum peccato peccatum adjicitur. Aliquando infidelitatem, ut hic, et in Exodo, cum aquæ in sanguinem conversæ referuntur. *Exivit* ergo *sanguis de lacu*, id est peccatum infidelitatis de pressura tribulationis. Tacetur enim de vino, quod egreditur de bonis uvis, quod reconditur in Dominicis promptuariis : et dicitur de sanguine, qui egreditur de labruscis, vel hiemalibus (ut ita dicamus) racemis, de reprobis scilicet, qui simul mixti cum uvis non perveniunt ad maturitatem, sed aliqua tribulatione tacti, vel persecutionis angustia gravati, continuo recedunt a fide : et perfidiæ errore infecti, foras delabuntur : atque ideo extra civitatem calcari dicuntur, permanentibus electis intrinsecus vino fidei debriatis. Talis fuit Porphyrius, et multi alii, qui persecutionibus cesserunt, recedentes a fide Christi, et facti reprobi. Et quia tali modo non solum minimi quique, sed etiam principes pereunt, recte subditur, *usque ad frenos equorum.* Per equos enim subjecti, per frenos vero principes intelliguntur et prælati, qui alios regere debuerant, qualis fuit Julianus apostata et imperator, ac si diceret : Tanta fuit afflictio temporalis, ut ipsos etiam qui alios regere videbantur, ad infidelitatem perduceret. Sicque sanguis usque ad frenos equorum pervenisse dicitur, tanquam aperte diceretur : Afflictio temporalis intantum prævaluit, ut ipsos etiam qui plebes regere videbantur, cruore infidelitatis macularet. *Per stadia mille sexcenta.* Stadium Græce est mensura Latine. Item. Et dicitur a stando, eo quod ibi Hercules uno anhelitu currens centum viginti quinque passus, steterit. Qua mensura Græci metiebantur loca in quibus ludos exercebant, ibique ludentes spatiando et ludicra exercendo, deambulabant. In mille itaque sexcentis stadiis, omnis summa reproborum comprehenditur, quæ in quatuor mundi partibus consistit, propter quatuor mundi hujus plagas. Quater quippe quadringenti fiunt mille sexcenti. In centenario numero sæpe summa alicujus rei intelligitur. Quaternarius autem pertinet ad quatuor mundi climata, ideoque in mille sexcentis omnes designantur reprobi, qui per quatuor mundi istius partes per voluptatum ludibria currunt, et per spatiosam viam incedunt, quæ ducit ad mortem, atque ideo vocabulo eorum summa comprehenditur. Sed quod dictum est de primo adventu, potest referri et ad secundum. Judicium quippe futurum per angelos exercendum nullus ignorat qui attendit quod Dominus dicit de tempore messis, vel de messoribus. Ait enim : Messis quidem consummatio est sæculi, messores autem angeli sunt. Parabola quoque zizaniorum huic loco congruit, nec non illud, quia simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, omnium genera piscium congreganti, de qua elegerunt bonos in vasa, nulli dubium quin angeli, malos autem foras miserunt. Sed quod illi facturi sunt officio ministeriorum, hoc est Christus et Ecclesia facient potestate. Dicatur ergo de angelo, qui habebat falcem acutam in manu sua, id est, judiciariam potestatem. Falx enim quidquid incidit, intra se colligit, quia videlicet examen divini judicii nullus valet evadere. Intra ipsam quippe sumus, quocunque fugere conemur. Recte ergo judex venturus falcem tenere perhibetur, quia cum potentialiter ad omnia obviat, utique cuncta incidendo circumdat. Unde Psalmista :

Si ascendero in cœlum, tu illic es (*Psal.* CXXXVIII), et alibi : *Neque ab oriente, neque ab occidente* (*Psal.* LXXIV) et cætera, subauditur, est locus fugiendi, quoniam Deus judex est, ac si diceret: Fugiendi via undique deest, quia ille judicat qui ubique est. Abbreviatio superiorum: *Et alius angelus exivit de templo*, quoniam in judicio ex secreto divinitatis suæ, in forma humana hominibus apparebit. *Clamans voce magna ad sedentem supra nubem:* Sicut supradictum est, quod est nubes, hoc est angelus, cui clamat Christus, id est Ecclesia, quæ propter unitatem capitis, etiam supra nubem, hoc est, supra seipsam sedere dicitur. Non enim erat conveniens ut diceret: Clamavit angelus qui sedebat supra nubem, ad eamdem nubem, ideoque mutavit nubem, id est Ecclesiam, in angeli nomen. Tamen quod est nubes, hoc et angelus sedens supra nubem. *Mitte falcem tuam.* Hoc est quod alibi ipse dicit Dominus apostolis, et in illis, omnibus perfectis: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* — *Quoniam venit hora ut metatur;* Id est: adest tempus, quo et electi remunerari, et reprobi justo Dei judicio debent condemnari. *Quoniam aruit messis terræ:* id est, finis uniuscujusque advenit, quo et paleæ (id est reprobi) tradantur igni, et frumenta in Domini cellario recondantur. *Et misit qui sedebat falcem suam in terram*, etc. Id est, Ecclesia cum Domino sedens in judicio potestatis, inter bonos et malos discernens, cuncta examinabit. *Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo*, etc. Qui habet falcem messoriam, ipse et vindemiatoriam. Et qui dixit messori, *Mete:* ipse et vindemiatori, *Vindemia*. Nam quod sunt segetes, hoc et botri, similiter quod sunt paleæ, hoc et vinacia. Cætera supradicta sunt. Vindemiavit omnes botros vineæ terræ, id est, collegit omnes a terra, et bonos et malos, frumentum scilicet et zizania. Et vinum mundum, id est sanctos, recondidit in Dominicum promptuarium: vinacia vero, id est reprobos, misit in lacum iræ Dei. Per lacum vero iræ Dei, damnatio intelligitur inferni, vel sententia divini judicii, in quem lacum mittentur reprobi, cum audierint: *Ite in ignem æternum*. Nisi enim vocabulum lacus infernum designaret, nequaquam propheta diceret, omnes interfecti ruentesque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. Et Psalmista: *Salvasti me a descendentibus in lacum* (*Psal.* XXIX). Unde et quod subjungit *magnum*, juxta hunc sensum non est referendum ad lacum, sed ad diabolum, qui magnus appellatur propter superbiæ jactantiam. Magnum enim, id est, diabolum cum omni corpore suo mittet in lacum iræ Dei, cum omnes reprobi (ut dictum est) damnabuntur cum diabolo et angelis ejus. *Et calcatus est lacus*, id est, calcati sunt, qui erant in lacu, hoc est in æterna morte, depressi sunt, non jam ut purgentur, sed ut penitus intereant. *Extra civitatem*, id est, extra sanctorum societatem, cum quibus jam nulla erit reproborum communio. *Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum.* Per sanguinem qui egreditur de lacu, id est sententia districti judicis, vindicta intelligitur sanguinis vel vitiorum omnium, pro quibus damnabuntur iniqui. Qui usque ad frenos pervenit, quia non solum subjectos, sed etiam ipsos reges et principes, qui sanguini et diversis vitiis servierunt, sententia divini judicii comprehendet. Porro quod sequitur: *Per stadia mille sexcenta*, in hoc numero (ut supradictum est) omnis summa reproborum exprimitur, quæ per orbem quadripartitum, latitudinem istius vitæ sequuntur.

CAPUT XV.

Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile.

Quisquis sanctorum Patrum sensibus invigilat, minime posse hanc Apocalypsim juxta litteram accipi, facile cognoscit. Cœlum itaque (ut sæpe dictum est) Ecclesia est, de qua Dominus per prophetam dicit: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Act.* VII); et alibi: *Anima autem justi sedes est sapientiæ*. Ipsa enim Ecclesia, terrena cuncta despiciens, per mentis desiderium ad superna volat. Unde Paulus dicit: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III); et rursum: *Qui conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II). In hoc cœlo, id est, in Ecclesia vidit Joannes signum magnum, et mirabile fuit signum illud. Quod sit autem illud signum, aperit cum subjungit, *angelos septem*, subauditur vidi. *Habentes septem plagas novissimas* Quia septenarius numerus sæpe pro universitate ponitur, propter hoc videlicet tempus, quod per septem dies volvitur, per septem angelos idipsum quod et per cœlum, id est, universalis Ecclesia intelligitur. Sed quia auctor historiæ frequenter a genere redit ad speciem, per septem angelos intelligamus in hoc loco specialiter omnes prædicatores, de quibus scriptum est: *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII) et alibi: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam* (*Malach.* II), etc. Quid vero sint septem plagæ, in sequentibus manifestatur, cum ipsi angeli septem phialas accepisse dicuntur plenas iræ Dei. Hoc sunt enim phialæ, quod angeli, id est sancti prædicatores. Qui septem plagas habent, hoc est, notitiam universæ scripturæ, qua vulnerantur corda bonorum ad salutem, corda impiorum ad perniciem. Audiunt enim quidam in divino eloquio prædicantibus angelis: *Neque avari, neque adulteri*, et cæteri quos memorat Apostolus, *regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI): et timentes gehennæ ignem, vulnerantur in corde, et redeunt ad Deum per lamenta pœnitentiæ: talique modo vulnerantur sancti ad suam salutem. Unde et ipsa sancta Ecclesia in Canticis canticorum dicit: *Vulnerata charitate ego sum*, et iterum: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me* (*Cant.* III). Econtra cum hæc audiunt reprobi, verba prædicatorum despiciunt. Quod istis est ad salutem, illis est ad damnationem. Quo in loco quæstio oritur, quare dicat angelos habere septem plagas novissimas, cum ab ipso mundi exordio usque ad finem sæculi ita inveniamus quosdam vulneratos ad salutem, quosdam ad mortem. Primus quippe

homo in paradiso constitutus accepit præceptum a Deo ne tangeret pomum ligni scientiæ boni et mali; quod præceptum si servasset, ad vitam illi profuisset. Verum contempsit hoc præceptum : et quod illi datum fuerat ad vitam, versum est ei in mortem : sicque ex salubri præcepto vulneratus est et mortuus. Moysi quoque dedit Deus præcepta legalia, dicens : *Non occides, non adulterabis* (*Exod.* xx), et cætera his similia. Quæ quidam servantes, sicut Moyses, et Josue, et multi alii, habuerunt vitam in eis. Econtra cæteri contemnentes, vulnerati sunt, quia perdiderunt præsentem vitam et futuram. Ipso quoque Domino prædicante, quidam crediderunt in eum, quidam non. Illi qui crediderunt in eum, pœnitentiam agentes de præteritis peccatis, salvati sunt: qui autem noluerunt credere, damnati sunt, unde ipse dicit : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv). Hinc est et illud: *Qui crediderit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* xvi). Apostoli quoque prædicantes, facti sunt *quibusdam odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem* (*II Cor.* ii). Similiter est et modo. Verbi gratia : Prædicat angelus: *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Deut.* v), et cætera hujusmodi: audit hic quilibet hominum, et videtur ei esse durum, nec vult audire ejus consilium. Unde et spernit verbum illius, faciens quod sibi videtur. Hoc itaque quod illi poterat prodesse ad salutem, si voluisset ei credere, vertitur illi in damnationem. Similiter et quilibet paganus audit dicentem angelum: *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* iii): audit ille, et contemnit credere, ideoque vulneratus est ex ipsius divina prædicatione, in qua jam damnatus asseritur. Cum ergo istæ plagæ ab ipso mundi sint principio, ut dictum est, quid est quod Johannes angelos se vidisse dicit, habentes septem plagas novissimas ? quia videlicet tunc major erit damnatio infidelitatis reproborum, cum prædicantibus Elia et Enoch, pauci eos audient, multi autem infidelitatem sequentes, adhærebunt Antichristo. Unde subjungitur : *Quoniam in his consummata est* pro eo quod est, consummabitur *ira Dei*. Statim enim veniet Christus ad judicium post ultimam eorum prædicationem, et damnabuntur iniqui pro sua infidelitate et animi pertinacia, qua relinquentes Christum, et insuper servos Dei interfecerunt.

Et vidi tanquam mare vitreum igne permistum. Ipsi qui habent septem phialas et septem plagas, ipsi sunt qui stant supra mare. Mare itaque baptismum significat, testante Paulo, qui dicit: *Patres nostri sub nube omnes fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes baptizati sunt in nube et in mari* (*I Cor.* x). Vitreum dicitur, propter puritatem fidei, quæ manifestatur in baptismo, dum confitentur se credere in Deum Patrem et Filium ejus et Spiritum sanctum, ut Paulus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x). Sed ipsum mare mistum est igni, et per hoc coagulatum est. In igne autem Spiritus sanctus intelligitur, sive etiam passio nostri Redemptoris. Per gratiam enim Spiritus sancti baptizantur fideles in memoriam Dominicæ passionis. Unde Joannes de eodem Redemptore nostro dicit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Joan.* i), et Paulus : *Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* vi). Coagulatum est mare igne, quia per virtutem Spiritus sancti firmantur fideles, ne fluctuent, aut ullis persecutionum pruinis in mollitiem convertantur ; de hac aqua Psalmista dicit: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, etc., usque, *Super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* xxii). — *Et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius*, id est Antichristum. *Et numerum nominis ejus*. Qui non crediderunt illum solem nec lucem, vidi subauditur, *stantes supra mare vitreum*. Qui sunt qui stant supra mare vitreum? Qui videlicet hoc quod professi sunt in baptismo, tenent et gratiam baptismi illibatam custodiunt, abstinentes se ab omnibus gravioribus criminibus. *Habentes citharas Dei*. Ipsi sunt citharæ, quia in memoriam Dominicæ passionis semetipsos mortificant. Sicut enim jam supra dictum est : In cithara lignum est et chordæ : in ligno crux intelligitur, in chordis autem corda sanctorum, qui se mortificant cum vitiis et concupiscentiis, de quibus Paulus dicit : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* v).

Et cantantes canticum Moysi servi Dei et canticum Agni, dicentes: In cantico Moysi Vetus Testamentum, in Agni vero Novum intelligitur. Est enim hoc ab inferioribus intelligendum, nam quid sit canticum Moysi, vel canticum Agni, aperiunt, cum subjungunt: *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens*. Utriusque Testamenti paginæ hoc consona nobis voce testantur, quia magna et mirabilia sunt opera omnipotentis Dei. Moyses quoque narrat quomodo fecerit Deus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et quod spiritus Dei ferebatur super aquas, et quod viderit ardere rubum et rubus non comburebatur. Virgam quoque dicit conversam in draconem, aquas Ægypti mutatas in sanguinem, Ægyptum decem plagis percussam, et mare ad ingressum filiorum Israel divisum: deinde aquas amarissimas immistione ligni dulcoratas, et sitienti populo aquam de petra productam, et multa his similia quæ in Veteri Testamento, hoc est in Moysi cantico, commemorantur. In Novo quoque Testamento narrantur similiter magna et mirabilia opera Dei. Quis enim digne explicare valet quam magnum sit opus, quod Deus homo factus est, quod ille qui est cibus omnium, lacte mulieris nutritur, ne fame moriatur: quod qui cœlum et terram implet, intra corpus unius virginis concluditur. Quis hæc et his similia digne dicere vel considerare sufficit? Sed cum hæc omnia divina pietas pateretur, cumque mortuos suscitaret, infirmos sanaret, ad ultimum (quod præcipue est mirandum) factum est ut vita moreretur, virtus infirmaretur, et multa his similia sustineret, donec post triumphum resurrectionis exaltatus est super

omnia : hæc itaque opera Dei sancti angeli, id est, omnes prædicatores prædicant, hæc omnes suis auditoribus narrant. Hæc et nos, si non digne, tamen pro modulo nostro debemus agere, dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, qui cum esses verbum in principio manens apud Patrem, novo ordine indutus es hominem, mortuus es pro nobis, mirabiliter suscitatus, super cœlos elevatus, iterum ad judicium venturus. *Justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum.* Legimus in Genesi quod Deus omnipotens recessit ab omni genere humano, quod cum aquis diluvii delevisset, adhæsit Noe et filiis ejus, quia inventi sunt justi. Deinde in superbiam elevati, postquam multiplicati sunt, voluerunt contra Deum ædificare turrim, ibique omnes gentes recesserunt a Dei cultura, præter Abrahæ progeniem. Reliquit ergo Deus omnipotens eas, et adhæsit Abrahæ et semini ejus, qui eum longo tempore coluerunt. Sed postquam Filius Dei venit ad eos, negaverunt eum dicentes : *Hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX) ; et, *dæmonium habet* (*Matth.* XI). Unde et eum morti tradiderunt. Recessit ab eis, et transivit ad gentes. Istæ viæ omnipotentis Dei justæ et veræ sunt, quia sic est justum apud Omnipotentem, ut qui illi adhærent per fidem et dilectionem, cum eis maneat ; qui autem ab eo recedunt, eos relinquat. Vias enim Dei debemus intelligere actiones ipsius, quæ justæ sunt, quia Deus injuste nihil agere potest, nam quod alios damnat, alios misericorditer liberat, in his misericors, in illis autem justus judex esse dignoscitur. Ponamus, ut hoc manifestius fiat, præ oculis duos peccatores : Audiunt ambo divina præcepta, quibus et præmia justorum, et supplicia continentur reproborum. Quorum unus per Dei misericordiam compungitur, agit pœnitentiam, et salvatur : alter, in suis sceleribus perseverans, damnatur justo Dei judicio propter peccatum suum. Justæ itaque viæ, id est, actiones Dei justæ sunt, quia Deus justus est judex, et in uno misericordia, in altero autem ejus apparet justitia. Nisi enim reprobos damnaret, iniquitas ei (quod absit) placere videretur ; quamobrem qui præsumit blandiendo sibi de Dei misericordia, videat etiam quia justus judex est. Bene autem de bestia triumphantes in laudibus Domino dicunt : *Justæ et veræ viæ tuæ sunt, rex sæculorum* ; ac si dicant : Et cum gentes, quibus iram irrogare debueras, ad misericordiam perducis, nequaquam justus esse desistis. Et cum Judæos, quibus pro legis observantia mercedem te dare promiseras, iratus repellis, nullatenus veritatem amittis.

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Sensus est : Jam quia judicia tua vera sunt, et sine ullis hominum meritis præcedentibus, liberas quos vis, alios autem pro suis debite peccatis punis, quis Judæorum aut gentium non timebit te ? id est quis non habebit reverentiam nominis tui ? Et quis non magnificabit nomen tuum, juxta illud, *Magnus Dominus et laudabilis nimis?* (*Psal.* XLVII).—*Quia tu solus pius*, quia gratuita pietate quosdam qui digni fuerant morte, ad vitam prædestinans salvas. *Quoniam omnes gentes venient* gressibus fidei et cordis, quia Judæi te negaverunt. *Et adorabunt in conspectu tuo.* Hoc est, in corde puro, quod solus vides. De hac adoratione Dominus mulieri Samaritanæ dicit : *Veniet hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV).— *Quoniam judicia tua manifesta sunt.* Quæstio oritur in hoc loco, Quare triumphantes de bestia dicant, *Judicia tua manifesta sunt,* cum Apostolus dicat, *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei. Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI.) Quæ quæstio ita solvitur : Subtilitatem quidem judiciorum Dei, quare scilicet hoc vult, ut illud fiat, nemo comprehendere valet. Quis enim dicere potest, quare Deus qui prius gentes vias suas libere ingredi permisit, Judæos sibi ascivit, et deinde, Judæos repellens, gentes advocaverit? Manifesta vero sunt in hoc, scilicet justa sunt, quia quidquid Deus fecit, justum esse ab omnibus vera scientibus intelligitur.

Post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi Testimonii in cælo. Tabernaculum et cœlum unum est, id est Ecclesia. In hoc cœlo apertum est templum, sicut supradictum est, id est sacramenta Christi revelata sunt in Ecclesia, nativitas ejus scilicet, mors, passio, et resurrectio, et cætera hujusmodi. Ipsa autem Ecclesia tabernaculum Testimonii dicitur, quia habet tabulas duorum Testamentorum. Habet etiam in se arcam Dominum Jesum Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, urnam quoque ipsum Domini corpus, in quo est verus panis qui de cœlo descendit. Ibi et virga est Aaron, quæ fronduerat, id est sacerdotium spirituale, quod verum sacerdotium Ecclesiæ præsignabat. Dicit autem Joannes apertum templum tabernaculi Testimonii in cœlo, cum unum sit (sicut dixerat) tabernaculum et cœlum, tanquam genus dividens per partes, sicut supradictum est de arca et octo animabus.

Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo. In septem angelis, sicut sæpe dictum est, omnes intelliguntur prædicatores, quia septenarius numerus pro universitate ponitur. Isti habent septem plagas, hoc est, plenitudinem doctrinæ, quibus vulnerantur (ut supra dictum est) quorumdam ad salutem corda, quorumdam ad perniciem. Templum autem de quo exierunt angeli, secretum cordis eorum intelligitur. Quando enim sancti prædicatores contemplationi inserviunt, ab omnibus sæculi actibus se alienos reddunt : et cum divina eloquia meditantur, quasi in templo, hoc est, in secreto mentis suæ morantur. Sed quia non ita debent insistere propriis, ut relinquant etiam aliorum necessitates, quando iterum procedunt ad publicum, ad prædicandum, ad carnalium mores componendos, sive ad temporalia ministrandum, quasi de templo egrediuntur. Sicque fit ut internis inhiantes, in templo sedeant, et rursus curam proximorum non negligentes, de templo exeant, verbi gratia · Est quilibet doctor vel

homo processurus ad publicum, ut faciat sermonem ad populum, qui prius residens colligit sese intra seipsum, meditando qualiter, quibus et quomodo debeat loqui, qualiter inchoare sermonem, qualiterve finire. Ecce dum ita intra secretum mentis suæ inhabitat, quasi in templo moratur. Cum autem procedit ad prædicandum, et ea quæ mente tractaverat, publice profert, quasi a templo, id est a secreto mentis suæ foras egreditur. *Vestiti lapide mundo et candido.* Id est ornati et amicti Domino Jesu Christo. juxta illud, *Omnes qui baptizati estis, Christum induistis (Gal.* III). Qui bene lapis dicitur, quo electi circumdantur, quia murus est impenetrabilis. Mundus, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I Petr.* II). Candi vocatur, quia candor est lucis æternæ, et lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vel, si legamus, Vestiti lapidibus mundis, sicut in quibusdam codicibus invenitur, per hos lapides designantur virtutes : spes videlicet, fides, charitas, castitas, humilitas, et cætera hujusmodi, quibus ornantur fideles. Alia translatio habet, *Vestiti lino mundo*, per quod puritas vitæ et innocentiæ castitas intelligitur. Nam linum ex terra nascitur, et multo labore ad candorem venustatis perducitur, quia videlicet castitas sive vita pura cum multo labore et mortificatione carnis acquiritur. De his vestimentis Salomon dicit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida* (*Eccl.* IX). — *Et præcincti ad pectora zonis aureis.* Per zonam qua præcingebantur eorum pectora, vinculum castitatis ostenditur, et significatur per hoc, quia in Novo Testamento non solum opus libidinis, sed etiam ipsa restringitur cogitatio vigore mentis. Vetus enim dicit : Qui adulterium commiserit, puniatur : Novum vero : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Vel certe per zonam auream vinculum charitatis intelligitur, quia sancti non timore pœnali, sed per charitatem se invicem solo Dei amore stringunt. Sive etiam per zonas aureas sapientia significatur, de qua scriptum est : Accipite sapientiam sicut aurum. Zona aurea cinguntur angelorum pectora, quia superna sapientia replentur electorum corda, quia et ipsi Deum jugiter laudant, et alios ad laudandum provocant.

Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum. Superius legimus quod viderit quatuor animalia, quæ tam quatuor Evangelistas quam omnes sanctos, sive etiam ipsum Dominum significant, qui factus est homo temporaliter nascendo ex virgine : Factus est vitulus in passione, qua semetipsum obtulit Deo in ara crucis : Factus est leo tertia die resurgens a mortuis. Aquila, quadragesimo die ascendens ad cœlos. Istud unum animal, id est Dominus Jesus Christus, dedit septem angelis septem phialas. Quod sunt septem angeli, hoc sunt etiam septem phialæ, id est sancti prædicatores pleni divina prædicatione. Ut enim possent angeli esse, id est nuntii vitæ æternæ facti sunt phialæ repleti verbo sapientiæ. Sed quia absurdum erat dicere minusque conveniens : Unum animal dedit septem angelis septem angelos, variavit sermonem, dicens : Unum animal dedit septem angelis septem phialas. Vel etiam per istud animal, quod dedit septem angelis septem phialas, possumus intelligere ordinem electorum, Apostolorum scilicet et cæterorum, qui suis sequacibus dederunt phialas, id est divinam prædicationem commiserunt, quoniam non solum eos baptizaverunt, sed etiam ordinaverunt, et in loco suo sedere fecerunt, sicut Petrus Clementem, Linum atque Cletum : quibus etiam potestatem ligandi atque solvendi quam a Domino percepit, tradidit, et in cathedra sua sedere compulit. Quod etiam quotidie agitur, cum per impositionem manuum in civitatibus præsules animarum constituuntur. Bene autem phialæ quas accipiunt, aureæ describuntur. Quia ut prædicationis officium implere possint cœlitus sapientiæ fulgore illustrantur. Sed cum superius de senioribus dixerit, quod habebant phialas plenas odoramentis, quid est quod hic dicitur de angelis, quod acceperunt septem phialas plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum ? Ipsi enim sunt angeli, qui et seniores, quia videlicet in eorum doctrina et plena est electorum salus, et plena est reproborum damnatio et unde illi vitam, inde isti accipiunt mortem. Unde Apostolus : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Hinc etenim ipse Dominus quibusdam in ruinam positus dicitur, quibusdam in resurrectionem.

Et impletum est templum fumo a majestate Dei et de virtute ejus. Templum in hoc loco significat infirma corda simplicium fratrum, quibus injustum videtur quod Deus omnipotens reprobos in hac vita permittit regnare, et omni honore et divitiis ac sanitate corporis vigere; et contra, sanctos suos patitur crucifigi, lapidari, ustulari, et per varia tormenta præsentem vitam finire, neque unquam possunt in præsenti vita quietem habere, sicut verbi gratia : Nero impiissimus imperator, qui etiam masculum convertit in uxorem, et imperabat toti orbi. Petrus vero princeps omnium apostolorum, ab eo tentus est et crucifixus. Paulus etiam ab eo decollatus est, pater omnium gentium, qui plus omnibus laboravit. Fumus significat cæcitatem ignorantiæ, quo replentur talium corda infidelium, qui nesciunt considerare quod Deus illis ut filiis hæreditatem est daturus, ideoque permittit eos affligi ad tempus, ut post modicum lætentur cum illo sine tempore. Et hoc a majestate et virtute Dei fit. Magna quippe est in hoc Dei virtus, quoniam sustinere potest hominem malum, ut sit imperator et Dominus totius mundi, et ut electi illius mala patiantur ab illo. *Et nemo* talium subauditur, *poterat intrare in templum*, id est, non poterat perscrutari subtilitatem judiciorum omnipotentis Dei, *donec consummentur septem plagæ septem angelorum*, id est, donec omnis Ecclesiæ prædicatio terminetur. Cum autem consummatæ fuerint septem plagæ septem angelorum,

id est, cum terminum acceperit omnis Ecclesiæ prædicatio, et venerit Christus ad judicium, ut reddat unicuique juxta opera sua, tunc manifestabuntur ista omnipotentis Dei judicia, quæ nunc sunt occulta, cum et reprobi, qui hic honore et dignitatibus pollent, ducentur ad supplicium : justi autem qui in isto sæculo sustinuerunt tormenta atque supplicia ab illis illata, elevabuntur ad regnum. Ex talium namque persona Psalmista dicit : Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. Sancti autem qui habent phialas aureas intrant in templum Dei, quoniam considerant et perspiciunt judicia Dei omnipotentis, et cognoscunt cuncta justa esse. Unde sciunt et istorum tormenta qui in præsenti exaltantur, et dominationem tenent, et illorum præmia, qui humiliantur, et dominationem aliorum hominum sustinent. Et ideo *nemo* ad eos referendum est, qui Dei omnipotentis judicia reprehendere conantur. Tale est et illud Joannis de Christo loquentis : Testimonium ejus nemo accipit. Et illud Psalmistæ : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Et in sequentibus dicit idem Joannes : Quia autem accipit ejus testimonium, signabit quia Deus verax est, quia videlicet sunt nonnulli, quorum nemo testimonium Christi accipit, sicut miseri Judæi : et iterum sunt nonnulli qui acciplunt testimonium ejus, et sciunt quia Deus verax est. Sic ergo et in hoc loco intelligendum est quod dicitur, nemo poterat intrare in templum. Aliter : Templum corda significat sanctorum electorum, fumus vero significat compunctionem cordis, quia compunguntur corda et pectora peccatorum, et intimo usque ad lacrymas. Impletur templum fumo, quando corda quorumdam facinorosorum implentur pœnitentiæ lamento. Verbi gratia : Audit quilibet peccator loquentem sapienter et docte prædicatorem, et dicentem quod Apostolus dicit : Neque adulteri, neque immundi, neque fornicatores et cæteri regnum Dei possidebunt. Dum hæc audit et considerat quilibet peccator, quæ tormenta ingentia inferni sibi imminеant, compunctus corde, effundit fumum, id est compunctionem cordis, dum lacrymis confitetur peccatum suum. Fumus quippe multum ignem præcedit, quia videlicet ex confessione peccati et compunctione cordis nascitur ignis charitatis. Primum enim homo confitetur peccatum suum, postea incipit valde diligere Dominum Deum suum et proximum. Et hoc majestate et virtute Dei fit, quia Deus virtute sua illuminat cor illius, ut agat pœnitentiam, qui in cordibus hominum confessionem gignit peccatorum. Unde Psalmista quoque canit dicens : *Confessio et magnificentia in conspectu ejus*. Et alibi : *Qui tangit montes, et fumigant* (*Psal.* CX, CIII), id est mentes sæcularium hominum et superborum respectu suæ miserationis compungit, et lamenta fletusque pœnitentiæ proferunt. Sed quamvis ita sit, nemo potest intrare in templum, id est, nemo potest esse securus de sua conscientia, utrum scilicet indulgentiam et remissionem peccatorum suorum consecutus sit. Ignorat enim utrum odio an amore dignus sit, donec finiantur septem plagæ septem angelorum, id est omnis prædicatio Ecclesiæ sanctæ terminum et finem accipiat, quando veniet Christus reddere unicuique hominum secundum opera sua.

CAPUT XVI.

Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis : Ite et effundite septem phialas iræ Dei in terram. Vox ista vox est Dei omnipotentis, quæ recte magna dicitur quia magna præcipit. Templum autem sancta Ecclesia est, ut sæpe dictum est. Porro septem angeli omnes sancti prædicatores sunt. De templo fit vox ad angelos, quia de Ecclesia loquitur Christus prædicatoribus, quia et ipsi sunt Ecclesia. Ait ergo : *Ite, effundite phialas iræ Dei*, quas accepistis, *in terram*. Hoc est quod ipse dicit discipulis suis, quasi primis angelis : *Ite ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X). Et alibi legimus, quia misit eos ante faciem suam in omnem locum, ad quem erat venturus. Quare vero phialæ *iræ Dei* dicuntur, supradictum est, quia videlicet unde alii veniam placationis, inde alii sumunt iram ultionis. Per terram autem terrena designantur corda hominum. In terram ergo angeli phialam effundunt, quando sancti prædicatores contra terrenos homines loquuntur. Unde sequitur :

Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram. Quæstio oritur hoc in loco : Si præceptum est illis ut phialas suas in terram effunderent, quid est quod quasi mandatum transgredientes, alius in terram, alius in mare, alius in flumina et fontes aquarum, allus in solem, alius super sedem bestiæ, alius in flumen magnum Euphratem, alius in aerem phialam effudit? Quasi enim (quantum ad litteram pertinet) mandatum videntur transgredi, sed non faciunt quantam ad mysticum sensum : quia quod est terra, hoc est mare et cætera, id est omne corpus diaboli cum capite suo. Similiter quod est unus angelus, hoc septem : et quod septem, hoc unus. Sicut enim Christus cum capite suo unum est, quia ipse est caput, electi membra, neque aliud membra quam caput, ita diabolus et omnes iniqui unum sunt corpus, et unione malignitatis vinciuntur. Quamvis autem per terram omnis multitudo reproborum accipiatur, de qua ad diabolum dicitur in primordio, *Terram comedes omnibus diebus* (*Gen.* III), tamen specialiter in hoc loco terram, in quam prima effusa et phiala, possumus intelligere plebem Israeliticam. De hac quippe terra Job dicit : Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne consumpta est, id est, Judæi a quibus procedebant eloquia divina, peccato incredulitatis et igne invidiæ in loco suo occisi sunt. Effudit itaque angelus phialam suam in terram, quia apostoli ad vocem Christi cœperunt prædicare remissionem peccatorum, incipientes ab Hierusalem. Nam et ipse Christus, qui est angelorum princeps, prædicavit in eadem terra. Unde quia noluerunt in eum credere, damnati sunt peccato infidelitatis suæ, unde sequitur : *Et factum est vulnus sævum ac*

mum in homines, qui habent characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus. Hoc vulnus non est corporis, sed mentis. Est enim peccatum infidelitatis, quo vulnerati sunt Judæi nolentes credere in Christum. Unde Dominus dicit : *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent* (*Joan.* XV). Hoc vulnere mortui sunt Judæi. Hoc ex gentibus infideles mori videntur, sed mirabilius Judæi quam gentes, quia illi habuerunt legem, et Dei notitiam acceperunt, ipsum etiam in carne prædicantem audierunt. Gentiles autem nihil horum habuerunt, nisi tamen prædicationem Christi contempserunt, quam per apostolos audierunt. Ideoque et isti damnabuntur, sed illi crudelius. Hinc etenim scriptum est : *Qui non credit, jam judicatus est.* Unde bene non dixit simpliciter sævum vulnus esse factum, aut pessimum, sed junxit duo nomina, id est, *sævum ac pessimum*, ad exaggerandam hujus vulneris magnitudinem, quasi diceret irremediabile atque mortiferum, quo soli, etiam si alii desint, quilibet vulnerati, æterna judicentur pœna plectendi. Et quia novissimam Judæorum cæcitatem describit, qui pro Christo Antichristum sunt suscepturi, juxta illud : Ego veni in nomine Patris mei, et non suscipistis me : alius veniet in nomine suo, illum suscepietis. Bene homines dicit prædicatione Christi pessime vulneratos, qui characterem bestiæ videntur habere ejusque imaginem adorare. Character vero bestiæ, ut supra dictum est, fides ejus intelligitur. Quem characterem jam habent Judæi, credentes in illum et eum exspectantes, suscepturi illum cum omni cordis devotione. Tunc utique aperte suscipient, quem nunc toto voto tenent. Adorant quoque imaginem ejus, id est, ipsum Antichristum, nunc voto et desiderio, tunc autem et mente et corpore prostrati in conspectu illius. Revera enim dignum est, ut qui vitulum saginatum tumentes despiciunt, hædum accipiant, contemnentes videlicet Christum, suscipiant Antichristum. Quamobrem specialiter hoc de ipsis intelligamus, quanquam hoc et incredulis gentibus generaliter congruere videatur. Multos enim et innumerabiles ipsi Judæi in susceptione Antichristi ex incredulis gentibus habebunt sequaces, sicut apostoli in fide Christi multos habuerunt imitatores. Sciendum præterea, quia sicut Judæi atque gentiles pro eo quod prædicationem Ecclesiæ despiciunt, tanquam vulnus adjunctum vulneri suscipient Antichristum, sic reprobi intra sanctam Ecclesiam constituti, quia Christum juste confitentur, operibus denegant, dignum est ut, imminente persecutionis articulo, professionem amittant, quam sola gerunt lingua, et characterem habeant in fidei abnegatione, quem dudum occulte habebant in operibus manuum, eumdemque Antichristum manifeste sequantur, post quem dudum occulte ambulabant.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui. In mari aqua est, et ideo primum videndum quid sit aqua, et deinde quomodo conversa sit in sanguinem. Lex enim Veteris Testamenti aqua est, conversa deinceps in vinum per Christi nuptias. Data est quippe Judæis Scriptura dulcis aqua, qua salvari possent credentes in Christum sibi promissum, sed illi verterunt eamdem Scripturam in amaritudinem infidelitatis, negantes Christum, et morti tradentes, et in sanguinem, hoc est, in carnalem intellectum vertentes. Factum est ergo illud mare sanguis, sicut vere sanguis est in corpore mortui hominis, quia veraciter in sui perniciem ipsi verterunt legem, dum eam semper carnaliter voluerunt intelligere, et nunquam ad spiritualem sensum transire. Sed hac labe illi periculosius perire probantur, qui in sui damnationem ante faciem Pilati Christum negantes, dixisse referuntur : *Sanguis hujus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). *Et omnis anima vivens mortua est in mari.* Hic a toto pars intelligitur. Neque enim omnes sub carnali sensu legis moriuntur, quia nunc multi Dei gratia ea quæ illis in figura contingebant, spiritualiter intelligunt. Tale est et illud, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII). Nam et in hoc mari, id est in sacra Scriptura, continetur vita piscium centum quinquaginta trium qui capti sunt reti apostolorum. Hoc est enim pisces reti apostolorum capi, quod est, in electorum parte aquas in sanguinem minime converti. Omnis ergo anima mortua in mari, pro his tantum accipienda est, qui in lege nihil aliud nisi litteram attendunt, sicut Judæi, qui maxime ex eo tempore non sunt mortui, quo cœperunt vivere fideles per sensus spirituales.

Et tertius effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Quod est primus angelus, hoc secundus, hoc tertius, hoc denique omnes, id est cuncti prædicatores. Porro per flumina et fontes aquarum gentiles significantur, sicut supra per mare. Fluvius ab initio sui ad inferiora tendit, et in mare diffunditur, sic et gentilitas in infidelitate prævenia, cucurrit ad mortem, sed ipsa gentilitas in suis philosophis accepit phialam suam, id est, sacram Scripturam et Dei notitiam, sicut, verbi gratia, Plato a Jeremia in Ægypto positus, cognovit quod Deus omnipotens fecerit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, sed hanc phialam vertit in sanguinem, id est in pravitatem erroris, dicens quod cœlites (id est angeli) fecerint cætera, id est, minorem creaturam. Virgilius quoque ex Danielis volumine didicit quatuor regna a Deo præordinata, ex quibus unum est aureum, sed convertit hoc in sanguinem, cum retulit hoc ad Saturnum et Jovem, ipsosque dixit conditores regnorum ipsorum ; hinc doctor gentium loquitur dicens : Sapere secundum carnem mors est, et rursum, sapientia carnis inimica est Deo.

Et audivi angelum aquarum. Id est, nuntium populorum, quia, sicut in sequentibus legimus, aquæ multæ populi multi sunt. *Dicentem : Justus es qui eras sanctus.* Præteritum tempus positum est hic

pro tribus temporibus, id est, pro præterito, præsenti et futuro. Qui eras sanctus, justus es et eris. Quæ justitia in hoc manifestatur, cum subditur : *qui hæc*, inquit, *judicasti quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt et sanguinem eis dedisti bibere*. Justum enim est apud te, ut quia sanguinem sanctorum tuorum effuderunt, ipsi sanguinem bibant. Hoc est vindictam effusi sanguinis sustineant, et in tui cognitionem minime perveniant hi qui, bona sibi annuntiantes, non solum non audierunt, verum etiam crudeliter peremerunt. Quod intelligendum est tam de Judæis quam de gentibus. Judæi enim fuderunt sanguinem sanctorum prophetarum, sicut interfecerunt Ezechielem, et Isaiam secuerunt, Jeremiam lapidaverunt. Unde et Stephanus eis in contentione, quam cum illis habuit improperat, dicens : Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi. Gentiles quoque similiter multum sanctorum martyrum sanguinem fuderunt, sicut Nero crucifixit Petrum, decollavit Paulum et multos alios. Hi omnes justo Dei judicio postea biberunt sanguinem, id est, vindictam sanguinis pertulerunt: vel in præsenti, sicut Judæi et ipse Nero, ut perderent et præsentem vitam et futuram : vel in inferno damnati, et perpetuis cruciatibus traditi. Unde Dominus in Evangelio dicit : Requiretur sanguis omnium sanctorum a generatione hac reproborum, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ. Aliter : Sanguis sanctorum prophetarum intelligitur spiritualis sensus illorum. Qui igitur sanguinem prophetarum vel cæterorum sanctorum fuderit, id est, qui spiritualem illorum sensum in terrenum intellectum converterit, sanguinem bibet, id est, vindictam sanguinis sustinebit. Hoc est, quidquid vitale habere videtur, perdet, et in carnali sensu remanebit justo Dei judicio. *Digni enim sunt*. Dignum est enim, ut is qui spirituale vinum bibere noluit, corruptionibus vitiorum tanquam sanguinibus debrietur.

Et audivi alterum. Subauditur, verbum, *dicens : etiam, Domine Deus omnipotens, justa et vera sunt judicia tua*. Non dixit, audivi alterum dicentem, ne angelum intelligeremus, sed, *Audivi alterum dicens*, id est, alterum verbum ab eo repetitum. Ipse enim angelus qui præcedentia dixerat, adjunxit et hoc verbum, dicens : *Etiam, Domine Deus omnipotens, justa et vera sunt judicia tua*, quia justum est ut qui sanguinem fuderunt, sanguinem bibant, id est, vindictam sanguinis sustineant. Potest hoc specialiter de hæreticis intelligi, ex quorum ore abundantia eloquiorum tanquam flumina decurrere videtur. Sed hi qui sanguinem sanctorum et prophetarum fundunt, in sanguinem conversi, sanguinem bibunt: quia dum verba legis, et prophetarum eloquia, dictaque apostolorum in falsos sensus commutant, agente persecutionis articulo, ipsum nomen Christi, quod falso tenebant, amittunt, serviendo publice vitiis carnis. Dicatur itaque : Justus es qui eras sanctus, qui hæc judicasti, et cætera, tanquam diceretur : Quia verba legis, eloquia prophetarum, dictaque apostolorum depravantes, quasi ipsos occiderunt, dignum est ut per temporalia (quæ ante calcaverunt) flagella ipsum sanguinem, quem effuderunt, quo et animas suas cruentaverunt, coram hominibus bibant, id est nomen tuum quod falso colebant, publice negent, et corruptionibus carnis, quasi inanis gloriæ appetitu refrenaverant, iterare præsumant.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem. Sol in sacro eloquio diversas habet significationes, et ponitur in bono et malo. Aliquando significat Christum de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (Zach.* III), aliquando significat et tribulationem præsentis vitæ, juxta quod in parabola jacti seminis dicitur, quia aliud cecidit supra petram, et statim ut ortus est sol, exaruit. Hic autem solem intelligamus ipsum damnatum hominem, qui se in novissimis diebus solem justitiæ, mentietur, cum sint in eo densissimæ tenebræ et umbra mortis. In solem itaque angelus phialam effundit, quando prædicatores adversus Antichristum et ejus ministros verbum prædicationis proferunt. *Et datum est illi æstu afficere homines et igne*. Hoc ad utrumque potest referri Æstus persecutionem significat gravem, qua Antichristus afficiet homines, id est, sanctos qui in fide permanserunt, sicut Eliam et Enoch. Datum est illi a Deo, id est, permissum est afficere homines æstu et igne, id est, persecutione validissima, qualis nunquam fuit neque fiet, sicut Dominus in Evangelio dicit. Unde subditur :

Et æstuaverunt homines æstu magno. Quia, sicut dictum est, erit tunc tribulatio *qualis non fuit, neque fiet, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Matth.* XXIV). Aliter : Ipsi qui cruciabuntur, afficient eos æstu, id est, ira magna et angustia, a quibus sibi illata fuerint tormenta, quia ante poterunt occidi, quam a fide Christi separari : duuique insuperabiles eos viderint, ipsi magno æstuabunt æstu iracundiæ, indignantes illis, quos inter tormenta constantes viderint. Quod etiam factum est in persecutione sanctorum martyrum, sed tunc fiet tanto validius, quanto gravior erit tribulatio. Amplius quippe isti, id est, reprobi cruciabuntur in anima quam sancti in carne. Illi inter tormenta redibunt, isti dentibus stridebunt. Illi Deum laudabunt, isti pene exanimes fient : sicque æstu afficient homines humana sapientes id est, flammis invidentiæ et malignitatis eos consumi facient, insuperabiles usque ad mortem manentes. Unde subditur : *Et blasphemaverunt nomen Domini, habentis potestatem super has plagas* Dum enim sanctos patienter et firmiter viderint perseverare in fide usque ad mortem, et gaudenter pergere ad passionem blasphemabunt Dominum. Qui propterea super has plagas potestatem habere dicitur, quia a quo vult, amovet eas : et super quos vult, justo judicio permittit, juxta illud : *Induravit Dominus cor Pharaonis (Exod.* XI.)

Neque egerunt pœnitentiam. Quare non egerunt pœnitentiam? quia non potuerunt; quare non potuerunt? quia noluerunt; et ideo noluerunt, quia non potuerunt. Aliud dicit beatus Ansbertus Ambrosius: Si millies a me quæratur quare non egerint pœnitentiam, non respondebo. *Ut darent illi* claritatem; id est, ut se peccatores recognoscerent, et Dei justa judicia collaudarent. Ille enim claritatem Deo dat, qui et se pro suis iniquitatibus accusat, et ejus justa judicia collaudat. At contra iniquorum mos est, ut suas iniquitates defendant, et Dei judicia reprehendant.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ: et factum est regnum ejus tenebrosum. Quod est sedes bestiæ, hoc est regnum illius, id est omne corpus diaboli, mali videlicet præpositi cum subjectis sibi plebibus. Diabolus autem bestia vocatur, quia aut latenter insidians, aut aperte sæviens, agnum (id est corpus Christi) invadere nititur. Quod autem dicit: *factum est regnum ejus tenebrosum*, tale est quasi dicat: non est illuminatum, quia videlicet præcedentibus meritis non merentur illustrari. Et ipsi præcedentium delictorum jaculis vulneruti sunt, quibus illorum corda vulnerantur. Unde sequitur: *Et commanducaverunt linguas suas præ dolore.* Quod juxta litteram nullatenus stare valet, ut alterius linguam quis laniare possit, qui suam præ doloribus manducat. Sic enim dicitur quod *commanducaverunt linguas suas præ dolore*, tanquam diceretur: singuli et suam et alterias linguam dilaniaverunt, sed *commanducaverunt*, nihil est aliud nisi: sub luce et aperte blasphemias contra Christum protulerunt, hortantes se invicem ut Antichristum confiterentur juste, et Christum blasphemarent injuste, unde et subjungit:

Et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis. Cum enim prædixerit, *commanducaverunt linguas præ dolore*, et deinde subjunxerit, *blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus suis*, ostendit hoc esse linguas commanducare, quod est mutua exhortatione Deum cœli blasphemare. Dolor quippe iste insensibilis est, id est peccatum infidelitatis, quod infideles dolent, non sentientes dolorem suum, veluti phrenetici patiuntur injuriam, et putant se esse sanos, et quia peccato infidelitatis noluerunt recedere, ad hoc scelus usque prolapsi sunt, ut Deum cœli blasphemarent. Ista autem blasphemia dupliciter agitur, voce scilicet, et cordis obduratione; et quamvis perniciosa sit oris blasphemia, tamen perniciosior est cordis obduratio. *Et non egerunt pœnitentiam ab operibus suis.* Ac si diceretur: Ita vehemens dolor ex plaga blasphemiæ eos depressit, ut ad fructuosam pœnitentiam surgere nullatenus possent, quia semetipsos obdurantes, ad pœnitentiam noluerunt reverti.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquas ejus. Euphrates fluvius est Babyloniæ, qui (ut fertur) Babyloniam ingrediens, plures dividitur in rivos. Qui fluvius sæpe in malam partem ponitur. Unde est: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus* (*Psal.* CXXVI). Jeremias quoque dicit: *Sacrificium Domini sabaoth in terra Aquilonis, in flumine magno Euphrate.* Per flumen itaque magnum Euphratem, potentia istius sæculi exprimitur, et omnis malorum multitudo, contra quos sancti prædicatores indesinenter loquuntur. Dividitur hic fluvius in multos rivos, quia malorum multitudo per multa dividitur crimina. Alii enim sunt homicidæ, alii adulteri, alii diversis criminibus maculati. Siccabitur aqua ejus, quia possibilitas peccandi auferetur. Cum enim damnati cum diabolo et angelis ejus fuerint reprobi, omnis facultas peccandi auferetur, non tamen voluntas mala deerit, quia si fieri posset, æternaliter vivere, æternaliter peccare, æternaliter vellent sanctos persequi et tribulari. Unde et Dominus nequaquam dicturus est illis repulsis: *Discedite a me, qui operati estis iniquitatem*, sed *qui operamini.* Tanquam dicat: Qui nunc usque voluntatem malam operandi habetis. Unde Psalmista dicit: Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum. Si enim fieri posset, sicut Nero interfecit Petrum in hac vita, sic illum vellet interficere in judicio. Dicatur ergo de angelo: Effudit phialam suam in flumen Euphratem, et siccavit aquam ejus. Ac si diceretur: oblata vitæ cœlestis prædicatio, in tantam reprobos malitiam excitavit, ut cum eis de exercenda malitia nihil remanserit, voluntas tamen iniqua permanserit. *Ut præparetur via regibus ab ortu solis.* Reges isti sancti intelliguntur, qui se et alios bene regunt, et motus suæ carnis regendo restringunt, qui idcirco ab ortu solis venire dicuntur quia a Domino vocantur qui est verus sol justitiæ. Ut autem his regibus præparetur via, prius exsiccatur aqua Euphrates, quia nisi prius malorum nequitia fuerit consummata, nequaquam ad judicandum apparebunt. Per hos quippe transeunt, cum impletam eorum nequitiam dijudicant, ablataque omni facultate peccandi, ipsi post eorum damnationem remunerabuntur, qui eos sunt judicaturi. Prius enim audient isti: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* deinde illi: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV). In alia translatione habetur: *ut præparetur via venienti Regi ab ortu solis*, Christo scilicet, de quo Propheta dicit: *Ecce vir oriens nomen ejus.* Cui venturo ad judicandum, ipsi de quo dictum est modo via præparabitur.

Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum exisse. Quod est draco? hoc est bestia, hoc et pseudoprophetæ, id est diabolus cum omni corpore suo; tamen propter distantiam personarum et potestatem illa commemorat, quæ majorem potestatem habent in ipso malorum corpore, draconem scilicet, id est diabolum, bestiam, Antichristum: pseudoprophetam, doctores ejusdem damnati hominis cum subjectis plebibus. De horum omnium ore egrediuntur tres spiritus, quod nihil est aliud nisi unus spiritus. Tanta quippe unitas malitiæ est in omnibus

dæmonibus, ut cum multi sint potestate et malitia, in unum tamen redigantur, quia diverso modo homines impugnant. Unde unus dicitur spiritus mendax alius spiritus fornicationis, tertius spiritus immundus. Idcirco tres spiritus immundos se vidisse dicitur, pro numero, scilicet partium ejusdem corporis. Bene autem spiritus immundus dicitur propter peccata gravia, quibus sordidatus est, et alios coinquinare non cessat. Sed quia caput et membra unum sunt, id est diabolus et omnes iniqui, ipsi qui spiritus immundi, ipsi sunt draco, bestia et pseudopropheta. Exivit ergo de ore draconis bestiæ et pseudoprophetæ, id est de seipsis ad apertam blasphemiam contra Christum, et ad apertam persecutionem contra sanctos illius. Nunc enim dum latent et aperte sævire non audent, quasi intra semetipsos conquiescunt. Cum autem diabolus ingressus fuerit perditum hominem, tunc egredientur ad apertam blasphemiam (sicut diximus) et sanctorum persecutiones. Nec vacat quod idem spiritus in modum ranarum dicuntur egressi. Ranæ quippe molestiam hominibus inferunt, strepitum faciunt, quietem hominibus auferunt, et in cœno versantur. Tales erunt ipsi ministri Antichristi, qui non loqui, sed potius garrulis vocibus strepere videbuntur. Omnem quoque quietem auferent ab electis, dum eos ubique graviter insequentur, et in cœno, hoc est, in immunditia peccatorum devolvent.

Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa. Ipsi quippe dæmones per eos quos inhabitabunt facient signa, aut vera Dei permissione, aut falsa, quibus reprobi justo Dei judicio decipiantur: sicut olim faciebant magi, qui videbantur homines resuscitare a mortuis, sicut Simon fecit in conspectu Neronis. Nam et de hoc Dominus dicit in Evangelio : *In illis diebus consurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et facient signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV). Sed non sine causa isti qui signa faciunt, in modum ranarum procedere dicuntur. Legimus quippe in historia Veteris Testamenti quod Moyse signa faciente, fecerunt et magi similiter usque ad signum ranarum. Verbi gratia, primum Moysès projecit virgam, quæ versa est in draconem ; fecerunt et malefici similiter suis incantationibus, licet virga Moysi devoraverit virgas illorum ; deinde convertit aquas Nili in sanguinem ; fecerunt et ipsi similiter aquas cisternarum quas sibi foderant Ægyptii, non volentes bibere de aqua fluminis. Fecit etiam Moyses ascendere ranas super terram, quod et ipsi facere suis magicis artibus sunt permissi. Ubi vero terræ pulvere virga percusso cyniphes processerunt, incantationes quæ jam tertio prævaluerant, pœnitus evanuerunt. Unde et superati dixerunt : *Digitus Dei est hic* (*Exod.* XI) Ita ergo et isti usque ad signum ranarum pervenient, ibique deficient, ac superati quiescent, quia insipientia eorum, illius videlicet damnati hominis et pseudoprophetarum manifesta erit sicut et illorum fuit ; unde et Apostolus dicit : *Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistent veritati* (*II Tim.* III). Sed ista signa (sicut dictum est) aut erunt vera ex Dei permissu aut falsa, quibus reprobi propter peccata præterita decipi merentur, unde non in conspectu sanctorum hoc facere dicuntur, sed in conspectu hominum, sicut supra dictum est, id est in conspectu illorum, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. At in conspectu electorum muti apparebunt, nec poterunt procedere ultra definitum signum ranarum. *Et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Quod in tribus immundis spiritibus unus diabolus designetur, ex hac processione manifestatur, de qua alibi scriptum est: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet reges et gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ* (*Apoc.* XX). Reges autem hic in malam partem noverimus positos, id est principes et divites hujus sæculi, qui sunt membra Antichristi. Quomodo ergo procedunt ad eos, si ipsi sunt in quibus dæmones habitant ? sed per ipsos procedunt ad ipsos, ad apertas scilicet blasphemias, ad persecutionem commovendam. Unde sequitur : Congregare illos in prælium contra Deum et sanctos illius. Quo autem loco congregabit ? nunquid in unum venturi sunt, ut qui sunt in occidente transeant in orientem, aut rursus ab oriente in occidentem ? Non ; sed in unum consensum, et in unam malam voluntatem congregabuntur. Propter unitatem quippe malitiæ illorum hoc dicitur, quia quod unus facit hoc et reliqui Dies autem ista ad quam congregabuntur in prælium, novissima intelligitur persecutio, quando diabolus et membra ejus aperte blasphemiis contra Christum, et persecutionibus pugnabit contra ejus Ecclesiam. Facit enim nunc bellum, sed occultum, quia ligatus est. Si ergo tanta facit ligatus, quanta putamus eum facere solutum ? Tunc congregabit eos in prælium, quando gravissimas excitabit adversus eos persecutiones, unde bene ipsa dies magna et Dei vocatur, quia videlicet tunc agnus victor cum suis contra ferocissimas bestias pugnabit.

Ecce venio sicut fur. Istum vero adventum et quotidianum possumus intelligere et generalem ; quotidie quippe venit Christus ut fur, quando improvisa morte subito dum non sperat homo moritur. In die etiam judicii *sicut fur*, id est repente veniet, quia cum dixerint pax et securitas, tunc ejus repentinus superveniet interitus. Beati autem sunt illi, qui sive quotidie dum transeant per mortem, sive etiam tunc venientes ad generalem resurrectionem, parati inventi fuerint. Hinc in Evangelio ipse dicit : *Vigilate, ne cum venerit Dominus repente, inveniat vos dormientes* (*Marc.* XIII); et alibi : *Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet* (*I Thess* V). Unde hic quoque subjungitur : *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* Vigilat, qui ad aspectum superni luminis mentis oculos apertos tenet ; vigilat (ut beatus Gregorius dicit) qui servat operando quod credit. Hæc autem vestimenta quæ vigilanti

studio monentur servari, sacramenta sunt baptismatis. Vestimenta sua conservat qui baptismum non iterat. Vestimenta etiam sua custodit qui ea quæ in baptismo promisit, implere satagit. Ista sunt vestimenta immortalitatis et innocentiæ, quibus primus homo in paradiso exspoliatus fuerat, sed iterum per occisum vitulum saginatum, id est per passionem Filii Dei, in baptismo eadem vestimenta recipit. Servat igitur hæc vestimenta quisquis gravioribus peccatis se non commaculat. Quod si hæc amitti peccatis impedientibus, et fragilitate carnis cogente contigerit, habet adhuc baptismum secundum, quo mundari possit, compunctionem scilicet fontemque lacrymarum. De quo baptismate gemino Psalmista dicit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, in baptismate primæ regenerationis, *et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI), per compunctionem cordis. Est et aliud vestimenti genus, quo vestiuntur electi, charitas scilicet, de qua dicit Jacobus : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* v). Hoc vestimento erat ille exspoliatus, quem ejecit rex a conspectu nuptiarum, sicut Evangelium testatur dicens : *Quia intravit rex ut videret discumbentes* (*Matth.* XXII). Beatus igitur qui custodit vestimenta sua, id est, fidem quam in baptismo percepit, et innocentiam vitæ, et charitatem, cæterasque virtutes, ne nudus ambulet, hoc est ne his exspoliatus, turpiter cum diabolo damnetur. *Et videant turpitudinem ejus*, id est omnibus appareat peccatum illius.

Et congregabit eos in locum, qui Hebraice dicitur Armageddon. Redit ad ea quæ superius prætermiserat de spiritibus immundis, qui processerunt ut reges totius terræ in prælium convocarent. Et quia in tribus unus intelligi debet, a plurali numero revertitur ad singularem, dicens : *Congregabit eos in locum, qui Hebraice dicitur Armagedon.* Tale est et illud Evangelii, quando dum Dominus hominem a legione liberaret, interrogavit tanquam unum dicens : Quod tibi nomen est? Cui ipsa unitas unita respondens, ait : Legio nomen mihi est. Et subdendo, multi sumus, ipsam unitatem ostendit ex multis constare. Armagedon interpretatur *consurrectio testium iniquorum*, vel *mons a latrunculis*, sive *mons globosus*. Testes iniqui omnes sunt ministri Antichristi, qui bene iniqui dicuntur, quoniam inique confitentur Christum esse Antichristum, et inique Antichristum confitentur Christum. In consurrectione testium iniquorum congregabit eos Antichristus, quia ad hoc eos ad partem suam trahet, ut contra Christum verba blasphemiæ et iniquitatis proferant. Ad istorum testium iniquorum numerum pertinent illi, de quibus Dominus dicit in psalmo : *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* (*Ps.* XXVI). Dicitur etiam Armagedon *mons a latrunculis*. Mons Christus appellatur a fidelibus, juxta quod in Isaia propheta habetur : *Venite, ascendamus ad montem Domini* (*Isa.* II). *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Mich.* IV), id est Christus qui supereminet meritis omnium electorum. Et sicut Christus appellatur a fidelibus mons, ita Antichristus appellabitur mons, id est Christus a latrunculis, hoc est a suis ministris, qui furantur fidem rectam a cordibus fidelium. Mons quoque globosus appellatur Antichristus, propter multitudinem populorum sibi adhærentium, vel quia quoscunque prava seductione illicit, globosi vocantur, quia diversos ostendit errores in suo corpore, dum hinc aperte sævit, illinc fraudulenter decipit. Quasi enim unum bellantium globum contra electos emittit, dum eos per temporalem potentiam affligit. Sed dum ejus insana potentia contemnitur, fortiorem dimittit, cum per miracula et falsa prodigia illaqueare fingit.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem. Qui est septimus ipse est et primus, quia in uno omnes intelliguntur, et in septem angelis, ut supra dictum est, omnes prædicatores Ecclesiæ figurantur, qui effundunt phialam suam in aerem, id est prædicationem suam contra dæmones, per hunc aerem discurrentes spargunt, juxta illud Apostoli : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). *Et exivit vox magna de templo a throno dicens : Factum est.* Vox ista vox Dei omnipotentis intelligitur. Templum autem et thronus unum est, id est sancta Ecclesia, quam Dominus et inhabitando præsidet, et præsidendo inhabitat. Inhabitat sicut in templo, præsidet sicut in throno. A sedente ergo in throno atque inhabitante in templo vox ista procedit, quia ejus judicio consummantur omnia. *Factum est*, inquit, id est finitum est regnum Antichristi, et completa est damnatio reproborum. Quod vero sequitur :

Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et cætera quæ sequuntur, ejusdem persecutionis tempus recapitulatum comprehenditur. Fulgura itaque miracula significant, quæ facturi sunt ministri Antichristi, ut terrorem incutiant hominibus. *Voces* autem exhortationes appellantur illorum, quibus suadebunt hominibus Antichristum credere Deum. At vero tonitrua comminationes et tormenta intelliguntur, quibus multos decipient. Terræmotus vero magnus, persecutio magna validissimaque intelligitur, unde dicitur : *Qualis* terræ motus *nunquam fuit*, id est sic magnus. *Ex quo homines fuerunt in terra.* Hoc etiam et Dominus manifestat, quando in Evangelio dicit : *Erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio sæculi* (*Marc.* XIII). Possumus et ista in bonam partem, hoc est ad prædicatores veritatis referre, qui ista omnia complebunt spiritualiter, ad confirmanda corda electorum, et terrendos animos reproborum. *Fulgura* sunt eorum miracula, quæ illuminant fideles et terrent infideles ; voces illorum exhortamenta pietatis ; tonitrua comminationes futuri judicii ; terræmotus vero motionem illorum significat, qui per eorum prædicationem ab infidelitate ad fidem moventur.

Et facta est civitas magna in tres partes. Ab exordio mundi usque ad finem sæculi duæ civitates ædificari

videntur, quarum una est Dei, altera diaboli : una quæ ab Abel justo cœpit, et ad novissimum electum tendit ; altera quæ a Cain impio initium sumpsit, et in ultimo reproborum terminabitur. Hinc autem civitas magna, civitas intelligitur diaboli, quæ magna dicitur propter multitudinem populorum, vel propter enormitatem scelerum. Hæc civitas hoc in loco in tres partes dividi pronuntiatur, non quo et ante divisa non esset, ut tunc solummodo dividatur, sed quo certum sit ex quibus hominum qualitatibus ipsa constet, hoc est paganorum in gentilitatis errore adhuc manentium, atque hæreticorum et Judæorum, qui pro uno accipiuntur, falsorum quoque Christianorum, qui in sinu Ecclesiæ modo latent : *Et civitates gentium ceciderunt*. Hic genus in speciem dividitur; nam quod superius per unam, hoc nunc significatur per plures gentium civitates. Hoc est enim una civitas Babylon, quod multæ civitates gentium, sicut hoc est una Ecclesia quod septem. Et quod dicit *civitates gentium ceciderunt*, hoc est quod in sequentibus dicitur : *Cecidit, cecidit Babylon*. Quæ licet quotidie cadat in reprobis, tamen generaliter in fine sæculi damnabitur, et cadet cum audierit a Domino : *Ite in ignem æternum. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus*. Deus omnipotens non patitur aliquam oblivionem, aut recordatur, quia immutabilis est, sed condescendit humanæ fragilitati sermo divinus, dum hos Deo dicit inesse humanos affectus, veluti patres et matres solent balbutiendo condescendere filiis, ut facilius intelligantur ab eis. Sciendum est autem quia omnipotens Deus ex quadam parte obliviscitur nunc electorum, ex quadam vero recordatur. Dum enim eos pro bonis actibus in præsenti non remunerat, quasi obliviscitur eorum : dum autem mala illorum per flagella purgat, illorum recordatur. In futuro autem judicio aliter erit, cum recordabitur bonorum illorum ad hoc, ut eos remuneret : mala vero illorum, quia hic per flagella sunt punita, oblivioni tradet; et ideo unde nunc obliviscuntur, tunc recordabuntur ; et unde nunc recordantur, inde tunc obliviscentur. At contra reprobis aliter continget, quorum Deus omnipotens in præsenti recordatur ad hoc, ut si boni aliquid faciunt, in præsenti remunerentur, non recordatur ad hoc, ut flagella pro suis sceleribus sustineant. In futuro vero judicio recordabuntur, ut pro suis peccatis igni perpetuo tradantur ; non recordabuntur ad hoc, ut pro aliquo bono opere remunerationem percipiant. Unde et hic bene dicitur : *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus*. Per calicem indignationis, pœna intelligitur infernalis, quæ omnibus dabitur reprobis cum suo capite damnatis. In hac autem pœna innumerabilia erunt tormenta, ignis videlicet, frigus, vermes immortales, et fetor intolerabilis, cæteraque hujusmodi cum densissimis tenebris, de quibus scriptum est : Inutilem servum mittite in tenebras exteriores.

Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Significant enim sanctos, qui fluctibus istius vitæ tunduntur undique, et terræ supereminentes, mente cum Apostolo cœlestia petunt : Unde Psalmista : *Levavi oculos meos in montes* ; et alibi : *Montes in circuitu ejus* (*Psal.* CXXII, CXXIV); et Propheta : *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Mich.* IV). Isti fugiunt societatem malorum non corpore, quia non possunt, sed mente. Corpore enim in medio peccatorum morantur, mente autem ab eorum consortio longe distant. Quibus per Prophetam dicitur : *Exite de illa*, hoc est de Babylone, populus meus, *et immundum ne tetigeris* (*Cor.* II). Sed quod tunc facturi sunt corpore, quando ex toto ab eis separabuntur, hoc nunc mente faciunt, quia ab eorum reproba vita longe per meritum distant. *Non sunt inventi*, id est in societate malorum non sunt per vitæ communionem reperti.

Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines Talenti genera sunt tria : unum scilicet centum vigenti librarum; aliud septuaginta duarum; tertium quinquaginta. Sed hic tantum medii talenti fit mentio, quod continet septuaginta duas libras. Quid autem per grandinem, nisi sententiam omnipotentis Dei intelligere debemus ? unde scriptum est : *Ira Domini sicut grando descendens*. Quæ bene ut talentum memoratur, quia videlicet ex septuaginta duabus linguis peccantes reprobi damnabuntur, nullusque ad mortem præscitus hanc mortem evadet. Talenti enim ponderis pro magnitudine vindictæ, ipsa grandinis ira fuisse perhibetur. Qua videlicet ira non nisi præcedentis culpæ merito infligitur. Præcedit ergo peccatum in hominibus, cujus merito grando descendit de cœlo. Descendens autem plaga magna reprobos vulnerat, quia ipsa districti judicis ira agitur, ut qui peccatum commissum manu pœnitentiæ cito non tergunt, in aliud deterius cadant. Ex illo quippe judicio, culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus et alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est simul et plaga ac pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alio cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Sed ut manifestius hoc fiat, dicamus sub exemplo : Populus Judæorum de accepta Dei lege superbiens, per tumorem cordis pervenit ad malum negationis. Si enim ex superbia qua tumuit pœnitentiam ageret, peccatum solummodo fuisset. At quia per tumorem pervenerunt ad Christi negationem, non solum peccatum est, sed peccatum simul et causa peccati, quia ex se aliud genuit. Per quam etiam causam lapsi sunt in pœnam peccati, ut qui Christum sibi promissum suscipere noluerunt, suscipiant quandoque Antichristum, ipso Domino dicente : Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, illum vos suscipietis. In tumore itaque de legis observantia Antichristi susceptione publicus Christi contemptus peccatum et plaga est, et causa peccati. Peccatum vero est per semetipsum; plaga autem peccati est, quia præcedens

culpa tumoris illud inflixit. Causa vero peccati, quia subsequentem culpam, qua diabolus in Antichristo adorandus suscipitur, ex se genuit. *Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis* Ac si diceret : Ira districti judicis actum est, ut qui veritatem non receperunt, ut salvi fierent, operatione horroris famulatum exhibeant ut pereant. Propter plagam quippe grandinis Deum blasphemare est propter præcedens peccati meritum, ira superni judicis permittente, blasphemiæ plagas incurrere, sic enim dicitur : Blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, tanquam diceretur : Ideo blasphemaverunt, quia ipsius blasphemiæ plagas a grandine incurrerunt, vel per grandinem incurrerunt ; A per grandinem validissima exprimitur tribulatio temporibus Antichristi futura. Mutato enim subito sensu, cum loqueretur de damnatione reproborum, super quos ira Dei descendit, revertitur ad tempora Antichristi, quibus tanta erit grandinis afflictio, ut multi timentes pœnas sibi præpositas recedant a fide Christi, et blasphement Deum propter plagam grandinis. Nunc autem quia finis earumdem plagarum esse affuturus dicitur, et hic liber congruo fine terminetur, propter tormenta validissima et exquisita. *Quoniam magna facta est vehementer*, ita ut nec ante talis fuerit, nec postea futura sit, sicut Dominus in Evangelio dicit : *Erit tunc talis tribulatio qualis non fuit, nec postea fiet* (*Marc.* XIII).

LIBER SEXTUS.

CAPUT XVII.

Et venit ad me unus ex septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ. Angelus in hoc loco personam gerit Christi, qui est nuntius paternæ voluntatis ; Joannes autem typum tenet Ecclesiæ. Quod dicitur Joanni ab angelo, dicitur quotidie omni Ecclesiæ a Christo. Ubi notandum quod et angelus ut Joannem doceat venit, et idem Joannes ut docendus veniat, invitatur. Venit angelus ad Joannem, id est Christus ad Ecclesiam, quando sive per internam inspirationem, sive per doctrinam apostolorum et cæterorum sanctorum eam invitat Christus ad consideranda tormenta reproborum, justo Dei judicio parata. *Veni*, inquit, gressibus fidei et intelligentiæ, et considera damnationem meretricis magnæ, id est : attende damnationem reproborum. Venit Joannes, quando sancta Ecclesia præbet assensum, et intelligens verba doctorum, sive admonita inspiratione divina, considerant supplicia reprobis ventura. Porro meretrix hic Babylon intelligitur, id est omnis multitudo reproborum ; sive per angelum qui invitat Joannem, intelligitur præcedens ordo doctorum, qui fuit in apostolis, martyribus, et cæteris Ecclesiæ principibus : per Joannem vero subsequens Ecclesia. Invitat itaque angelus Joannem ut veniat, et videat damnationem perfidæ civitatis, quia illi doctores qui præcesserunt, damnationem reproborum omnium suis sequacibus ostendere studuerunt, quatenus dum malos in hac vita florere, seque conspiciunt egere, ex eorum prosperitatibus nihil concupiscant, dum attendunt quæ mala illis immineant. Unde Paulus apostolus dicit : *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis* (*Philip.* III). Duæ autem civitates sunt in hoc mundo cum suis regibus, sicut supra dictum est; id est Jerusalem et Babylon, cum Christo et diabolo. Quarum una constituta est supra firmam petram, altera autem supra arenam, atque idcirco una manet, id est civitas Christi, altera cadit, id est civitas diaboli. Quæ meretrix nuncupatur, quia veluti mulier B meretricatur, quando super virum suum introducit alienum, et prioris sponsi fœdera irrita facit, ita omnis multitudo malorum et facit et fecit, quando relicto Creatore dæmonibus se prostituit construpandam. Relinquit enim Deum suum, qui est vir animæ, et jungit se adultero, id est diabolo, idola colendo, vel plus terrena quam cœlestia diligendo, sive etiam immunditiæ carnis serviendo. Et quia maxime per carnis libidinem, quæ mater est omnium vitiorum, genus humanum perit, idcirco ipsa malorum multitudo meretrix vocatur. *Quæ sedet super aquas multas.* Quia enim aquæ multæ, sicut in sequentibus legimus, populi multi sunt ; sedere super aquas multas, nihil est aliud quam regnare super populos multos, quia videlicet luxuria carnis multis dominatur, C et multos ad suam miseriam trahit, sed tamen diverso modo. Hinc est quod Dominus loquens ad beatum Job de diabolo, dicit : *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus* (*Job.* XL). Seminarium, quippe coitus virorum in lumbis est, mulierum autem in umbilico. Quando ergo viros decipit, in lumbis virtutem habere dicitur : quando autem feminas, in umbilico. Nam quod viris in lumbis sit seminarium, Deus manifestat, qui dicit fidelibus : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). Et Paulus de Levi, qui adhuc in lumbis erat Abrahæ, quando obtulit ei decimas Melchisedec Quod feminis in umbilico, Propheta manifestat, qui sub figura mulieris meretricis loquitur ad Jerusalem : *In die* (inquit) *ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI). Umbilicum quippe in die D ortus præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia ergo diabolus utrumque sexum decipit, recte in lumbis vel in umbilico virtutem et fortitudinem habere dicitur. Sed sciendum quia, propter diversitatem causarum, diverso modo hoc facit, sicut supradictum est ; verbi gratia, sunt quidam qui virginitatem suam Deo devoverunt, sicut monachi, canonici, et cæteri in gradu ecclesiastico positi, quam si postea concupiscentia carnis illecti corruperunt, deterius peccant, quam si hæc nunquam professi

fuissent. Sunt quidam conjugati, qui relinquentes proprium thorum, alienum violant, et adulterium perpetrant; et isti gravius peccant quam hi qui proprias uxores non habent. Tale genus est eorum qui incesta perpetrant cum propinquis, aut sororibus, sicut fecit Ammon cum sorore sua Thamar. Sunt et alii (quod est sceleratius et gravius) relinquentes naturalem usum feminæ, cum masculis se miscent vel pecudibus. Et licet genus humanum in multis offendat Deum, tamen in nullo gravius agit quam in isto quod contra naturam gerit. Quia ergo fornicatio, quæ est mater omnium vitiorum, in reprobis potestatem exercet, recte meretrix super aquas multas sedet. Et hæc quidem fornicatio ad concupiscentiam carnis, spiritualis vero pertinet ad concupiscentiam oculorum et in his omne peccatum agitur juxta illud: *Omne quod in mundo, est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum* (I Joan. II). De hac spirituali fornicatione Psalmista dicit: *Perdes omnes qui fornicantur abs te* (LXXII). Et breviter dicamus: quisquis plus terrena quam cœlestia, et ea quæ sunt in mundo concupiscit, fornicationem perpetrat.

Cum qua fornicati sunt reges terræ. Ipsi qui sunt reges terræ, ipsi sunt et meretrix; sed propter distantiam præpositorum et subjectorum dividitur in regibus, in terram inhabitantibus, cum tamen ipsi reges sint inhabitantes terram, hoc est, terrena diligentes, libidini servientes. Ipsi reges itaque fornicati sunt cum meretrice, hoc est cum seipsis, terrenos honores et voluptates appetendo et immunditiam carnis sectando, quia quo amplius comedunt et bibunt, eo amplius luxuriantur, unde et seipsos ipsum corpus meretricis efficiunt, juxta quod Apostolus dicit: *Nescitis quod hi qui adhærent meretrici, unum corpus cum ea efficiuntur?* (I Cor. VI.)—*Et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.* Per reges principes mali intelliguntur, per inhabitantes terram subjecti illorum qui inebriantur vino fornicationis, hoc est omnibus peccatis replentur; et reges sunt malorum auctores, inhabitantes vero terram, imitatores eorum accipiuntur. Recte autem incentiva carnis et fornicationis vino comparantur ebrietatis. Vino enim ebrius ita insensibilis efficitur, ut non solum animæ, sed etiam periculum mortis non trepidet, unde et audacter se in mortem mittit. Sic nimirum libido hominis sensum et rationabilem intellectum aufert, ut non metuat damnationem inferni, ideoque et audacter etiam contra suam conscientiam malum operatur, nec timet etiam pro peccato damnari, quod non potest prævidere, quia ipsum peccatum aufert illi rationabilem sensum.

Et abstulit me in desertum in spiritu. Hic manifeste ostenditur, quia hæc omnia beatus Joannes non corpore vidit, sed spiritu et mentis intellectu. Desertum, in sacro eloquio, aliquando significat cœlum, aliquando corda sanctorum, aliquando Deum omnipotentem, aliquando corda reproborum. Cœlum significat desertum, ut est illud in Evangelio: *Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ erraverat quærere* (Matth. XII)? qui videlicet tunc homo cœlum deseruit, quando peccavit. Corda sanctorum significat, ut est: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (Psal. LIV), id est, in secreto mentis. Sancti enim removent se ab omnibus istius sæculi curis, et efficiuntur ab his sollicitudinibus desertum, in solitudine suæ mentis a sæculi actibus vacantes. Aliquando Deum, ut illud Jeremiæ: *Quis dabit me in solitudine diversorum viatorum?* (Jer. IX.) Significat quoque desertum corda reproborum, ut est illud: *Quomodo sedet sola civitas plena populo* (Thren. I)? Si enim sola, quomodo plena? aut si plena, quomodo sola? sed sola, id est sine Deo. Hinc et Joannes dicit: *Vox clamantis in deserto; dirigite viam Domini* (Joan. I). Jure enim vocantur desertum hi quos omnipotens Deus per gratiam non inhabitat. In hoc autem loco desertum intelligere debemus corda reproborum; absentia Divinitatis vacua. Angelus vero personam Christi gerit, ut supra, Joannes personam Ecclesiæ; quæ in desertum ducitur, quando sive per internam inspirationem; sive etiam per prædicationem doctorum ad considerandā reproborum merita trahitur, et propter eorum perversa opera justam illorum inspicit damnationem futuram. *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Ipsam vocat mulierem, quam paulo superius appellavit meretricem, id est omnium malorum congregationem. Bestia autem diabolum significat, super quem omnes reprobi sedent, qui eo hortante per diversa vitia currunt. Sicut enim civitas Dei super Christum est ædificata, sic illa civitas reproborum super diabolum. Quæ recte meretrix appellatur, ut ostendatur ex qua parte regnum diaboli amplius prævaleat. Bene etiam mulier dicitur, quia a muliere peccati sumpsit initium, per quam etiam, ut Scriptura testatur, morimur omnes. Super bestiam hæc mulier sedet, quia diabolo ducente prona fertur ad peccandum: ut verbi gratia, quando quilibet homo pergit ad interficiendum Dei servum, aut succendendam Ecclesiam, sicuti modo faciunt hi, qui nostro tempore paganis sunt juncti, diabolus eum portat cui ipse insidet. Quod autem bestia coccinea dicitur, tam ad diabolum quam ad omne ejus corpus refertur: sive propter peccata innumerabilia, quibus est cruentatum; sive propter sanguinem sanctorum, quem fuderunt; sive etiam pro eloquiis divinarum Scripturarum male intellectis. De qua adhuc subditur: *Plenam nominibus blasphemiæ.* Ac si diceret: Nulla pars in ea blasphemiis vacat, quia voce simul et opere Deum et servos ejus blasphemat. Magis autem hoc fiet, postquam ille damnatus homo regnare cœperit, qui se Christum dicet esse, cum sit Antichristus. Tunc enim omne corpus illius maxime Deum blasphemabit, quia omnia quæ ante se fuerunt, dicet fuisse contraria, affirmans Christum fuisse Antichristum, apostolos illius pseudoapostolos et Antichristi ministros: et quidquid modo tenemus in veritate, totum ille et mem-

bra ejus negabunt, et mendacium fuisse dicent. *Habentem capita septem et cornua decem.* Per septem capita (ut supradictum est) omnes reges mali, qui fuerunt ab exordio mundi usque ad finem sæculi, intelliguntur ; quia septenarius numerus universitatem solet ostendere. Per decem autem cornua, omnia regna diabolo et Antichristo subjecta, unde et Daniel dicit: *Bestia quarta quartum regnum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis* (*Dan.* VII) Porro decem cornua ipsius regni decem reges erunt, quos videlicet hæc Apocalypsis in septem bestiæ capitibus ac decem cornibus commemorat. Et ipsi enim reges et regna, pars bestiæ sunt, quia Christum blasphemant et voce et opere. Unde Joannes idem in Epistola sua dicit : *Omnis spiritus qui solvit Jesum* in carne venisse, *ex Deo non est; et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam veniet, et nunc jam in mundo est* (*I Joan.* III); et alibi: *Nunc multi antichristi facti sunt.* Nec mirum si hoc significent septem capita, quod decem cornua, cum mulier meretrix, et aquæ multæ, et bestia, hoc totum unum corpus esse ostendatur; propter diversitatem enim scelerum nunc in septem bestiæ capitibus, nunc in decem cornibus, ipsa bestia dividitur quæ et fraude decipit, et vi premit ; in virtute, scilicet per apertam potentiam, in signis vero et prodigiis mendacibus ac seductione iniquitatis, per hypocrisim simulatæ virtutis. Quod et generaliter de omni corpore malorum intelligere debemus, quamvis quidam hoc referant ad Neronem, asserentes eum ab inferis resuscitandum, et regnum futurum accipiendum.

Et mulier erat circumdata purpura et cocco, et in aurata auro, et lapide pretioso, et margaritis. Purpura regum est indumentum, et tingitur sanguine piscium maritimorum. Quid itaque per purpuram qua circumdabatur mulier debemus intelligere, nisi fucum regiminis? Quod enim Ecclesia habet in veritate, hoc isti simulate habebunt. Ecclesia namque habet purpuram et coccum, id est regiam dignitatem, quia habet regem Christum, et habet ex se etiam reges plures, quoniam et ipsa Ecclesia regnat per Christum. Est enim genus electum et regale. Sed ista mulier meretrix, id est omnis multitudo malorum, dicit se habere purpuram cum non habet, id est se fingit habere reges, sicut fuit Nero, Domitianus, et cæteri malorum principes qui divitias istius sæculi, quæ malorum animos illiciunt, habuerunt ; sed hi tales non fuerunt reges, quia neque se, neque alios bene regere potuerunt, quin potius et ipsi vitiis servierunt, et alios suo exemplo ad vitia perpetranda traxerunt. Habet quoque Ecclesia inauratam vestem, id est charitatem, sive etiam sapientiam de qua scriptum est: *Accipite sapientiam sicut aurum;* et Psalmista: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato* (*Psal.* LXIV). Ita et hæc mulier meretrix, cum sit stultissima, adhuc ut negligat quæ sibi in futurum prospera succedere debeant, dicit se esse sapientem, et gloriatur in libris philosophorum, et sapientia humani verbi. In lapide pretioso et margaritis virtutes significantur sanctorum, id est fides, spes, charitas, humilitas, mansuetudo et cæteræ hujusmodi, quibus ornantur fideles. Quæ ornamenta cum sola habeat Ecclesia, fallaciter sibi usurpare nititur hæc mulier perversa. Idcirco se hoc habere simulat quod non habet, ut quos non potuerit per potentiam trahere ad errorem, decipiat per simulatam sanctitatem, et fraudem verisimilem. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus.* Ipsa meretrix est poculum aureum propter simulatam sanctitatem, quam prætendit exterius, cum sit interius plena omni iniquitate et abominatione, unde et Jeremias dicit : *Calix aureus Babylon in manu Dei* (*Jer.* LI). Aurum enim simulatæ sanctitatis se per hypocrisim fingit, ut facilius ad immunditiam fornicationis quemlibet bibendum invitet. Talibus Dominus dicit : *Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis* (*Matth.* XXIII). Abominari quippe est abjici. Unde et in Psalmo dicitur : *Virum sanguinem et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* V). Hæc ergo mulier plena est abominatione, hoc est plena est operibus nequitiæ, pro quibus digna est abominatione, hoc est abjectione, quod statim manifestatur, cum subditur: *et immunditia fornicationis ejus.* Ponitur hic fornicatio, quæ est radix omnium malorum, pro omnibus peccatis.

Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna mater fornicationum et abominationum terræ. Per frontem Babylonis, manifestatio designatur operis. Unde Dominus dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Nam quia Babylon, id est multitudo reproborum per hypocrisim simulat se esse quod non est, id est ostendit se aureum calicem, cum sit plena iniquitate et abominatione, ne superstitio erroris pallio simulationis falleret incautos, ex titulo frontis solliciti redduntur, cum ibi Babylon, id est *confusio*, scribitur. Unde videndum quare ipsum nomen mysterium appelletur. Mysterium quippe occulta res esse dicitur in qua aliud videtur, aliud intelligitur. Opera quippe Babylonis quibusdam sunt in fronte, quibusdam in mysterio. Simplicioribus quidem qui ea prævidere et intelligere non possunt, mysterium est, quia occulta sunt eis, quæ a multitudine reproborum gerantur interius. Perfectioribus autem in fronte nomen suum ostendit, quia ejus omnia opera facile cognoscunt. Et ideo nomen ejus in fronte quidem est, sed tamen in mysterio scribitur; quia quibusdam in aperto ostenditur, quibusdam in mysterio clauditur. Magna dicitur Babylon propter multitudinem reproborum, vel propter enormitatem scelerum. *Mater fornicationum,* id est radix omnium malorum ; nam et peccatum a muliere cepit initium, quæ suscepit semen diaboli, quasi adulteri, id est pravam ejus suggestionem, et peperit peccatum, contemnens præceptum Domini, quæ etiam postea virum decepit, et sic semen peccati ad nos usque transmisit. Ambo ergo peccati genitores fuerunt, quia adulter et meretrix unum corpus effici

meruerunt Vel certe mater fornicationum, præcedens generatio intelligitur, quæ imitatione perversa et exemplo malo malos reliquit imitatores. Sicut enim semen justorum imitatores dicuntur bonorum, unde est, *Generatio rectorum benedicetur* : et sic semen impiorum dicuntur illorum imitatores. Ideoque Babylon in auctores transgressionum mater appellatur fornicationum.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Quod vidit Joannes, videt omnis Ecclesia, cujus ille figuram gerebat. Dicit ergo : *Vidi mulierem*, id est malorum congregationem, *ebriam de sanguine sanctorum*, id est repletam vindicta de sanguine sanctorum, *et de sanguine martyrum Jesu*. In hoc versu tam Judæi quam etiam gentiles comprehenduntur : illi enim fuderunt sanguinem prophetarum, isti autem apostolorum et cæterorum martyrum. Ideoque vindictam effusi sanguinis tam Judæi quam gentiles sustinebunt. Unde Dominus dicit in Evangelio : Amen dico vobis, requiretur sanguis omnium qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ a generatione hac pessima (*Luc.* XI). Vel certe, sicut supra dictum est, sanguis prophetarum, spiritualis illorum intelligitur sensus, quem qui male interpretando pervertere in carnalem sensum non metuunt, sicut faciunt Judæi, vindictam effusi sanguinis sustinebunt, quando quidquid vitale habent, perdent. *Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna*. Sic et sancti dum considerant quotidie damnationem reproborum omnium mirantur, cur miseri non considerant, quæ tormenta sibi immineant.

Et dixit mihi angelus : *Cur miraris?* Sic etiam dicitur Ecclesiæ a Christo per internam inspirationem : Cur miraris tormenta reproborum et supplicia, quæ illis sunt futura justo Dei judicio ? *Ego tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam*. Id est, ego tibi ostendam quid significet illa mulier, et quid bestia, et manifestabo etiam illorum damnationem. *Quæ habet capita septem, et cornua decem* ; id est omnes reges reprobos, et omnia illi regna subjecta.

Bestia quam vidisti fuit et non est. Bestia diabolus est, sicut sæpe dictum est, qui fuit ab exordio sæculi in hoc mundo, ibique tenuit principatum usque ad Domini adventum. et in cordibus hominum male potiebatur potestatis imperio. Sed postquam Christus venit, et in sua morte mortis destruxit imperium, abstulit ei potestatem. et ejecit eum foras, ideoque jam non est, quia comparatione prioris potentiæ, præsens illius potestas nulla est. Fuit ergo in præcedentibus membris, non est in sequentibus. *Et ascensura est de abysso*, hoc est, de profunditate perfidiæ Judæorum nascetur, juxta illud : *Fiat Dan coluber in via (Gen* XLIX). Notandum autem quod dicit ascendet, quia videlicet ab ipsa sua infantia elevabitur, extollens se super omne quod dicitur deus, aut quod colitur. *Et in interitum* ibit, id est in damnationem perpetuam. Juxta illud : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Quod et generaliter de omni corpore malorum intelligere debemus, quamvis quidam hoc referant ad Neronem, asserentes eum ab inferis resuscitandum, et regnum futurum accipiendum. *Et mirabuntur inhabitantes terram*. Inhabitantes terram, reprobi intelliguntur, qui mente terram inhabitant, et terrenis rebus inhærent per desiderium animi. Hi cum viderint damnatum diabolum, cui crediderunt, quia maxime hoc ad eos pertinet qui Antichristum pro Deo sunt recepturi, admirabuntur dicentes ad invicem : *Hæccine erat spes nostra* (*Isai.* XX)? Et ad ipsum se convertentes dicent : Ecce qui te putavimus Christum, decepti sumus, dum modo te damnari videmus. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi.* Liber vitæ jus divinitatis est, id est præscientia et prædestinatio omnipotentis Dei. Hi enim qui Antichristum sequentur non sunt ad vitam prædestinati, id est præordinati, quia ex his nemo peribit, quos ab initio mundi Deus salvandos prædestinavit, de quibus Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri* claritatis suæ (*Rom.* VIII). Novit enim Deus quibus dicturus est : *Ite in ignem æternum;* et quibus : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXI). *Videntes bestiam*, id est diabolum. *Quæ erat* in potentia magna ante adventum Filii Dei. *Et non est*, quia ablata est ei potestas, sicut supra dictum est, per passionem Filii Dei; vel fuit, quia in membris suis jam apparuit, et non est, quoniam adhuc membrorum caput per semetipsum necdum apparuit.

Et hic est sensus : Qui habet sapientiam, hoc est, intellectus est illi necessarius in hoc loco. Qui habet sapientiam, hoc est intelligentiam. *Septem capita, septem montes sunt, super quos sedet mulier et reges sunt septem*. Frequenter dictum est, in unaquaque specie genus plerumque posse inveniri, sicut hic. Quod enim bestia, hoc septem capita, et septem montes, septemque reges, id est universa malorum pars, quæ in præpositis tanquam in regibus constat, et subjectis plebibus.

Quinque ceciderunt. In quinque regibus accipe quinque sensus corporis, qui infantiam nostram regunt, quia naturaliter lenia tactu appetimus, sapora amamus, canora et consona quærimus, odoriferis delectamur et pulchris visu. Reliqua his contraria omni modo refugimus, quæ sunt amara, dissona, fetida, aspera et turpia. Accedente vero ætate matura, hi quinque reges superius dicti desinunt, et succedit alius rex, aut intellectus, aut error. Hi sunt etiam quinque viri, de quibus Dominus Samaritanæ dicit : *Quinque viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir* (*Joan.* IV), quia error dominatur tui. Quod diximus de unoquoque, hoc etiam generaliter de genere humano intelligi potest, quia et unumquemque nostrum, et etiam totum genus humanum in tenera ætate, hi quinque sensus regunt. Adveniente autem matura ætate, succedit aut intellectus legitimus vir, aut adulterinus, qui est error. Iste est rex de quo loquitur sermo divinus : Unus,

inquit, est, ac si dicatur : Et ad perfectam ætatem intelligendi pervenerunt, et tamen errorem, suum super se regnare voluerunt. Et iste est rex totius corporis diaboli, quisquis talis est ; unde de quibusdam Deum cognoscentibus, et tamen errorem sequentibus dicit Apostolus : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt* (*Rom.* i) in vanitatibus suis, etc. Quod autem sequitur, *alius nondum venit*, ad residuum corpus Antichristi pertinet, vel ad ipsum Antichristum, qui licet modo regnet in membris, tamen amplius et manifestius regnaturus est per seipsum. De quo sequitur : *Et cum venerit, oportet illum brevi tempore* regnare, id est, tribus annis et dimidio. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur* (*Matth.* xxiv.)

Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava est, et ex septem est. Bestia quæ erat in prioribus membris diaboli, in præcedentibus et subsequentibus, cum ipsa quæ non est adhuc, sed ventura est, sicut diximus, juncta fuerit corpori suo, hoc est Antichristo, in novissimo tempore. Et septima erit, quia de eodem genere ; et octava erit, quia septuplum transcendit malitiam et hypocrisim membrorum diaboli, qui nunc sunt vel fuerunt. Ad nihil enim aliud appellavit octavam, quæ septima erit, nisi ut ostenderet quia septies tantum tunc dominabitur Antichristus in corpore suo, cum solutus fuerit, quamque nunc faciat Sicut et Dominus dum in Evangelio de uno maligno spiritu loqueretur, ut ostenderet quia pro septem unus est, statim subnectit : *Tunc*, inquit, *vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se* (*Luc.* xi). Qui utique non diceret *septem alios*, nisi in uno etiam septem voluisset intelligi. *Et in interitum vadit.* De eodem corpore diaboli dicit, quod proculdubio cum capite suo peribit cum dies judicii advenerit, dicente Domino : *Ite in ignem æternum*, etc.

Et decem cornua quæ vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt. Temporibus Antichristi decem regna erunt in terra, sicut liber Danielis prophetæ testatur, sed sicut idem Daniel dicit, quartum regnum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit et comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, e quibus ille tres interficiet, regem videlicet Ægypti, regem Africæ, et Æthiopiæ, cæteri autem subdent se illi *Et potestatem tanquam in reges una hora accipient post bestiam.* Una hora intelliguntur tres anni et dimidius, quibus ipsi cum capite suo regnabunt. Post bestiam, id est, secundi ab eo in honore et dignitate erunt, accepta ab ipso capite. Et illi quidem reges jam regnant in avis et proavis, id est in suis similibus, sed tamen ad comparationem illius extremæ potentiæ, necdum perfecte regnum acceperunt, sicut et regnum Ecclesiæ : erat quidem ante adventum Redemptoris in mundo, sed tunc amplius surrexit, cum caput ejus in carne apparuit. Sed hanc potestatem post bestiam, id est, in subjectione illius tanquam membra, et illi subditi accipient.

Hi unum consilium habent. Contra Christum et membra illius, ut negent Christum, et confiteantur Antichristum. Sed consilium bestiæ destruet Agni innocentia, juxta illud : *Dominus dissipat consilia gentium* (*Psal.* xxxii). — *Et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent*, id est, quidquid virium et fortitudinis habent, ipsi tribuent dicentes : Tibi gratias agimus, quia quidquid habemus, a te accepimus.

Hi cum agno pugnabunt, et verbo et opere, ut fideles a fide illius separent ; *et Agnus vincet illos*, quia constantiam dabit suis, ut ante possint occidi, quam a fide Christi separari, qui dicit : *Gaudete, quia ego vici mundum* (*Joan.* xvi). Vel vincet eos quando damnabit illos cum capite suo diabolo. *Quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum.* Ac si diceret : Etsi reprobi gloriam filiorum Dei amittent, tamen dominium ejus non evadent, sed semper eum Dominum sustinebunt ; utitur enim eis ad utilitatem sanctorum, etiam cum pugnat adversus eorum perfidiam. Secundum hunc sensum Nabuchodonosor servus Dei vocatur, et spiritus etiam malus Domini spiritus dicitur. Malus scilicet a se, Domini autem spiritus, quia a Deo creatus, et potestati illius subjectus. *Et qui cum illo sunt electi et vocati et fideles*, subauditur propterea reges exsuperant. Electi in Dei prædestinatione ante mundi constitutionem vocati per apostolorum prædicationem, fideles per bonorum operum exsecutionem.

Et dixit mihi : Aquas quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguæ. Hic exponitur quod superius fuerat præmissum, quod scilicet bestia super aquas multas sedet. Quæ aquæ multæ, sicut hic dicitur, populi multi sunt, ex omnibus gentibus et populis et linguis a diabolo decepti, maxime per libidinem, quæ est mater omnium malorum. Meretrix enim super aquas sedet, quia dominationis regnum libido vitiorum in reprobis tenet. Vel certe quia ipsum regnum antiqui hostis ex multitudine populorum in fastu superbiæ elevatur, ideo meretrix super aquas multas sedere dicitur.

Et decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam. Cum ipsa regna, quæ per cornua designantur, ut supradictum est, sint bestia, id est omne corpus diaboli, et ipsa bestia sit meretrix, id est omnis multitudo reproborum, decem cornua, vel bestia, odient fornicariam, hoc est, ipsi reprobi odient seipsos. Quod tripliciter potest intelligi ; dum enim reprobi mali opera faciunt, seipsos odiunt, quia scriptum est : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam ; quia unde reprobi se amant voluntates sequendo, inde odisse se convincuntur. Quisquis enim diligit iniquitatem, odit animam suam ; quoniam male amando animam suam, odit justitiam, et ideo aptat animam suam ad suscipiendam futuræ famis miseriam. Aliter : reges et bestia odient fornicariam, quoniam amatores hujus sæculi odio se invicem persequuntur, quia si quis alium vi-

det ad altiora ascendere, quo ipse non potest, odio illum insequitur, quoniam semper inter superbos jurgia sunt. Hinc Paulus apostolus dicit : *Invicem* invidentes, *invicem* odientes (*Galat.* v). Vel certe cum viderint se miseri in judicio constitutos et damnatos, odient seipsos quod peccaverunt et post peccatum pœnitentiam non egerunt. Sed nihil proderit tunc odisse malum quod fecerunt, quando ipso malo carere non poterunt. *Et desolatam facient illam.* Hoc est, seipsos facient extraneos a Deo propter peccata præterita. Jam enim cum illis Deus non habitabit, qui est pacis et charitatis habitator. Hinc est quod Jeremiam lamentabili voce clamasse legimus: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? (Jer.* IX). *Et nudam* facient illam, subauditur a superioribus. Vestimenta fidelium sunt sacramenta baptismatis, charitatis, atque innocentiæ. Sed his vestimentis se nudant, quicunque baptismum iterant, vel se gravioribus criminibus maculant, et charitatis jura violant. Sunt autem et quidam, qui etiam in præsenti his vestimentis sunt nudi, sicut Judæi et pagani, qui neque baptizati sunt, neque charitatis mandatum custodiunt. Falsi quoque Christiani etsi habere videntur hæc vestimenta, tamen in judicio cum illis nudi reperiuntur, quia ea quæ habuerunt, male vivendo amiserunt. Pariter ergo nudi reperientur, quia reproborum corpus ex apertis infidelibus et falsis fratribus construitur. *Et carnes* suas *commanducabunt*, Isaias propheta dicit de reprobis, quia *ignis eorum non exstinguetur et vermis eorum non morietur (Marc.* IX). Ipsi ergo carnes suas commanducabunt, quia pœnis semper pascentur, semperque eos vermes comedent, et nunquam ad defectum, cum jugiter defecerint, pervenient. Et dum vermibus æternaliter pastum præbebunt, quasi igni carnes suas manducabunt, quia pœnam carnium suarum sustinebunt. Manducant enim carnes suas æterno supplicio dediti, sed alienis dentibus, non suis, vermium scilicet immortalium, quos ipsi ad devorandum suis iniquitatibus exacuent. *Et ipsam igni concremabunt*, quia malis operibus deserviendo, ipsi sibi æternum incendium quo crucientur, præparaverunt, seque ultro pravis actionibus eisdem incendiis præcipites dederunt. Dum ergo suis iniquitatibus, quasi quibusdam lignis ignem quo comburuntur accendunt, ipse se concremant. Sic enim usitata locutione quod in ipsis contigerit, reprobi facere perhibentur, sicuti nos quemlibet seipsum interfecisse dicimus, qui periculum mortis cum posset non declinavit, vel seipsum incendisse, qui semet volens in ignem præcipitem dedit.

Deus enim dedit in cordibus eorum, ut faciant quod illis placitum est. Sæpe Deus omnipotens iratus pro præcedentibus hominum peccatis, permittit eos facere unde illum amplius offendunt. Hinc est quod de quibusdam dicitur veritatem non recipientibus : *Propter hoc dedit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt (Rom.* I). Hinc etiam dicitur indurasse cor Pharaonis, quod non merebatur emolliri. Dedit ergo Deus in cordibus infidelium, propter præcedentem eorum infidelitatem, ut faciant quod illis est placitum. Quod quid sit, statim aperit cum subjungit : *Ut dent regnum suum bestiæ.* Gratias illi agentes, et honorem et fortitudinem suam illi tribuentes, quasi ab ea perceperint omne quod habent. Non autem fuit Dei voluntas, qui nullam injustitiam vult, cui Psalmista dicit : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, ut reprobi contra Deum pugnantes, regnum suum bestiæ traderent, sed præcedentium iniquitatum illorum merita exigunt ut reprobi in errorem a Deo ire permissi ita ambulent, ut misericordia parcentis non salventur, sed justitia punientis damnentur. Ac si diceret : Exigentibus illorum meritis, ita Deus eorum corda permisit obscurari, ut sic agerent, et hoc tam diu, *donec consummentur verba Dei.* Id est, donec opere compleantur omnia, quæ ante sunt prædicta. Quo in loco quæstio oritur, quare Dei verba consummare dicantur, cum ipse Dominus in Evangelio dicat : *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transient (Matth.* XXIV). Sed sciendum quia ad aliquid verba Dei consummantur, ad aliquid non transeunt. Consummantur ad hoc, ut quæ promissa sunt opere compleantur : non transeunt vero, quia ea quæ loquuntur, æternaliter perseverant. Sermo enim Dei sententias in æternum mansuras explicat. Prædictum est enim de Christo, quod veniens ad judicium, statuet a dextris oves, hœdos autem a sinistris, et dicet rex his qui a sinistris erunt : Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc., usquequo dicet illis : *Discedite a me qui operamini iniquitatem (Matth.* VII). Consummabuntur hæc Dei verba, cum ipse veniens ad judicium dicet reprobis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, etc. *Tunc ibunt hi in supplicium æternum (Mat.* XXV). Promisit et sanctos statuendos ad dexteram, et gloriam se his daturum. Consummabuntur hæc Dei verba, cum audierint : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. Sic namque dicitur, *donec consummentur verba Dei*, tanquam diceretur : Usquequo boni et mali recipient secundum quod eloquia Dei promittunt ? *Et mulier quam vidisti est civitas magna*, id est omnis malorum multitudo. *Quæ habet regnum super reges terræ.* Quia maxime malorum multitudo in regibus et hujus sæculi principibus in superbiam elevatur. Sic enim dicitur, civitas magna habet potestatem super reges terræ, tanquam diceretur : Ipsum sæculi regnum in cunctis superbiæ potentibus regnat.

CAPUT XVIII.

Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cælo. Sic videntur hæc verba sonare, quasi spatium aliquod fuerit in hac revelatione inter visionem, sed non est ita. Uno enim die hæc omnia vidit beatus Joannes, id est, die Dominico. Sic quippe dicitur, *vidi alium*, quasi diceret. vidi aliam visionem. Unus itaque angelus fuit, qui has visiones manifestavit, sed propter aliam visionem alium se vidisse angelum dicit. Sic et nos de quolibet dicimus : Alius mihi videbaris, cum illa et illa verba diceres : aliud

nunc appares, cum dissimilia loqueris. Post hæc, inquit, id est, post præcedentem visionem, vidi alium angelum de cœlo descendentem. Iste angelus Christus est, qui est nuntius paternæ voluntatis, et qui vitam æternam suis nuntiat quotidie fidelibus. Quo in loco quæritur, quomodo descendisse de cœlo eum Joannes vidit, cum Filius Dei in divinitatis substantia cum Patre et Spiritu sancto ubique sit, juxta quod ipse per prophetam dicit: Cœlum et terram ego impleo. Et iterum : Extra cœlum et terram locus non est, ubi non sit Dominus. Sed descendit de cœlo, non quo de loco ad locum transiret, sed quando in utero virginali suscepit animam et carnem, ut posset videri in nostra, naturaqui invisibilis erat in sua. Descensio ergo illius nihil est aliud quam carnis assumptio, de quo Paulus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (Philip.* II).— *Habentes potestatem magnam.* Hæc potestas ad utramque ejus naturam potest referri, et ad divinam scilicet et humanam. Fuit enim hæc potestas in ipso per divinitatem sine tempore, ante omnia sæcula, quia sicut cum Patre et Spiritu sancto cuncta creaverat, ita cum Patre et Spiritu sancto omnia possidebat. Hæc etiam potestas data est ei in tempore, quando post triumphum resurrectionis *data est ei potestas in cœlo et in terra, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Ibid.*). De hac enim ipse resurgens a mortuis dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* De illa vero quam ante tempora habet cum Patre, Daniel dicit : Potestas ejus, potestas æterna; *et terra*, id est, Ecclesia electorum *illuminata est a gloria ejus*, id est, a potestate ejus. Ipse enim tenebras infidelitatis et ignorantiæ et peccatorum evacuavit a cordibus fidelium, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde scriptum est : *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (Is.* IX). Nam et ipse de seipso dicit: *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi (Joan.* IX). Et alibi de eo scriptum est: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (Joan.* III). Quia iste angelus ad destruendam venit potentiam diaboli, recte fortis perhibetur, utpote contra fortem fortior, contra robustum robustior advenisse insinuetur. Quia vero ad evacuandam humanam sapientiam accessit, bene terra a gloria illius illuminata pronuntiatur, ac si diceretur: Contra tumentem sæculi potestatem magna potestas, contra falsæ doctrinæ tenebras veræ scientiæ lux apparuit. Potest etiam et iste angelus intelligi primus ordo prædicatorum, qui fuit in apostolis et apostolicis viris. Nam et per ipsos loquebatur Christus, qui est magni consilii angelus. Hinc est quod Joannes *vox clamantis* Christi dicitur. Et Paulus dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? (II Cor.* XIII). Qui angelus de cœlo descendisse dicitur, quia quidquid sancti prædicatores habent, seu in doctrina, seu in opere, cœlitus illis datum est. Hinc etenim Jacobus dicit : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Ipse quoque habet potestatem magnam, quam ab ipso suo capite percepit, quando Petro, qui est princeps prædicatorum, dictum est : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (Matth.* XXIII). Et terra, hoc est, Ecclesia illuminata est a majestate ejus, quia sua prædicatione totum mundum infidelitatis circumdatum tenebris, repletum lumine fidei, quando prædicaverunt ubique, incipientes ab Jerusalem, et pervenientes usque ad terminos universæ terræ, quoniam ante defecit eis terra quam lingua. Hinc Psalmista dicit : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc. (*Psal.* XVIII).

Et exclamavit in forti voce *dicens*. Fortem vocem intelligimus prædicationem Christi, qui ait : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Quæ scilicet vox ab ipso Domino, postea per apostolos totum orbem clamore complevit. Et vox ista fortis fuit, quia fortissima limina regni gentium destruxit. *Cecidit, cecidit Babylon.* Postquam in superbiam se erexit. Unde est: *Dejecisti eos dum allevarentur (Ps.* LXXII), vel cecidit jam in Dei præsentia. Novit enim Dominus, qui pertineant ad Babylonem, et casuri sunt in perpetuam damnationem. Qui etiam jam ceciderant in capite suo de cœlo, qui per superbiam ab illa cœlesti ædificatione irreparabiliter corruit. *Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus, immundi et custodia omnis volucris immundæ.* Quantum ad litteram pertinet, hoc de Babylone dicit, quæ capta a Medis et Persis, interfecto Balthasar, destructa est, nec diu ibi postea habitaverunt homines, quia in solitudines sempiternas est redacta, viaque est pro ea ædificata. Et ubi quondam erant pulcherrimæ et præcipuæ inhabitationes hominum, ibi sunt modo inhabitationes dæmonum et bestiarum, ibique inhabitant dracones. serpentes, et volucres diversi generis. Ipsa autem Babylon istam significabat, quæ ex multitudine constat reproborum, in qua est omnis custodia omnis spiritus immundi, quia videlicet ibi in cordibus pravorum hominum, velut in carceribus, dæmones tenentur inclusi. Qui immundi dicuntur propter spurcitiam omnium peccatorum, in quibus versantur. Ipsi quoque sunt volucres immundæ, qui per hunc aerem discurrunt usque ad diem judicii, exspectantes damnationem suam, juxta illud Judæ Jacobi : Angelos vero qui non servaverunt principatum, sub caligine hujus aeris tradidit cruciandos in judicium diei (*Jud.* 6). Sive etiam immundas volucres possumus intelligere leves et superbos homines, qui in eadem Babylone morantur. Maligni ergo spiritus propter malitiam, dæmones : propter carnis illecebras spiritus immundi : propter mentis vero elationem, volucres appellantur. De his volucribus et bestiis Isaias plura loquitur: *Omnes*, inquit, *bestiæ ludent ibi, et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent*

dæmonia onocentauris, et pilosi clamabunt alter ad alterum (Isa. XXXIV).

Et de ira *fornicationis ejus biberunt omnes gentes.* Id est vindictam peccatorum illius omnes gentes sustinebunt. *Et reges terræ qui cum illa fornicati sunt.* Hoc est principes hujus sæculi, qui cum semetipsis fornicati sunt diligendo terrena plusquam cœlestia, vel etiam immunditiam carnis sectando aut idola colendo. Et isti enim vindictam sanguinis sustinebunt, quoniam ipsi principes malorum sunt, ideoque in societate Babyloniorum consistunt. *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Mercatores terræ appellantur, quia animam suam venalem faciunt, nec timent committere peccata, tantum ut honores hujus sæculi et dignitates sibi acquirere possint. Isti de virtute deliciarum ejus, hoc est de ambitione sæcularis pompæ divites facti sunt, non virtutibus, sed peccatis. Isti sunt mercatores, qui pro abundatia temporali suas animas commutant infelici mercatu. Notandum autem quod in hoc loco tres personæ reproborum, et tria comprehenduntur genera peccatorum, in quibus et omnes iniqui designantur, et omnia peccata, gentes scilicet subjectæ, reges illarum, et mercatores. Hoc duces et principes, qui suas animas venales faciunt, ut acquirant comitatus et episcopatus, cæterasque dignitates hujus sæculi. Tria autem genera vitiorum sunt: lascivia, gastrimargia, et avaritia, a quibus omnia peccata prodeunt. In nomine enim fornicationis lascivia voluptatum : in virtute deliciarum, gulæ appetitus : in ditatione, mercatorum avaritia designatur.

Et audivi alteram vocem dicentem : Exite de illa, populus meus. Vox ista, vox intelligitur Dei omnipotentis, qui quotidie clamat, hortans electos sive per doctrinam fidelium, sive per internam inspirationem, ut exeant de Babylone. Sed illam vocem, quæ fit in aure per officium prædicatorum, simul audiunt boni et mali : istam autem quæ fit in corde, soli audiunt justi. Dicit ergo : Exite de illa, populus meus, non corpore, quia non potestis, sed mente. Quod statim manifestat cum subjungit : *Et ne participes sitis delictorum ejus.* In præsenti enim vita, corpore quidem boni cum malis morantur, sed tamen moribus et vita longe ab eorum consortio distant. Idcirco ipsa vox Dei monet, ut exeant de ea mente et moribus et vita, non corpore : et ne participes sint delictorum illius, ne forte fiant et socii pœnarum. Quod si socii fuerint culpæ, similes erunt tormento. Si autem ab eorum vita fuerint separati, separabuntur in pœna. Quod in Lot probare possumus, qui cum corpore quidem morabatur in medio iniquorum, sed mente procul erat ab eorum conversatione. Ideoque cæteris pereuntibus, ipse solus meruit liberari. *Et non accipiatis de plagis ejus.* Ac si diceret : Idcirco videte ne participes sitis delictorum ejus, ne forte cum peccata illius fuerint consummata, pariter cum illa incipiatis affligi. Quorum enim vitam similem habere in peccatis noluistis, ultionem cum eis parem non recipietis ; verum hoc non nostris meritis, sed misericordia fiet ipsius Salvatoris.

Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum. Peccata illorum perveniunt usque ad cœlum, qui nolentes agere pœnitentiam, contra Deum habitatorem cœli elevantur, quia si potuisset fieri, justum judicium ejus voluissent eludere. Isti tempus sibi datum ut agant pœnitentiam, vertunt in augmentum culpæ, et unde diutius exspectantur, inde districtius ferientur. Ideoque recte Babylon nequaquam ante ad plagas pervenit, nisi cum peccáta ejus ad cœlum pertingunt : quia qui converti a pravitatibus nolunt, et exspectantur adhuc ut amplius delinquentes durius feriantur, non nisi consummatis delictis damnabuntur. Unde Apostolus dicit : *Ut impleant peccata sua semper (I Thess.* II). Et hæc quidem specialiter de singulis Babyloniæ membris dicuntur. Cæterum generaliter tunc peccata ejusdem corporis usque ad cœlum perveniunt, cum novissime principaliter vel pleniter contra Deum in superbiam erigitur, quando adunata compage membrorum, conjuncto etiam per Antichristum capite membris. immanitas transgressionis ejus indicat, quia non est ultra quo peccando transeat. Vox ergo qua dicitur? *Exite de ea, populus meus,* et ne sitis participes delictorum, toto quidem nunc tempore aures electorum pulsat, sed tunc instantius clamabit, cum jamjamque delictis cœlum tangentibus, perfida civitas ad debitas suppliciorum plagas in articulo diei pervenerit. Dicatur ergo : *Exite de ea, populus meus,* etc. Ac si diceretur, ut æternis verberibus cum reproba civitate non affligamini, dum adhuc modicum tempus superest, participationem delictorum fugite, quoniam jam terminus appropinquabit, quo peccata debitum finem accipiant *Et recordatus est Dominus Deus iniquitatum ejus.* Recordari dicitur Deus, non quod aliquando oblivionem patiatur, sed more nostro Scriptura loquitur, condescendens fragilitati nostræ, sicut supradictum est. Videtur enim oblivioni tradere bona justorum, et facta impiorum, quando istos permittit affligi, illos autem honoribus et dignitatibus pollere. Econtra in judicio, facta bonorum videbítur recordare, cum eos pro suis bonis remunerabit operibus : et bona impiorum oblivioni tradet, qui in præsenti remunerationem recipiunt, unde illis dicentibus : *Nonne in nomine tuo prophetavimus, Dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus (Matth.* VII) ? dicet illis : *Amen dico vobis, nescio vos (Matth.* XXV).

Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis. Alloquitur hic sermo divinus chorum doctorum, quibus Babylon, hoc est, multitudo reproborum mala intulit. Ubi notandum, quia non dixit, facite illi sicut ipsa fecit vobis, sed *reddite illi sicut ipsa reddidit vobis.* Si enim diceret, reddite illi sicut illa fecit vobis, manifestum esset. Ecclesia enim in suis principibus judicabit omnes reprobos, quibus Dominus dicit : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth.* XIX). Sed quia sæpe Deus omnipotens per reprobos mala bonorum purgat, idcirco

dicitur fidelibus: *Reddite illi, sicut illa reddidit vobis.* Ac si diceretur, sicut illa antea vindictam meam exercuit de vobis, sic vos meam injuriam vindicate de illa. *Et duplicate duplicia secundum opera ejus.* Id est, in corpore et anima punite illam: vel certe duplici pœna tradite illam, calori scilicet et frigori. In inferno enim reprobi cum anima et corpore cruciabuntur, et duplici pœna torquebuntur. Cum enim impii in tempore peccaverunt, æternaliter punientur, quia Deus ad judicium veniens, non tantum opera, quantum singulorum affectus et voluntates judicabit. Reprobi quippe si fieri posset æternaliter optarent vivere, ut semper possent peccare, et ideo semper sustinebunt tormenta, qui semper si fieri posset cuperent perpetrare peccata. *In poculo quo miscuit vobis, miscete illi duplum.* Quid poculum nisi tormentum exprimitur passionis, quo martyres afflixerunt reprobi in præsenti vita? Ait ergo, *In poculo quo miscuit vobis, miscete illi*, id est sicut vobis afflictionem tribulationis intulit, ita et vos modo illi inferte tormenta, et vestro judicio damnate illam.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Hæc omnia jam superius dicta fuerant. Sed propter diversorum diversæ significantur personæ, una plus, alia minus delinquens, ac si diceretur? In quantum quis gloria temporali lætitiaque deditus, ac voluptatibus resolutus est, in tantum date illi tormentum et luctum, id est unicuique secundum opus suorum actuum tribuite. Propter discretionem enim pœnarum hæc ipsa impia civitas tantum recepit quantum deliquit, sed tamen nihil pœnarum illi deerit: et quæ temporaliter peccavit, æternis cruciabitur tormentis. *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina*, id est, in honore et dignitate sum constituta, sicut regina sedet in gloria et honore. *Et vidua non sum.* Quia virum habeo, et ejus amissione, *luctum non videbo.* Loquitur hæc meretrix, id est civitas reproborum, dum gloriatur in principibus nequam, et regibus hujus sæculi, sicut fuit Nero et Domitianus. In quibus divitiis et honoribus maximis exaltata putabat se cum eis æternaliter regnare et vivere, et nunquam eos amittere, ut in eorum amissione lugeret, sicut lugere solent mulieres viros, dum eos amittunt. Vel aliter: Sicut Ecclesia proprium habet virum, id est Christum, ut ait Apostolus: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI): ita meretrix, id est, civitas reproborum adulterino juncta est viro, id est diabolo, a quo putat se regi, et in hoc mundo regnare, quæ dum præsentibus delectatur luxuriis, æternum non præcavet supplicium, sed tantum temporalibus affluens deliciis, in his vitam suam ponit, nunquam se putans vitam temporalem amittere, ut ipsa luctum quem reprobi in supplicio sempiterno sustinent patiatur. Aliter, electorum animæ virum habent proprium, id est spiritualem intellectum, a quo ad æternam salutem reguntur, ut intimo discretionis examine terrena cuncta despiciant, supernis inhient. Econtra, meretrix cum erroneo intellectu ad interitum tendit spirituali intellectu intima cordis sui disponere se jactat. Hic enim locus superioribus jungitur, ubi dicitur, quod quinque reges ceciderunt, et unus superest. Quinarius siquidem numerus pertinet ad quinque corporis sensus, quibus post infantiam cadentibus in homine, surgit in infidelibus error, in fidelibus autem rationabilis intellectus, qui est vir fidelium. Porro reprobi non istum, sed erroneum intellectum habent, quasi virum. Hinc est quod mulieri Samaritanæ Dominus dicit: *Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir* (*Joan.* v). Quasi diceret, non habes rationalem intellectum, sed error dominatur tui. Cum itaque improba civitas rationabili careat intellectu, putat se falsa æstimatione habere virum, dicens: Vidua non sum, quia intellectum mentis habeo, et luctum non videbo, quasi fulta intellectu, et virtutibus in gaudio perseverabo.

Ideo in una die venient plagæ ejus. Vel in una hora, tempore scilicet judicii, quoniam subito dum non speratur veniet Christus ad judicium, ut reddat unicuique secundum opera sua. Quæ sunt autem plagæ istæ, aperit cum subjungit, *mors et luctus.* Has plagas per contrariam partem intelligere possumus, id est ex consideratione præmiorum, quæ sancti sunt percepturi. Primum enim attendamus quæ sit mors corporis, mors corporis est absentia animæ, mors animæ absentia Dei: *quia anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Electi enim habentes Deum, habebunt vitam, juxta illud: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan.* XVII.) Ideoque perpetuo vivent, quia in præsentia vitæ manebunt. Quam vitam, id est Deum, cum amiserint reprobi, mortem incurrent, quia cum eo partem habebunt, cui nomen est mortis, sicut supra legimus: Et sanctis gaudentibus et laudes creatori suo decantantibus, juxta illud: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* C). Miseris erit luctus juxta illud: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis* (*Luc.* VI). Quia enim præsentibus delectati deliciis nolunt ultionem pavere futuram, lætantes cum male fecerint, ideo in brevi tempore descendentes ad inferos, luctu perpetuo mœrebunt. *Et fames.* Societati justorum præsens erit omnipotentis Dei vultus, in cujus conspectu satiabuntur æterna refectione. Juxta illud Psalmistæ: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Cum ergo reprobi Deum perdiderint, qui est sanctorum refectio, famem æternam sustinebunt. Ad ultimum autem *igni comburentur.* Cum audierint: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). — *Quia fortis est Dominus qui judicabit illam.* Idcirco fortis Dominus qui judicabit illam dicitur, quia nullius poterit precibus flecti. At idcirco in æternum cruciabitur, quia nullus angelorum, aut hominum audebit, vel valebit vel cupiet Deo obviare, cum dederit fortem damnationis sententiam in reprobos.

Et flebunt et plangent se super illam reges terræ. Hic fletus regum dupliciter potest intelligi. Reges enim in malam partem ponuntur in hoc loco, et significant reprobos in hoc sæculo divites, et in terrenis rebus suam spem collocantes, ipsique reges, sicut Babylon civitas meretrix. Ideoque quod dicit, *Qui cum illa fornicati sunt* nihil est aliud, nisi cum seipsis fornicati sunt, plus terrena quam Deum diligentes, vel immunditiæ carnis servientes. *Et in deliciis vixerunt.* Hoc est in honoribus et dignitatibus, comedentes et bibentes, et voluntates suas sequentes. Isti itaque in die judicii, tota mundi gloria in qua sunt confisi pereunte, flebunt et plangent, sola præteritæ vitæ pœnitentia remanente, dicentes : *Quid nobis profuit superbia* nostra, *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v). Vel certe ex præsenti tempore hoc intelligere possumus, in quo reproborum superstites, considerantes mundi gloriam deperire: sive per paganorum interfectionem, sive per diversarum gentium contritionem, plorant et deflent, quia amor illorum et gloria transit. Plangent enim illorum interitum, qui simul cum vita divitias amiserunt, et metuunt ne eis similia eveniant, dum et tormentum sibi futurum et præteritorum pœnas inspiciunt, unde subjungitur : *Videntes fumum incendii ejus.* Per fumum enim illius civitatis, diminutio intelligitur rerum temporalium. Quam dum impii vident, considerantes ut dictum est quorumdam interfectionem, et gentium etiam vastationem, plorant et lugent, eo quod gloria illorum pereat, et ipsa præsens tribulatio ignem æternum præcedat. Sicut fumus indicium est flammarum, sic et præsens tribulatio specimen esse videtur futurorum. Dum ergo tales præsentes tribulationes attendunt, et pœnam etiam quæ sequitur inspiciunt, flent et dolent, timentes ne sibi similia eveniant. ut scilicet mundi gloria exspolientur, et præsentibus bonis et deliciarum affluentiis nudentur.

A longe stantes propter timorem tormentorum ejus. Quod in judicio minime licebit. eis facere, quando simul omnes casus apprehenderit ruinæ. Cæterum in hac vita longe stant, non corpore, quia post modicum transituri sunt ad eorum societatem. sed animo dum unusquisque sibi metuit, quod alterum per calumnias et potentiam pati videt. Optaret enim si fieri posset, separari, et ab eorum tormentis, et ab eorum exspoliatione, ita ut temporalia semper possideret, et ad infernum non transiret, semperque optaret vivere, ut semper posset peccare. Quid autem de mundi destructione dicant, audiamur : aiunt enim : *Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis.* Plorant enim, quia simul et divitias et vitam amisisse contigit, quia si possent, voluissent semper in deliciis vivere, et nunquam hanc miserabilem vitam amittere. Magna autem dicitur Babylon, quia in toto mundo distenditur, vel propter multitudinem reproborum, sicut etiam propter enormitatem scelerum. Fortis quoque dicitur non in bono, sed in malo et in persecutione sanctorum, quos diversis afflixit modis et interfecit. *Quoniam una hora venit judicium tuum.* De qua hora Joannes apostolus dicit : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II), a passione Christi scilicet usque ad finem sæculi. Tota namque hac hora, id est, in omni præsenti tempore damnantur reprobi. Quorum utique judicium singulis advenit, quando quotidie exuti corporibus damnantur apud inferos. Et quia in præsenti tempore de perpetratis facinoribus temporaliter etiam cruciantur, recte nunc fumare Babylon dicitur, ut quandoque sempiternis tormentorum flammis concremetur.

Et negotiatores terræ flebunt et lugebunt super illam. Qui sint isti negotiatores supra jam dictum est, qui scilicet venales suas animas faciunt, nec metuunt eas perdere, tantum ut honores et dignitates sibi possint acquirere. Vel certe negotiatores sunt, qui ut gloriam et divitias sæculi hujus sibi aggregare valeant, de loco ad locum transeunt, nec unquam vel ad modicum quieti indulgent, qui dum vident quædam loca clade desolata, gladio consumpta, hostili invasione prædata, deflent, eo quod mundi gloria pereat, de qua lætabantur. *Quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Sic enim dicunt : Quoniam omnium gloria pereunte, non erunt merces quas nos emamus, nec erunt qui nostras merces emant, ut eorum pretio ditemur. Dolent enim quod ad præsens perdunt inviti, nec amant quod in æternum possidere poterant voluntarii.

Merces auri et argenti, et lapidis pretiosi et margaritæ, et byssi et purpuræ et serici et cocci, et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso et æramento et ferro et marmore, subauditur, nemo emet amplius. Hic manifeste ostenditur, quia reprobi ea perire dolent, quæ ad quinque sensus corporis pertinent. Neque enim aliud attendunt, nisi ut his delectentur, quæ exterius per quinque sensus corporis percipiunt. Qui idcirco ea quæ vel sensibus corporis suavia, vel exterioribus sunt usibus accommoda deficere solent, deflent, quoniam in his omnem suam prosperitatem esse deputant. Aurum enim et argentum et cætera, ad sensum oculorum rediguntur, quæ intantum a carnalibus ardentius desiderantur, quantum rariora a cæteris inveniuntur. Quod si spiritualiter ista intelligere volumus. libet prius inquirere qualiter electorum divitias significent nunquam perituras, et sic demum quibus modis ea sibi fallaciter pars adversa usurpare nitatur demonstrare. In auro itaque radians sapientia significatur, de qua scriptum est : *Accipite sapientiam sicut aurum.* Argenti autem nomine sacra figurantur eloquia. De quibus Psalmista dicit : *Eloquia Domini eloquia casta. argentum igne examinatum* (*Psal.* XI). Lapidis vero vocabulum cum singulari numero ponitur, ipse Salvator omnium per eum designatur, de quo scriptum est : *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem electum pretiosum, et qui crediderit in eum non confundetur* (*I Pet.* II). Cum

autem plurali numero inseritur, membra ejusdem Redemptoris per eum figurantur, quibus apostolus Petrus dicit : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales (I Petr.* II). Margaritæ etiam nomine, in singulari numero Dominus Jesus Christus : in plurali vero apostoli ejusdem figurantur. De quibus in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas. (Apoc.* XVIII). In bysso vero justificationes sanctorum intelliguntur. In purpura martyrium. In serico virginitas. In cocco vera charitas. In ligno thyino ac pretioso, constantia durabilis. In ebore virtutum pulchritudo. In ære fortitudo et longanimitas, vel certe prædicationis sonoritas. In ferro subtilitatis acumen. In marmore invicta humilitas. Hæc denique omnia plerumque se habere obumbrata verisimile gloriatur bestia, vel civitas meretrix, cum in auro, vel in argento philosophorum et hæreticorum doctrinam ostendit. In lapide pretioso, ac margarita, pseudochristos vel pseudoprophetas, atque hæresiarchas opponit. In bysso injustitiam obtentu justitiæ adopertam. In purpura interfectionem hæreticorum tegmine martyrum Christi velatam. In serico corruptionem mentis integritate carnis oppansam. In cocco simulationem charitatis crudelitate palliatam. In ligno thyino ac pretioso, durabili constantia, mentis obstinationem obumbratam. In ebore simulatione virtutum, vitiorum turpitudinem obtectam. In ære, fortissimæ prædicationis tegmine, durabilem atque sonorabilem perfidiam palliatam. In ferro autem, acumine subventionis astutiam deceptionis cælatam. In marmore humilitatis similitudine falsæ subjectionis, muscipulam obumbratam anteponit. Quia ergo hæc omnia falsæ religionis obtentu velata confunduntur, atque ad interitum tolluntur, recte mundus in reprobis iisdem divitiis inops effectus florere describitur.

Et cinnamomum et amomum *et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini et oleæ et similæ et tritici et jumentorum et ovium et equorum et rhedarum et mancipiorum: et animarum hominum.* Subauditur semper a superioribus, merces nemo emet amplius. Ex his quædam pertinent ad olfactum, quædam autem simul ad olfactum et tactum. Cinnamomum enim et amomum diversorumque odoramenta pigmentorum, et thus ad olfactum, unguentum vero ad tactum simul et olfactum redigitur. Verum quæramus, ut cœpimus, qualiter illa, quæ in bonum istæ species significant, usurpet pars adversa, quibusque ablatis amariter defleat. Per cinnamomum quippe et amomum, odor designatur virtutum, unde Ecclesia dicit : Sicut cinnamomum et amomum aromatizans odorem dedi. Hinc Paulus dicit : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II). In diversorum vero odoramentis pigmentorum et thure, orationes exprimuntur sanctorum. Hinc enim in Canticis sponsi voce in laudem Ecclesiæ dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii (Cant.* V)? Et per Psalmistam dicitur : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* C). Unguenti quoque nomine ipsa divinitas incarnata intelligitur. Cui in Canticis canticorum dicitur : *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). Et alibi : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Ibid.*). Jam vero, si attendamus qualiter hæc fraudulenter se habere dicat pars adversa, quibusque ablatis vehementer videatur affligi, in cinnamomo et amomo fetentem vitam hæreticorum, sub obtentu odoris, qui manat ex virtutibus sanctorum imitandam opponit. De quibus dicitur econtra : *Et erit pro suavi odore fetor* (*Isa.* III). In diversis autem odoramentis, fictam hypocritarum sedulitatem orandi bene orantium similitudine obumbratam, objicit. In unguento vero pseudochristianorum asperitatem sub velamine lenitatis Christi tectam ostentat. Quarum simulationum subtractis auctoribus, amariter mundus flere describitur, sicut flevit Nero, necato Simone mago, et sicut mœsti facti sunt hæretici ex morte Arii, qui eum nec damnatum imitari desierunt. Vinum et oleum, simila et triticum pertinent ad gustum, quæque ita fauces illiciunt, ut et ea quæ in veritate significant, electorum demulceant cordis palatum, et ea quæ ex eorum falsa imitatione assumunt, suavia credantur mentibus reproborum. Per vinum quippe novum designatur testamentum, quod auditorum mentes debrians, mundi concupiscentiis insensibiles reddit, unde Dominus in nuptiis aquam vinum fecisse narratur. Quid autem per oleum, nisi unctio Spiritus sancti figuratur? Unde Psalmistæ voce redemptori nostro dicitur : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Per similam vero et triticum, caro Redemptoris nostri exprimitur, qua fideles quotidie sanantur. Quæ scilicet dum pars reprobæ civitatis obumbrata bestiæ seductione se putat habere, tanto amplius dolet, si contigerit perdidisse, quanto magnarum opum divitias ista significare videntur. Nam vinum et oleum amisisse dolent, cum vinacia et amurcam perdiderunt. Similam et triticum perdidisse se gemunt, cum zizania et paleas amiserunt. Æstimant enim veræ fidei prædicatores subtractos, spirituali doctrina repletos, Spiritus sancti illustratione afflatos, cœlestibus sacramentis ad vitam enutritos, cum pravæ hæreseos seductores corrupta sententia infectos, spiritu dæmoniorum plenos, abusione divinorum sacramentorum damnatos, vellent, imo si possent de mundo sublatos gauderent. Porro jumenta, oves et equi, et cætera usibus exterioribus sunt apta, quoniam juvant homines sive in equitando, sive in ferendo onera. Rheda autem quæ hic commemoratur, genus vehiculi fuit apud antiquos, et est forsitan adhuc similis plaustris rusticanis, divitibus hujus sæculi ad sedendum præparata, quæ etiam alio vocabulo, currus vocatur. Hujusmodi enim currus venduntur. et inde merces acquiruntur, sicut legimus in libro regum de Ægypto exire quadrigam quæ

vendebatur sexcentis siclis argenti. Cum autem dixit, et mancipiorum merces, subaudis nemo emet amplius : merito quæritur, quare subjungit, et merces animarum hominum. Nunquid enim mancipia sine animabus vendi possunt aut emi? Non utique, sed in his verbis aliud aliquid intelligitur. Sunt enim quædam mancipia, quæ tantummodo corpore venduntur, animæ vero illorum in libertate permanent, sicut hi qui venduntur Christianis, et cum corpore sunt servi, anima per fidem rectam sunt liberi. Sic enim venundatus est Joseph : qui cum esset servus corpore, liber erat anima, unde et eum domina ad peccatum trahere non potuit. Tales itaque non in anima venduntur, quia solummodo ad exteriorem servitutis conditionem pretiis distrahuntur, manente interius animæ libertate. Plerique autem simul anima captivantur et corpore, sicut hi qui paganis aut Judæis venduntur, quoniam ipsi quos emunt, secundum legem circumcidunt, et servos non solum corpore, sed etiam in anima faciunt : ut sicut domini, ita et servi servitutis nexu sint alligati. Propter has itaque duas venditiones, distinctionem fecit sermo divinus inter mercem mancipiorum et animarum hominum. Sed et istæ singulæ species electos significant, quas eadem bestia fraude se habere ostendit, et perdidisse dolet. Jumenta quippe electos significant, qui cum Psalmista dicunt, *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII). Oves quoque sanctos exprimunt, quibus Dominus ait : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X) Et Petro dicitur : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Sed et equorum vocabulo prædicatores intelligi nulli dubium est, dicente propheta : *Misisti in mare equos tuos*. Rhedarum etiam nomine eosdem prædicatores novimus designari, attestante Eliseo, qui ascendente Elia plorat, dicens : *Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus* (*IV Reg.* II, XIII). Mancipiorumque vocabulo ipsi exprimuntur electi, qui toto mentis desiderio Dei se subjiciunt servituti, in cujus potestate consistere se noverunt, dicentes cum Psalmista : *Sicut oculi servorum*, et cætera, usque, *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (*Psal.* CXXII). Quo contra pars bestiæ supernis judiciis desolato mundo, amisisse se dolet jumenta, oves, equos et rhedas, id est ad portanda suorum onera viros fortes atque innocentes, cum debiles ad omne opus bonum, et noxios in malum amiserit, gemit se perdidisse mundo exterius mortuos, cum interius nequiter eosdem viventes perdiderit.

Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te. Hoc etiam fit, quando hostes de regno insurgentes in regnum, non solum depopulantur urbes, sed etiam omnia ligna regionis vastant, et incendio cremant. Et ista tam ad conspectum quam ad gustum pertinent. Unde habemus in Genesi, quod viderit mulier lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, et tulit de fructu illius et comedit : deditque viro suo. Notandum autem quod cum in cæteris majoribus rebus, plus soleant homines delectari, solummodo poma desiderii animæ dicit esse : unde ostenditur quia non solum in majoribus, sed etiam in minimis valde offenditur, si immoderate et ultra quam debent appetuntur. Poma vero in sacro eloquio virtutes sanctorum significant, unde est : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* IV). Dicit ergo se pars bestiæ omnia simulate habere, quæ in veritate possidet Agnus. *Et omnia pinguia*. Id est crassa. *Et præclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient*. Ista ad gustum vel gastrimargiam redigenda videntur. Hæc itaque omnia, quæ secundum quinque corporis sensus reprobi tractant, pereunte mundo deplorant, quia nesciunt aliud cogitare, nisi quæ exterius considerant. Et dum vident alios transire per mortem et afflictionem ab hac vita, ipsi eorum superstites interitum illorum qui mundi gaudium reliquerunt, deplorant, timentes ne sibi similia eveniant. Significant etiam et hæc ut cætera aliquid bonorum, dum ostendunt simulationem impiorum. Nam cum Psalmista dicat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII), ostendit saginam in significatione virtutes esse animarum Ista etenim sagina in novæ vitæ prædicatoribus apparuit, quam se perdidisse in hæreticis pars reproborum dolet. Unde sequitur :

Mercatores. Terræ de quibus satis supradictum est, *qui divites facti sunt*. Non virtutibus, sed peccatis. *Ab ea longe stabunt*, non corpore, sicut dictum est superius, sed mente, nolentes eos sequi. *Propter timorem tormentorum ejus, flentes et lugentes ac dicentes : Væ, væ, civitas illa* Babylon *magna, quæ amicta byssino*, subauditur vestimento, *et purpura, et cocco, et deaurata est auro, et lapide pretioso, et margaritis, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ*. Qui supra appellantur reges, ipsi dicuntur modo mercatores, qui videlicet infelici mercatu, pro terrenis lucris animas commutant, unde in sequentibus dicitur, *Mercatores tui erant principes terræ*. In civitate autem homines intelliguntur divitiis dediti, et voluptatibus resoluti. Neque enim civitas amicitur auro vel argento, aut cæteris speciebus, sed potius homines in ea habitantes. Quibusdam itaque pereuntibus cum terrenis pariter rebus superstites eorum ut supra meminimus lugent, eo quod gloria illorum perire videatur, et a longe stant, quia nolunt illis fieri socii neque in amissione terrenarum rerum, neque in pœnis, ad quas eos transire credunt. Una autem hora in qua tantas divitias perisse denuntiat, hoc breve tempus intelligitur a Domini passione usque ad finem sæculi. De qua Joannes dicit : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II). — *Et omnis gubernator et omnes qui in longum navigant, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus*. Qui supra appellantur negotiatores, hic gubernatores navium et nautæ Nunquid enim mare navigantes adesse poterunt, ut videant incendium civitatis? Sed in his omnes sæculi cultores exprimuntur, qui sibi timent, videntes ruinam suæ spei. Locum autem incendii ejus videre

dicuntur per incendium fumi, id est per præsentes tribulationum angustias futurarum pœnarum notitiam prægustare, quæ omnia supra latius sunt exposita, ideo nunc breviter tanguntur. Aiunt ergo flentes: *Quæ* est, subauditur civitas, *similis civitati huic magnæ?* Quasi dicant: Nulla civitas illi in magnitudinis honore coæquari potest. Oculi enim carnalium nihil magnum noverunt, nisi quod corporeis oculis intueri possunt, et ideo comparatione præsentis vitæ etiam cœlestia despiciunt. Plus enim diligunt mundum quam Deum : plus amant filios quam angelos. Terrenam peregrinationem pro habitatione cœlestis patriæ deputant. Salutem corporis ducunt pro summa felicitate : aurum, argentum, et lapides præponunt vitæ coronis, et ideo comparatione præsentium gaudiorum nihil credunt esse illa et dicunt. Quæ similis civitati huic magnæ? Ac si dicerent, Nulla. De quibus adhuc subditur :

Et miserunt pulverem terræ *super capita sua, et clamaverunt flentes ac lugentes*. Capitis nomine sæpe in sacro eloquio principalitas mentis intelligitur. Per terram autem, terrena concupiscentia designatur. Reprobos itaque super capita sua pulverem mittere, est terreno amore ne cœlestia intueri possint, oculos suæ mentis corrumpere. Deflent ergo reprobi ruinam civitatis magnæ, sed tamen ipsi non cessant terrena concupiscere, dumque immoderate terrenis rebus inhiant, quasi pulvere terræ suos oculos excæcant, ne cœlestis patriæ gaudia inspicere valeant. Aliter : Capita reproborum possumus intelligere principes illorum. Cum enim se viderint reprobi jam in judicio constitutos et damnatos, ponent pulverem terræ super capita sua, hoc est, faciem suorum principum exprobrabunt, a quibus seducti sunt, ut terrena diligerent, pro quibus tunc peribunt, dicentes: *Væ, væ, civitas illa magna* Babylon, *in qua divites facti sunt omnes qui habent naves in mari de pretiis ejus*. Nam multi negotiatores in hoc sæculo ditantur ex his quæ navigio, non solum de loco ad locum vehuntur, sed etiam de regione ad regionem, sicut, verbi gratia, fiebat temporibus Salomonis, quando classes ibant semel in tribus annis in Ophir, et afferebant inde auri talenta quadraginta, et multas alias species quæ non poterant reperiri in terra Israel : sic fit etiam usque hodie, unde ex Græcorum regione pallia et ornamenta varia in his regionibus deferuntur. *Quoniam una hora desolata est.* Id est subito adveniente die judicii. Attende, quia non solum jacturam divitiarum, sed etiam repentinam improvisamque deflent ruinam hujus sæculi.

Exsulta super eam cælum et sancti apostoli et prophetæ. Quæstio oritur in hoc loco, cum Dominus in Evangelio præcipiat, *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Luc.* XXVI), quid est quod hic hortatur cœlum, apostolos, et prophetas ut gaudeant? Sed sciendum est, quia non de perditione reproborum lætari jubentur, sed potius de justo Dei judicio. Unde cum dixisset, Exsulta cœlum et apostoli et prophetæ, protinus subjecit : *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea*. Vel etiam in hoc lætari præcipiuntur, quia post damnationem reproborum ventura est eorum remuneratio. Neque enim ante electi sublevabuntur ad gloriam, quam reprobi damnentur, et in infernum demergantur, quia scriptum est : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Gaudent ergo, quia justo judici concordant. Non enim illi concordarent si de ejus justo judicio non gauderent, Gaudent etiam : quia dum illi pereunt, gloria illorum appropinquat. Unde Dominus cum ruinam pereuntis mundi suis discipulis exposuisset, statim subjecit : *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* (*Luc.* XXI). Ac si diceret : Cum ex mundi desolatione, finem ejus appropinquare cernitis, respicite et levate capita vestra, id est, exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cui amici non estis, prope fit redemptio quam quæsistis. In cœlo, apostolis et prophetis comprehenditur omnis Ecclesia a principio sæculi usque ad finem decurrens. *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea*, hoc est illud judicium de quo superius legimus quod animæ sanctorum sub altare Dei clamabant dicentes : *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra* (*Apoc.* VI)? Judicavit judicium nostrum, id est damnavit illam juste, quæ nos damnaverat injuste. Et quæ nobis temporalem intulit mortem, nunc æternam sentiet gehennæ pœnam. Verum ista omnia beatus Ansbertus Ambrosius etiam ad eos refert, qui his malis exterriti, dum attendunt quæ sibi futura sunt, ad fructuosam pœnitentiam ex hac contritione confugiunt.

Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon magna illa civitas, et ultra jam non invenietur. Iste angelus Dominus Jesus Christus est, qui est nuntius paternæ voluntatis. De quo Propheta dicit : *Vocabitur magni consilii angelus*. Cum dicit, *sustulit lapidem molarem magnum*, tale est, quasi dicat : Sustulit molam magnam. Recte ante *unus angelus* fuisse dicitur, quia unus est Dominus, una fides, unum baptisma. Bene *fortis*, quia ad debellandas aereas potestates venit. De quo Psalmista dicit : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Per molam, volubilitas hujus sæculi intelligitur, in qua multæ farinæ, id est multæ cogitationes et curæ temporales fiunt. Lapis autem molaris significat pondus peccatorum, quod in eadem actione contrahitur, ab efficiente scilicet illud quod efficitur. Ex hac mola Dominus dicit de hominibus in extremitate hujus sæculi positis : *Erunt duæ molentes, una assumetur, et altera relinquetur* (*Luc.* XVII). De hac etiam mola dicitur : *Quia qui scandalizaverit unum de pusillis istis credentibus in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demer-*

gatur in profundum maris (Matth. XVIII). Quod non A solummodo de scandalo intelligitur, sed de omnibus gravioribus peccatis, pro quibus mittentur reprobi in mare, id est in profunditatem inferni. Et hoc per angelum, id est per Christum, quia sicut ipse dicit : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (Joan.* V). Hoc impetu, id est, ista velocitate mittetur magna illa civitas in mare, et ultra non invenietur, id est, sicuti iste lapis velociter transit in profundum maris, sic omnis cœtus reproborum velociter mittetur in profunditatem inferni, et amplius non invenietur in societate Ecclesiæ. In hac enim Ecclesia simul sunt boni cum malis : quia sicut hæc vita inter cœlum et terram media consistit, ita utriusque partis cives inter se continet. Tunc autem separabuntur omnes mali, nec ultra invenientur in societate bono- B rum.

Et vox citharœdorum et musicorum et tibia canentium et tuba, non audietur in te amplius. Ex his quæ superius commemoraverat, quæ ad quinque sensus corporis pertinent, subjungit quæ simul etiam inter alia de mundo auferri prædicit. Omnia enim hæc cum delectatione a principibus hujus sæculi requiruntur, sed tunc ab illis auferentur, quia jam nulla erit eis delectatio, ut pote qui in tormento constituti, æternis pœnis cruciabuntur. Et ostendit in his omnibus ea quæ per quinque sensus corporis cum dulcedine percipiuntur, penitus ab hoc sæculo esse transitura. *Et omnis artifex* sicut fabri, carpentarii, gemmarii, *et omnis ars in te non invenietur amplius, et vox molæ non audietur in te amplius, et lux lucernæ* C *non lucebit tibi amplius, et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te.* Ac si diceret. Omnia quæ ad usum et jucunditatem pertinent, tollentur ab impiis. Et quare hoc fiat, subinfertur causa. *Quoniam mercatores tui,* inquit, *erant principes terræ.* Isti sunt mercatores, de quibus supra dictum est, qui ut honores temporales sibi acquirant, animas suas infelici commercio commutant. Et idcirco, quia Babylon terrena quærit, quæ utitur bonis temporalibus, et ipsa justo Dei judicio fraudatur, et æternis suppliciis damnanda submergitur. Ex ipsis enim regibus terræ ac mercatoribus impia civitas constat, qui et suas animas venales faciunt, et elationis fastu in superbiam elevantur. *Quia in veneficiis*, id est in maleficiis, *tuis erraverunt omnes gentes.* Hinc manifes- D tatur, quia sicut Ecclesia in omnes mundi gentes distenditur, ita et Babylon. Maxime autem principes hujus sæculi ostendit avaritiæ servire in his verbis, quorum exemplis cætera perit multitudo.

Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra. Sermo divinus aliquando loquitur ad Babylonem, quasi ad secundam personam, aliquando de Babylone, quasi de tertia. Dicit enim superius : *Omnis artifex et omnis ars non invenietur in te amplius,* etc., similiter nunc autem dicit : *Et inventus est in ea sanguis prophetarum et sanctorum, qui interfecti sunt in terra.* In quibus verbis apertissime demonstratur, in hac civitate totum corpus diaboli intelligi debere. Sanguis autem inventus dicitur, id est vindicta sanguinis, quæ veniet super omnem reprobam generationem, juxta illud : *Requiretur sanguis omnium qui effusus est super omnem terram a generatione hac.* Sciendum est etiam, quia, ut supra dictum est, illi sanguinem prophetarum et sanctorum fudisse inveniuntur, qui dicta illorum in alium sensum quam prolata sunt, pervertere non timuerunt.

CAPUT XIX.

Post hæc, id est post prædictam visionem, *audivi* mente *quasi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia.* Joannes in hoc loco personam tenet Ecclesiæ, quæ quotidie audit has voces, quia ipsa eas mittit. Quod autem dicit : *Post hæc* non est diversitas temporis, sicut dictum est, sed ordo narrationis. Ista autem vox magna, magnum est sanctorum desiderium, quæ recte magna dicitur, quia sancti magna loquuntur, magna operantur. Multitudo tubarum, multus est conventus fidelium. Sed quamvis multi sint, unam vocem emittunt : quia omne quod loquuntur, in unius fidei concordia consistit. Istæ sunt tubæ prædicatorum quibus septem diebus Hiericho circumeuntibus, muri illius corruerunt, quod mystice in hac Ecclesia completur, in qua per septem dies, hoc est, per omne tempus hujus vitæ prædicatoribus tubam doctrinæ insonantibus, omnis fortitudo infidelium ruit. Alleluia, Græcus sermo est, Latine dicitur : *Laudate Dominum.* Unde et ubi nos in nostris codicibus habemus : *Laudate, pueri, Dominum* Græci habent alleluia. Alleluia ergo sancti resonant, quia et ipsi Dominum verbo et opere laudant, et cæteros ut eadem faciant admonent. Hoc fecerunt præcedentes fortissimi patres, hoc nos etiam licet infirma mente parvuli dicimus. Sed jam quid dicant audiamus : *Alleluia, laus et gloria et virtus Deo nostro.* Hoc enim alleluia dicere scilicet, quod laus : quia omnis creatura cœlestis et terrestris Deum laudare debet. Et gloria, id est honor et exsultatio. Et virtus Deo nostro est, quia ipse vicit diabolum, et electis suis potestatem vincendi tribuit, quibus ipse dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI).

Quia vera et justa sunt judicia ejus. Quibus scilicet judicavit, ut hi qui sanguinem fuderunt, sanguinem bibant, hoc est, vindictam sanguinis sustineant. Hinc Psalmista dicit : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII).—*Qui judicavit de meretrice magna*, id est de omni malorum multitudine. *Quæ corrupit terram*, hoc est, seipsam. *In prostitutione sua.* Hoc est in immunditia carnis, vel in idolorum cultura, seu etiam in delectione terrenarum rerum plus quam cœlestium. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus.* Quia sicut illi effuderunt eorum sanguinem, ita et ipse fudit sanguinem illorum. Vel effusionem sanguinis possumus intelligere spiritualiter, sicut et supra. Sanguinem enim sanctorum fuderunt, quia spiritualem sensum corruperunt. Et

quia illud quod vitale erat in divinis eloquiis effuderunt, et in carnalem sensum verterunt, ipsi quidquid vitale habent, amittunt.

At iterum dixerunt : Alleluia. Geminatio sermonis confirmatio est. Ecclesia enim semper indesinenti affectu Deum laudat, ex cujus persona Psalmista dicit : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Duoque meretricis in hoc loco facta commemorantur, quod videlicet terram, hoc est, seipsam malis operibus corruperit, et quod sanguinem sanctorum fuderit, pro quibus gehennæ incendium æternaliter sustinebit. *Et fumus tormentorum ejus ascendit in sæcula sæculorum.* Hic fumus non præsentis sæculi tribulationem, sed æternam significat. Unde intuendum, quia non dicit ascendet, sed *ascendit,* quia videlicet in singulis reprobis quotidie reproba civitas damnatur, et ad inferni pœnas deducitur, sicut quotidie Hierusalem transit in singulis electis ad patriam cœlestem, nam hic per fumum flamma æternæ pœnæ designatur, quia miseri in æternum sunt torquendi. Hic locus valet contra eos qui dicunt quod reprobi post multos annos ad gloriam sint reversuri, contra sententiam Domini, qua dicturus est illis : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Quidquid enim æternum est, terminum non habet, et hoc est quod hic dicitur, *Fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum*, quia videlicet tormenta, quibus miseri tunc tradentur, finem non accipient.

Et ceciderunt viginti quatuor seniores et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen, Alleluia. Quod viginti quatuor seniores, hoc significant et quatuor animalia, id est omnem electorum Ecclesiam. Quia enim subjectorum facta examinat, recte per seniores : quia pascua æternæ viriditatis inquirit, digne per animalia figuratur. In vicesimo autem quarto numero, sicut supra dictum est, omnes patres tam Veteris Testamenti quam Novi ostenduntur, propter duplicatum duodenarium, de cujus natura satis superius dictum est. Iste autem casus seniorum et animalium non pertinet ad ruinam, sed ad humilitatem. Cadunt enim ante sedentem in throno, id est ante Deum, qui præsidet suæ Ecclesiæ, quia semetipsos humiliantes, quidquid habent in fide et opere, ipsi deputant, a quo hæc perceperunt, qui dicit : *Sine me nihil potestis facere.* Aiunt ergo adorantes, *Amen*, id est *verum est*, quia Deo nostro est laus et gloria et virtus, qui judicavit de meretrice magna; justum est enim ut qui sanguinem sanctorum fudit, sanguinem bibat, hoc est, vindictam sanguinis sustineat. Et idcirco laudandus est, qui sive propter voluptatum illecebras, seu propter sanguinis effusionem, non nisi juste reprobos damnat, seu condemnat. Amen quippe interpretatur *verum* : Alleluia, *laudate Dominum*. Cum autem thronus et viginti quatuor seniores una sit Ecclesia, distinguitur ita, quia et generaliter a Christo, ut unus thronus, et specialiter in quibus suis eminentioribus membris mystice sedet super thronos ideoque se invicem hortantes, dicunt, *Alleluia*, id est, *Laudate Dominum*.

Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus. Hoc non semel, sed etiam secundo in præmissa locutione factum legimus, quod hic iterum fieri jubetur. Sed ut ipsa laus indeficiens semper perseveret, ipsa membra mutua exhortatione informantur, ut omnes ei laudem dicant, thronus enim ipsi sunt servi Dei. Cum ergo de throno exivit vox, et aures secundo penetrat, nimirum servi ad conservos exhortationis proferunt verbum. Verum in hoc quod sequitur, *et qui timetis Deum*, quæstio oritur, quare timentes Deum laudare præcipiantur, cum ipse Joannes dicat in Epistola sua : Quoniam timor pœnam habet, etc. Qui timet, non est perfectus in charitate. Alibi quoque scriptum est, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Sed sciendum est quia duo sunt timores, servorum videlicet et filiorum. Servi enim timent ne flagellentur a dominis : filii autem, ne oculos offendant pii patris, et hæreditate eorum priventur. Ita ergo aliter timent reprobi, atque aliter justi. Reprobi timent, ne damnentur in inferno pro suis peccatis : Justi autem, ne aliquid peccent, et oculos sui creatoris offendant. Isto itaque timore timentes præcipiuntur laudare Deum, et de quo Psalmista dicit : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII.) — *Pusilli et magni.* Pusilli sunt, qui non possunt penetrare altiora mysteria, quibus Apostolus dicit : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam* (*II Cor.* III). Nec possunt etiam implere Domini consilium, quo ait : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX). Magni vero sunt, de quibus ipse Dominus dicit : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* V). Hi omnes Deum laudant, et hoc in Ecclesia, in qua pariter consistunt, juxta illud : Parvus et magnus ibi sunt, subaubitur in regno, filii dilectionis.

Et audivi vocem quasi tubæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium : Alleluia. Magna vox canticorum, magna est devotio sanctorum. Quæ recte tubæ comparatur, quia magna prædicat. Unde per Isaiam dicitur : *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Vox quoque aquarum multarum, vox est populorum multorum, aquæ enim multæ populi sunt multi, sicut supra legimus. In voce autem tonitruorum magnorum terror exprimitur judicii. Tonitrua quippe magna ex se emittunt, quando impiis terrorem divini judicii annuntiant. Omnes itaque, id est prædicatores et subditi auditores invicem se hortantes dicunt : *Alleluia*, id est, *Laudate Dominum.* — *Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Ac si dicant : In eo nobis collaudandus est, quoniam sicut ab initio mundi regnavit in nobis diabolus, sic ab adventu suo regnavit ipse Christus, et nos qui eramus dudum regnum diaboli, transtulit in regnum gloriæ suæ,

moriens, et tertia die a mortuis resurgens. Cujus etiam potentia in hoc principaliter ostenditur, quoniam qui potuit in principio mirabiliter hominem formare, ipse mirabilius moriens in fine temporum, eum, qui pericrat, potuit reformare. Et in his omnibus simul potentia illius ostenditur et misericordia.

Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei. Hæc vox non est extraneorum, id est, non est Judæorum, paganorum, qui a fide Christi et consortio fidelium longe sunt, sed vox omnium sanctorum invicem se hortantium ut gaudeant et exsultent, dentque gloriam omnipotenti Deo, qui sine ullis præcedentium bonorum actuum meritis, sola sua misericordia ad tantam eos perduxit dignitatem. *Quoniam venerunt nuptiæ Agni.* Nuptias in sacro eloquio sæpe legimus esse appellatam Christi et Ecclesiæ conjunctionem, unde est: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias Filio suo* (*Matth.* XXII). Sponsus enim est Christus, sponsa Ecclesia, quia sibi desponsavit et per fidem et gratiam baptismatis. Dedit ergo Christus huic sponsæ arrham, id est fidem, spem, charitatem : et per hæc toto isto tempore conjungitur illi, in futuro autem jam ei per rem sociabitur. *Et uxor ejus præparavit se.* Duo dicit, sponsam videlicet, et uxorem nunc enim sancta Ecclesia est sponsa, cum autem ad amplexus viri sui fuerit perducta, et quod nunc videt in spe, viderit in re, tunc erit uxor. Consuetudo quippe est sacræ Scripturæ, ut aliquando sponsas appellet uxores, et sponsos viros : iterumque sponsas uxores, et maritos sponsos. Unde evangelista cum superius dixisset de Domini matre : *Cum esset desponsata mater ejus Joseph,* in sequentibus addidit: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam.* Cui et angelus dixit : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I), cum necdum scilicet esset ejus uxor. Tale est et illud : *Si invenerit puellam desponsatam in agro, et dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi* (*Exod.* XXII). Appellatur quoque vir et uxor, sponsus et sponsa, sicut Joel dicit : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel* II). Quod autem dicit: *Uxor ejus præparavit se*, non de ista quæ nunc agitur præparatione per fidem intelligitur, sed potius de illa de qua Dominus dicit: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Tunc venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt ad nuptias cum eo* (*Matth.* XXV). Ista est conjunctio, quando quæ dicebatur sponsa, transit in conjugem. Et cum in fine sæculi ista conjunctio et præparatio debeat fieri, jam facta esse refertur in Dei prædestinatione. Et ideo omnes justi ad hanc conjunctionis speciem anhelant, et invicem se hortantes dicunt : *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei.* Potest etiam et ita intelligi, quod cum illuc Ecclesia pervenerit, ista sit dictura. Et hoc prævidens spiritus pro certo uturum ita narrat, quasi jam sit factum.

Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Quid sit byssinum, ipse aperit cum subjungit: *Byssinum enim sunt justificationes sanctorum.* Justificationes autem sanctorum fiunt per fidem, juxta quod Apostolus dicit : *Justificati per fidem, pacem habeamus ad ipsum.* Fiunt etiam justificationes per gratiam baptismatis, per eleemosynarum largitatem, per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Et quia has virtutes Ecclesia a se non habet, sed a Deo percipit, idcirco dicitur: *datum est illi*, a Deo scilicet, a quo omne bonum tribuitur, juxta illud : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Hinc et Paulus ait: *Quid habes quod non accepisti ?* (*I Cor.* IV). In hac itaque vita per fidem et charitatem cooperitur Ecclesia, in illa autem sola charitate vestietur, quæ major horum esse perhibetur. Et in hac charitate omnes maxime justificationes consistunt, propter quam cuncta per fidem operantur. Bene autem byssinum splendens et candidum dicitur, quia videlicet nullis peccatorum tunc maculis offuscabitur electorum conscientia, quæ hic per fidem, spem, et charitatem fuerit ornata.

Et dicit mihi : Scribe. Videlicet in corde tuo, vel etiam scribe in libro, ut perveniat ad posteros. Nam et quod Joanni dicitur, omni Ecclesiæ dicitur, cujus ille tunc typum gerebat. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Non de his nuptiis quæ in præsenti aguntur, ista dicuntur, ad quas multi intrare videntur per fidem et baptismum, sed non ideo sunt beati, quia fidem quam habere videntur, operibus maculant, unde scriptum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Sed de his nuptiis hoc intelligitur, in quas solummodo boni intrabunt, ubi jam non erit quisquam qui dignus sit projici, non habens vestem nuptialem, sed omnes candidis stolis induti, gaudebunt in æternum cum Christo. Has multi exituri intrant, sed illas quisquis semel intraverit, ulterius non exibit. *Beati,* id est felices, *qui ad cœnam nuptiarum Agni*, id est, ad supernum illud et cœleste convivium, *vocati sunt* in Dei præscientia et prædestinatione, id est ad societatem angelorum et sanctorum hominum, ibi erit refectio animarum sanctarum, id est præsens omnipotentis Dei vultus. Unde Psalmista dicit: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). De hac cœna et in Evangelio dicitur : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* (*Luc.* XIV). In hac cœna ipse Dominus suis ministrabit fidelibus, juxta illud: *Præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* (*Luc.* XII). Bene autem non convivium, sed cœna vocatur, quia nimirum in fine sæculi adimplebitur. Post prandium enim cœna restat, post cœnam autem convivium nullum restat; qui ergo, finito præsentis vitæ termino, ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, profecto ad cœnam Agni vocantur. *Et dicit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.* Id est quia Deus verax est, qui non mentitur aliquando, et hæc verba quæ dico tibi Dei verba sunt, et ideo pro certo venient quæ futura

prædixi. Quæ Dei verba ad hominem veniunt, quando per internam inspirationem ipsum Dei verbum ea in corde revelat fidelibus sine strepitu vocis.

Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum, et dicit mihi: Vide ne feceris. Conservus tuus et fratrum tuorum sum habentium testimonium Jesu. Quia majorem se vidit Joannes, idcirco cadens angelum adorare voluit. Hic etenim et angelus et Joannes proprias sumunt personas, nam cum supra angelus dixerit: *Ergo sum α et ω, primus et novissimus,* ostendit se in hoc loco missum esse in figura Christi, cum propriam personam considerans, prohibet ne se adorare debeat, ubi et notandum, quod idem angelus pedes habuisse dicitur, quia nimirum veniens, ex aere corpus assumpsit. Ait ergo: *Vide*, id est cave *ne feceris*, quia *conservus tuus sum*, quia unum Dominum habemus ego et tu, et in nullo sum tibi prælatus, nisi tantum in doctrina, quam te missus sum docere, nec solum tuus sum socius, sed etiam omnium fratrum tuorum, fidelium scilicet hominum me coæqualem esse profiteor, habentium testimonium Jesu, id est fidem Jesu. Ubi et hoc intuendum, quia cum sæpe in Veteri Testamento legimus angelos ab hominibus adoratos, nequaquam legimus eos fuisse prohibitos. Postquam autem Dominus assumptum hominem super cœlos levavit, angelus ab homine adorari timuit, quem super se regnare cognovit: et quia ne se adorare debeat ei dicit, et ostendit quem adorare eum oporteat, subjungens: *Deum adora.* Quasi diceret: Noli adorare me, qui verba tibi depromo, sed eum, in cujus persona tibi appareo. *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.* Quidquid enim spiritus prophetiæ dixit, testimonium est Jesu, cui lex et prophetæ testimonium perhibent. Unde et cum ipso in monte transfigurato Moyses et Elias apparuerunt in eadem majestate, ut ostenderetur, ipsum habere testimonium a lege et prophetis. Hinc ipse Dominus dicit Judæis: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v). Omnis enim Scriptura per Spiritum est data. Et ideo ipse spiritus prophetiæ testimonium Jesu est, quia omnis Scriptura testimonium perhibet Jesu. Unde ipse resurgens a mortuis, dixit discipulis suis: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis et Psalmis de me* (*Joan.* I); nam et eo baptizato, Spiritus sanctus testimonium ei perhibuit quod esset Dei Filius, quando in specie columbæ super eum descendit. Spiritus itaque prophetiæ Christo testimonium perhibet, quia omnia quæ lex et prophetæ narrant, de illo dicta videntur. Habent autem hoc testimonium Jesu, non hi qui verbotenus ea quæ de illo dicuntur credunt, quia fides si non habeat opera, mortua est, sed qui ea fide pollent, quæ per dilectionem operatur, id est qui fidem quam habent, operibus ornant. Sed ubi omnis summa fidei de Christo enuntiata concluditur, ibi tandem hujus prolixitas libri debito fine terminetur.

LIBER SEPTIMUS.

SEQUITUR CAPUT XIX.

Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus. Cœlum, ut sæpissime jam dictum est, Ecclesia electorum intelligitur, de qua scriptum est: *Cœlum mihi sedes est.* Et Salomon dicit: *Anima justi sedes est sapientiæ.* Paulus autem confirmat Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam. Quod videlicet cœlum clausum fuit, quando non permittebantur apostoli et cæteri fideles libere loqui, nec dumque prædicando pervenerant ad omnes gentes. Clausum erat hoc cœlum, quando timore cogente apostoli positi erant in conclavi propter metum, et sub silentio se tegebant, quando venit Dominus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: *Pax vobis.* Sed postquam ille ascendit ad cœlos, aperuit hoc cœlum, quia decima die ascensionis suæ, misit eis Spiritum sanctum, quo inflammati, cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei: et qui prius non audebant Christum confiteri in sua lingua, postea innumera hunc diversitate linguarum publice prædicabant. Per equum album, corpus et animam Christi intelligere debemus: per sessorem autem equi, divinitatem Verbi, quæ præsidet suæ humanitati. Hunc autem equum tunc divinitas ascendit, quando Verbum Dei humanam sibi carnem et animam suscipiendo univit. Sed cum aliud sit equus, aliud equester, quia equus est animale, equester est homo, non hoc in Dominum cadit, in quo non sunt duæ personæ, sed una, in duabus tamen substantiis. Sicut enim homo ex anima et carne constans, unus homo habetur, ita ipse ex anima et carne constans et divinitate, unus est Christus, in una eademque persona ex duabus constans subetantiis. Bene autem ipse equus, cui divinitas Verbi singulariter præsidet, albus esse describitur, quia videlicet in homine illo assumpto, nullius peccati offuscatio invenitur. Unde scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II). Cœlo itaque aperto, equus albus et sessor aspicitur, quia Ecclesia prædicante, humanitas Christi ejusque divinitas gentibus manifestatur. De cujus divinitate adhuc subjungitur, *et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax.* Fidelis, quia quidquid promittit, sine dubio adimplebit: verax, quia ipse est Patris veritas, qui non mentitur aliquando, *et cum justitia judicat,* hoc est unicuique secundum opera sua retribuit. Neque enim aliter judicare potest, qui in omnibus justus est. Unde qui eum attendunt miseri-

cordem et fidelem promissorem, debent considerare quia verax et justus est, ideoque nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conversum misericordia salvat, *et pugnat* in suis electis. Vicit enim primum per se diabolum, quoniam ad debellandas aereas potestates venit, deinde vincit quotidie per membra sua. Ut enim fideles victores fiant, Christi juvantur auxilio, sine quo nihil facere possunt. Judicat ergo, ut rex sæculorum : pugnat, quia in suis membris semper contra dæmonum vel pravorum hominum adversitates dimicat.

Oculi autem ejus ut flamma ignis. Oculi istius equitis dona sunt Spiritus sancti. Unde superius dictum est, quod viderit agnum tanquam occisum Joannes, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in orbem terrarum. Qui oculi bene *ut flamma ignis* dicuntur, quia videlicet nos ad fidem illuminant, et ad Dei amorem et proximi accendunt. Vel per oculos Domini possumus intelligere divina eloquia, quæ nos similiter illuminant, et ad Dei amorem accendunt. Unde Psalmista dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Ps.* CXVIII) ; et iterum : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Ps.* XVIII). — *Et in capite ejus diademata multa.* Quia Dominus multis electis victoriarum coronas tribuit, idcirco in capite suo multa diademata habere dicitur, quibus multitudo sanctorum coronatur. Quia enim caput omnium electorum est, et membra ejus electi. a quo accepit caput ut sit, ab ipso et membra coronantur. Singulis autem victoribus, ipse coronas victoriæ tribuit, sed tamen (ut jam dictum est) ipse in omnibus vincit. Aliter : Caput Christi Deus est, juxta quod Apostolus dicit, Verbum autem et Pater cum Spiritu sancto unus est Deus. In capite ergo Christi, id est in Deo Patre, sunt multa diademata, quia omnia ad ipsum referuntur, ex quo secundum Apostolum omnia esse probantur. Filius enim non a seipso, sed a Patre est, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit. A quo ergo omnia, in ipso et diademata multa. Omnes itaque electi in capite Christi habent coronas, quia a Patre post victoriam coronantur. Sed in hoc quod sequitur, *habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse,* valde perplexa oritur quæstio, nunquid Filius scire aliquid potest, quod nesciat Pater aut Spiritus sanctus ? Non omnino, quia quorum inseparabilis est substantia, inseparabilis est et scientia, ideoque quod scit Filius, scit Pater, scit et Spiritus sanctus, atque ideo cum Filius aliquid scire dicitur, omnis prorsus Trinitas scire docetur : et quod solus Pater scire narratur, cum sua sapientia quæ Christus est, et suo suæque sapientiæ Spiritu nosse probatur : et quidquid Spiritus sanctus perhibetur scire, omnino cum Patre et Filio quorum Spiritus est, scire creditur. Nam et quod in Evangelio Dominus dicit : *De die autem illa nemo scit nisi Pater*, non est ita intelligendum, quod aliquid sciat Pater, quod nesciat Filius, qui utique Patris est sapientia, sed potius ita quod nescire Filius dicitur, nescientes homines redA dere, sicut et scire dicitur, aliquid scientes homines facere. Unde est : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat* (id est, ut scire vos faciat) *si diligitis eum*, an non. Cum ergo interrogassent eum apostoli de die judicii, et eis non ipsum diem indicavit, per hoc utique nescire ipsum dicitur diem, quia eos nescientes reddidit. Neque enim ille ignorare potest diem, a quo omnis factus est dies : nec potest aliquod esse tempus, quod eum lateat, per quem facta sunt omnia tempora. Nomen itaque Filii Pater scit, a quo est genitus, scit etiam Spiritus sanctus, quia ab utroque procedit. Sed nunquid hoc nomen etiam homines non sciunt ? Nam in sequentibus idem Joannes dicit : *Vocatur nomen ejus Verbum Dei*, et iterum : *Habebat in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum et* B *Dominus dominantium*. Si ergo beatus Joannes nomen ejus scivit, quid est quod dicit : Nemo novit nomen ejus nisi ipse ? Nunquid enim ipse aliquis non erat qui scire potuit nomen Dei ? Sed subaudiendum est, nemo extraneus novit nomen ejus, nisi ipse cum corpore suo, scilicet quod est Ecclesia : non Judæi, qui eum in suis synagogis blasphemant : non hæretici, qui male de illo sentiunt : non pagani, qui in eum credere nolunt : non utique falsi Christiani nomen ejus sciunt, sicuti qui fidem quam habent, operibus destruunt : sed ipse, hoc est Christus cum Ecclesia, quæ in ipso illud scire meruit. scit nomen suum. Talis est hæc locutio, qualis illa, qua ipse alibi ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III), C id est Christus cum corpore suo, quod est Ecclesia.

Et vestitus erat veste aspersa sanguine. Vestis sanguine respersa, caro intelligitur Redemptoris, passionis sanguine cruentata. De hac veste Isaias ex persona angelorum ad ipsum Dominum loquentium dicit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ?* Quibus ipse respondit : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXIII). Sive etiam vestis Domini sanguine cruentata, intelligitur Ecclesia, quæ in sanctis martyribus proprio sanguine est perfusa. Sæpe enim in Scripturis vestis Domini Ecclesia intelligitur. Unde Psalmista ex illius persona dicit : *Divi-* D *serunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal* XXI). Vestis quippe Dei sunt omnes electi, juxta quod ei a Patre dicitur : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam his omnibus vestieris. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei*, quia idem qui homo apparuit in tempore passurus, in principio erat Deus et apud Deum. Verbum Dei vocatur, quia per ipsum omnia Deus Pater fecit, juxta illud : *Ipse dixit et facta sunt.* Si enim dixit, utique per Verbum dixit, per quod omnia fecit. Unde idem Joannes in Evangelio suo ait : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Nam et per hoc Verbum Deus Pater se nuntiari voluit mundo. De quo scriptum est. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*). Cum enim hoc esset Verbum invisi-

bile in sua natura, factum est visibile per assumptionem carnis in nostra.

Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis. Exercitus hic multitudo intelligitur fidelium. Cœlum quoque Ecclesia est, sicut sæpissime dictum est. Sic ergo dicuntur exercitus qui sunt in cœlos sequi Christum, cum ipsi exercitus sint cœlum, sicut dicuntur in castris inire homines certamen, cum ipsa castra sint ipsi qui præparantur ad bellum. Recte autem exercitus nuncupantur multitudines sanctorum, quia in hoc sæculo dimicant, et semper in certamine consistunt contra hostes, videlicet malignos spiritus, vel perversos homines, sive etiam contra vitia carnis. Equi autem albi quibus insident corpora illorum munda ab omni peccato. Equus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet scit et ab illicitis continentiæ se freno restringere, et rursus charitatis impulsu, in exercitationem boni operis relaxare. Sequuntur Christum, quia imitantur ejus munditiam et castitatem, mortificantes se cum vitiis et concupiscentiis, juxta illud Apostoli : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*, etc. (*Col.* III). Superius dictum est de virginibus, quod centum quadraginta quatuor millia sequuntur illum quocunque ierit. Unde sciendum, quia sequuntur eum et alii, hoc est martyres, confessores, conjugati etiam boni, specialiter virgines. Qui gradus quando excellentior, tanto est utique numero minor. *Vestiti byssino albo et mundo.* Hoc est innocentia castitatis, et munditiæ ornati. Jam enim supra dictum est, quid sit byssinum, id est justificationes sanctorum.

Et de ore ipsius procedit gladius ex utraque parte acutus. Gladius sacra Scriptura intelligitur, juxta illud Apostoli : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). De isto gladio ipse Dominus in Evangelio ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X). Sicut enim gladio ancipiti inciduntur carnes, et membra a membris separantur, sic gladio verbi Dei dividuntur boni a malis, fideles ab infidelibus. Hic etiam gladius in utroque Testamento intelligitur, quia videlicet hinc peccata operis, et illinc resecantur peccata cogitationis. De ore Dei procedit, juxta quod ipse Dominus dicit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei* (*Matth.* IV). Isto autem gladio fideles vulnerantur ad salutem suam, infideles vero et contemptores ad damnationem. Hinc et Apostolus, qui unus erat ex his qui gladium verbi Dei portabant, dicit : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* II). Unde sequitur : *ut in ipso percutiat gentes.* Gentes in hoc loco non ut supra malas gentes significant, sed bonas, propter hoc quod sequitur. *Et ipse reget eas in virga ferrea.* De his gentibus ei et per Psalmistam a Patre dicitur : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II). Virga autem ferrea potestas intelligitur inflexibilis et invicta. In virga ferrea reget gentes, hoc est in regni fortitudine, vel inflexibili justitia. Hinc Psalmista ad ipsum dicit : *Virga recta est virga regni tui.* Et quasi exponendo quid esset hæc virga, subdit : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem.* — *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Quia propter peccata humani generis quibus promeruit iram Dei, mortuus est Christus. Nemo enim viveret, nisi ipse moreretur. Nisi enim peccasset primus homo, immortalis mansisset. Sed quia Dei præcepta contempsit, statim iram Dei incurrit, et mortuus est. Quam mortem pro nobis misericorditer Filius Dei suscipiens, in qua calcatus est, calcavit, quia hanc a mortuis resurgens, potenti virtute depressit. Vel per torcular possumus intelligere tribulationem præsentis vitæ. Calcat Dominus torcular, hoc est qui sunt in torculari, id est omnes electos, quos purgat per hujus vitæ angustias Hinc Apostolus dicit : *Per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Et Salomon : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Sicut enim in torculari uvæ tunduntur, ut vino promptuaria repleantur, sic nimirum electi pressurarum afflictionibus conteruntur, ut in cœlestibus habitaculis recondantur. Et quia patienter electi iram Dei sustinent, quæ peccatoribus debetur, idcirco bene jam vinum furoris iræ Dei vocantur. Sustinent enim iram Dei propter peccata, quibus primo homini, ut dictum est, iratus est Deus, et efficiuntur vinum quod in dominicis apothecis reconditur. Vinacia autem, id est omnes reprobi, cum similiter premantur, foras projiciuntur, et ab illorum societate separantur. Sed electi tamdiu vinum furoris sunt, quousque in torculari vice uvæ tunduntur, et a vinaciis separantur. At ubi promptuaria æterna intraverint, jam desistunt esse vinum furoris, quia desinit calcatio torcularis.

Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. Per vestimentum Domini, sicut supra diximus, corpus illud intelligitur, quod Verbum Dei patris anima mediante suscepit in utero virginis. Per femur vero propagatio carnis exprimitur, unde Abraham mittens servum suum ut acciperet uxorem filio suo de domo patris ejus, dixit ei : *Pone manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Dominum cæli et terræ* (*Gen.* XXIV). Prævidit enim Dominum cœli ex suo femore nasciturum, per quem adjuravit servum ; Jacob quoque dixit : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). In suo itaque vestimento, hoc est in humano corpore, et in femore, id est in carnali propagatione, habet scriptum quod sit rex Regum et Dominus dominantium. Unde Matthæus generationem illius per reges describit, id est per David et ejus posteros. Cujus dicta cum legimus, et veraciter eum ex stirpe David descendisse, regem verum cognoscimus, et credimus, in Domini femore credendo legimus, quod ipse sit rex regum. Maxime enim promissiones de ejus incarnatione ad David factæ sunt, e quibus una est : Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo de semine tuo, quod egredietur de lumbis

tuis,et stabilietur regnum ejus in sempiternum. Ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem *(II Reg.* VII). Reges isti quorum rex Christus est, omnes sancti sunt, qui se et alios bene regunt. Quibus Petrus dicit : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium (I Petr.* II). Ipsi sunt etiam dominatores, qui dominationem exercent super subditos, accepta potestate in Petro apostolo, cui Dominus ait : *Tibi dabo claves regni cœlorum (Matth.*XVI). Vel etiam per Domini vestimentum Ecclesia intelligitur, quam Christus fonte baptismatis abluit, et non habentem maculam aut rugam sibi desponsavit. Per femur autem omnes intelliguntur Christiani, qui credentes in Christum, facti sunt filii Dei, juxta illud Joannis : *Quotquot autem crediderunt in eum,dedit eis potestatem filios Dei fieri (Joan.* I). In suo ergo vestimento et in suo femore, hoc est in cordibus electorum suorum, habet scriptum, quod sit *Rex regum et Dominus dominantium.*

Et vidi alium *angelum stantem in sole.* Angelus, ut sæpe dictum est, Christus intelligitur, de quo Propheta dicit, vocabit nomen ejus magni consilii angelus. Alius autem dicitur propter aliam, quam ostendit visionem, eo modo quo et superius dictum est,quia alium esse dicimus hominem, priorem locutionem ad nos factam permutantem.Sol in sacro eloquio diversas habet significationes. Aliquando enim significat ipsum Dominum,unde scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ (Mal.*IV). Aliquando tribulationem persecutionum,ut Dominus dicit de seminibus quæ ceciderunt super petrosa, quia oriente sole æstuaverunt.Aliquando manifestam rem ut illud, quod Nathan,ex persona Domini dixit ad David : *Tu fecisti abscondite, ego vero faciam* in oculis solis hujus (*II Reg.*XII), id est in aperto. Quod tunc impletum est, quando Absalon videntibus cunctis ingressus est ad uxores patris sui. Et Psalmista in eodem sensu dicit : *In sole posuit tabernaculum suum (Psal.* XVIII). Ac si diceret, humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifestationis ostendit. Ita ergo in hoc loco sol ostensionem manifestæ visionis significat. In sole itaque stat Christus, id est in manifesta luce, et fide populorum, quoniam gloria illius in toto orbe terrarum diffusa est. Surrexit enim a mortuis,prædicatus est ab apostolis, creditur modo in toto mundo, et in hac luce fidei stat. *Et clamavit voce magna omnibus avibus quæ volabant per medium cœlum.* Aves similiter aliquando in bonam partem ponuntur, aliquando in malam, ideoque pro locorum qualitatibus sunt accipiendæ. In malo quidem ponuntur, ut Dominus dicit de jactis seminibus, quæ a volucribus comesta sunt. In bono autem ut in Evangelio dicitur : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est omnibus oleribus. Sed cum jam factum fuerit in terram crescit, et magna fit arbor, ita ut volucres cœli habitent in ramis ejus (*Matth.* XIII). Granum sinapis, Dominus est Jesus Christus, qui tempore suæ passionis despicabilis, et minor omnibus apparuit hominibus, quasi nihil esset : sed postquam surrexit a mortuis, factus est arbor magna, ita ut in ramis ejus, hoc est in doctrinis Evangelicis, aves cœli habitent, id est sancti requiescant. Qui idcirco aves cœli appellantur, quoniam mente cœlestia petunt. ut cum Apostolo dicere possint : *Nostra conversatio in cœlis est (Philip.* III). Aves itaque appellat sanctos in cœlesti vita degentes. Quæ bene per medium cœlum volare dicuntur, quoniam non terrenis rebus inhærent, sed mente, ut dictum est, cœlestia petunt, et ubique prædicando discurrunt. Hoc est quod dicit *per medium cœlum*, id est per mediam Ecclesiam. De quibus Isaias dicit : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ? (Isa.* LX). Clamat autem angelus avibus, id est, per internam inspirationem loquitur eis, dicens : *Venite et congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis.* Quid per cœnam, nisi convivium intelligitur æternæ refectionis ?Vocat ergo aves ad cœnam,id est omnes sanctos ad epulas regni venturi, dicens : Venite credendo et bona faciendo. *Congregamini ad cœnam Dei omnipotentis*, id est ad commune convivium æternæ refectionis.

Ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis. Hinc est quod Petro dixit : *Occide et manduca* (*Act.* X), id est, occide in hominibus infidelitatem, et in corpus tuum, quod est Ecclesia trajice. Per carnem autem in hoc loco, totus intelligitur homo.Aliquando enim in Scriptura, per animam totus homo accipitur, ut illud : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III). Neque enim aut animæ sine corporibus ingressæ sunt in Ægyptum, aut caro sine animabus Filium Dei videre poterit, sed carnis vel animæ nomine totus homo intelligitur, id est a parte totum. Ita ergo et hic fit cum dicitur,*ut manducetis carnes regum et tribunorum*. Quo in loco diversæ hominum qualitates ad Christum convertentium comprehenduntur : Sunt quippe in Ecclesia reges, sunt et tribuni, id est comites et cæteri principes nobiliores, sunt fortes viri bellicosissimi ad Christum conversi. Per equos autem hi designantur, qui prius erant voluptuosi et luxuria coinquinati,de quibus propheta dicit: *Equi emissarii facti sunt* insanientes in feminas (*Jer.*V).Et in Psalmis ipse Dominus admonet,dicens : *Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI). Per sessores autem hæresiarchas intelligere possumus, qui dum eloquiorum scientia carnalibus eminent quasi super bruta animalia insident, eisque jure potestatis ad quodlibet facinus abutuntur. Sed aliquando tales sancti sua doctrina ad fidem Christi convertunt, et ad bonitatem Ecclesiæ trahunt, sicque quasi mactantes eos comedunt. *Et carnes omnium liberorum ac servorum et pusillorum ac magnorum.* Liberti sunt virgines carne. Servi autem conjugio obligati,quibus Apostolus dicit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI), id est alieni fuistis a justitia. Per pusillos intelligitur vulgus ignobile, et multitudo plebis. Per ma-

gnos vero, philosophi et divites hujus sæculi. Ex his omnibus magnum illud convivium cœnæ, ab exortu quidem sanctæ Ecclesiæ præparatur, sed in fine temporum abundantius præparabitur, quando non solum gentiles, sed etiam Judæi occurrent, et ad Christum convertentur. Unde et ista specialiter ad illud tempus referre possumus. Angelus itaque in sole, Elias et Enoch intelliguntur, in aperta luce Christum prædicantes. Licet enim persecutiones videlicet ab Antichristo sustineant illatas, tamen constanter et manifeste prædicabunt Christum, dicentes omnibus avibus, id est omnibus sanctis, sociis videlicet prædicatoribus, Venite ad cœnam magnam Dei omnipotentis, id est ad Ecclesiæ conventum, et æternam omnium fidelium refectionem. Quæ cœna recte magna vocatur, quia videlicet et gentiles, et Judæi ad vitam æternam præordinati tunc credent, et ad hanc cœnam venient, ut comedant carnes regum et cæterorum, id est ut ex omnibus conditionibus et qualitatibus ad fidem Christi convertantur, et in corpus suum, quod est Ecclesia, trajiciantur.

Et vidi bestiam et reges terræ et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Bestia, ut supra dictum est, aliquando diabolum malorum principem, aliquando vero Antichristum, aliquando totum corpus diaboli significat. In hoc loco bestia, diabolus cum suo homine assumpto intelligitur. Reges vero et exercitus eorum, præpositi cum subjectos eorum malis designantur, hi faciunt bellum contra Christum et ejus fideles, blasphemiis et opprobriis, tribulationibus et miraculis pugnantes. Et quamvis ab ipso Domini adventu, diabolus cum suis membris bellum certaminis contra Ecclesiam inierit, validius tamen in fine sæculi pugnabit, quando divino judicio solutus propriis viribus efferabitur, quando signis et miraculis castra sanctorum perturbare nisus fuerit. Tunc pariter bestia, reges et exercitus eorum pugnabit cum Christo, et ejus exercitu, quia uno voto unaque voluntate reprobi, adversus Ecclesiam firmabuntur, cum per damnatum hominem, antiquus hostis in sæculari potentia se eriget: tunc enim unanimi crudelitate reprobi cum suo capite, contra Ecclesiam erigentur, nullumque membrum iniquorum a sui capitis voluntate, in hac persecutione discrepabit.

Et apprehensa est bestia. Pro eo quod apprehendetur, quia præteritum tempus pro futuro hic positum est. *Et cum illa pseudopropheta, et qui fecit signa coram ipso quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus.* Bestia, Antichristus, pseudopropheta doctores pravi intelliguntur. Quæ sint autem signa quæ pseudopropheta fecerit, quia in uno multa intelliguntur, superius dictum est, inter quæ etiam ignem fecerit descendere de cœlo. Coram bestia dicit, quia ubicunque fuerint ipsi ministri Antichristi, ita ea facient, quæ illi placere cognoverint, quasi semper in conspectu illius consistant, et ab eo videantur. Et his signis subjicient eos qui acceperunt characterem bestiæ: hoc est qui in eum crediderunt, et qui adoraverunt imaginem ejus, sicut Judæi, qui cum gaudio et veneratione ejus præstolantur adventum, quem et susceperi sunt cum venerit. Juxta quod Dominus eis dicit: Ego, inquit, veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, ipsum suscipietis. De quibus omnibus satis supradictum est, ideo hic breviter repetuntur. *Hi duo*, id est caput et corpus, *vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis et sulphuris.* Hoc dupliciter potest intelligi: vivi etenim in stagnum ignis ardentis mittentur hi, quos Christus veniens ad judicium vivos reperit in carne. Qui paululum degustata morte, statim resurgent et damnabuntur cum diabolo et angelis ejus. Qui etsi momentaneam carnis mortem gustaverint, tanquam in ictu oculi resurgent, non mortui sed vivi appellantur. Vel certe viventes in stagnum ignis mittuntur, hi qui scienter malum operantur. Et ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo, verbi gratia: Constituentur duo homines, unus mortuus et alter vivus. Si tetigeritis mortuum, non sentit; si tetigeritis vivum, sentit. Sæpe vero in Scriptura mortui pro nescientibus, vivi pro scientibus ponuntur. Mortui itaque sunt pagani, et quasi nescientes et mortui in infernum descendunt, unde scriptum est: Qui non credit, jam judicatus est, vivi autem sunt, qui fidem Christi habent, sed dum eam operibus destruunt, vivi in infernum descendunt, quia scienter peccant, et hi utique gravius torquebuntur, quia servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit digna, plagis vapulabit multis. Considerandum denique est quam terribiliter locus suppliciorum stagnum ignis, et sulphuris esse perhibetur. Stagnum scilicet propter densissimas tenebras, quibus miseros demergit. Ignis vero, quia exurit. Sulphur, quia quos demergit simul et exurit, et continuis fetoribus replet.

Et cæteri, id est fideles qui ad Christum sunt conversi, *occisi sunt gladio sedentis super equum qui procedebat de ore ipsius.* Narrata reproborum damnatione, revertitur ad eos qui ad Christum conversi sunt, et gladio verbi Dei interempti mortui sunt mundo et peccato, ut viverent. *Et omnes aves*, id est, omnes sancti *saturati sunt de carnibus eorum.* Satietas enim electorum est lætitia et gaudium de profectu fidelium. Verum quia verbi Dei gladio quidam jugulantur ad salutem, ut superius dictum est, quidam vero ad damnationem. Possumus et hos mortuos qui occisi sunt gladio sedentis super equum eos intelligere, qui ante Domini adventum secundum transeunt ad infernum, et ex his lætantur aves, hoc est dæmones, qui valde gaudio replentur, cum ad interitum suos perducunt imitatores. Sicque de eorum damnatione capiunt satietatem, quibus se auctores præbuerunt ad errorem. Istæ aves non vocatæ ad mactationem cœnæ occurrunt, sed tanquam corvi, ac milvi, ut si quid a fidelibus, aut morticinum

aut inutile projectum fuerit, consumant. Quod si bonæ aves ex carnibus reproborum, id est sancti prædicatores ex damnatione impiorum, quia videlicet tormentum impiorum aspicientes, de ereptione sua amplius lætabuntur, saturari narrantur, specialiter est intelligendum tanquam diceretur : Eo internæ contemplationis dulcedine interius satiantur electi, quo reproborum tormenta exterius conspiciunt, quæ divina misericordia evaserunt. Hinc Isaias dicit : *Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* (*Is.* LXVI). Quasi enim damnatio reproborum, cibus est electorum, quia quo cruciatus eorum indesinenter aspiciunt, eo amplius divinæ contemplationis gaudiis perfruuntur. De quo per Psalmistam dicitur : *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt* (*Ps.* LI). Quia enim voluptates mundi tanquam aquam hauserunt, invidiæ ardoribus æstuaverunt, ac luxuriæ fetoribus tabernaculum corporis sui sparserunt, digne in stagnum ignis ardentis et sulphuris mitti cum illo perhibentur, quam ad hæc perpetranda incentorem habuerunt. Quod autem non ait, mittentur, sed *missi sunt*, secundum Scripturæ auctoritatem posuit, quæ solet præterito pro futuro uti, ut est illud : *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* XXI), præoccupata quidem narratione quod adhuc futurum extremo tempore positum est, certissime retinemus.

CAPUT XX.

Et vidi alium *angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua.* Nunc revertitur ad superiora, id est ad ea quæ ante adventum Christi secundum, facta sunt. In hac enim prophetia non servatur ordo historiæ, Angelus autem hic idem est qui et supra, id est Dominus Jesus Christus, qui a propheta *magni consilii angelus* appellatur. Sed quo descendit, qui ubique est ? Ipse enim per prophetam dicit : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Et quia extra cœlum et terram non est locus, descensio illius non est aliud quam assumptio humanitatis : unde Apostolus ait : *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.*. II). De cœlo descendit, quia homo factus, paulominus ab angelis minoratus est. Clavis autem abyssi, discretio intelligitur, qua Deus omnipotens aliquando reprobos sævire permittit contra Ecclesiam, quantum scit utile : et iterum ne tantum noceant quantum volunt, aditum egrediendi et nocendi eis adimit. Abyssus enim profunda et tenebrosa significat corda impiorum hominum, et sicut ex clavi aperitur ostium et iterum clauditur, sic diabolus, vel ejus membra modo sævire permittuntur, modo exire prohibentur. Per catenam vero, inevitabilis Dei potestas exprimitur, quæ omnia cingit, omnia complectitur, quam habet in manu, hoc est in potestate Verbi per quod omnia facta sunt, per quam ipse virtutes et miracula fecit, per quam etiam Deus Pater omnia operatus est, cœlestia, terrestria, visibilia et invisibilia. In hac manu, id est in virtute Verbi sui habet, et vim discretionis, quo cuncta suo moderamine temperat, et potestatem inevitabilem, qua omnia cingit atque complectitur.

Et apprehendit draconem, serpentem antiquum qui est diabolus et satanas. Hoc quomodo sit factum, ipse manifestat, qui dicit in Evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, fortem ligat et universa arma ejus aufert, et spolia ejus distribuit* (*Luc.* XI). Ipse enim in carnis humilitate apparens, primum fortem alligavit, deinde eos qui fuerunt vasa iræ fecit vasa misericordiæ. Draco, serpens, diabolus et satanas licet plura sint nomina, unum tamen eumdem hostem significant. Qui draco appellatur propter nocendi malitiam, serpens, propter fallendi astutiam, antiquus, propter iniqua et exercitata consilia, quibus ab initio nocere non desinit. Dicitur quoque diabolus, id est deorsum fluens, quia quotidie de cordibus ruit fidelium. Quia vero Christo et Ecclesiæ adversatur, satanas, id est *contrarius* appellatur. *Et ligabit eum per annos mille, et misit eum in abyssum.* Millenarius numerus in Scriptura pro perfectione rei ponitur. Unde est : *Verbi quod mandavit in mille generationes* (*Ps.* CIV). Nam et secundum sæcularem sapientiam perfectus est, quia constat ex denario in se multiplicato. Decies enim deni centum fiunt. Quæ jam figura non quadrata, sed plana est. Decies autem centum mille, qui numerus in altitudinem surgens solidam figuram reddit. Et ideo hic numerus propter sui perfectionem omne significat tempus hoc præsens, a Domini scilicet passione usque ad finem sæculi, et hic totum pro parte positum est, quia mille anni quantumlibet tempus Ecclesiæ exprimunt, id est usque ad regnum Antichristi. In hoc tempore ligatus est diabolus in abysso, id est, in cordibus infidelium et hominum perversorum, ubi et latet et regnat usque ad adventum Antichristi, quando solvetur de suo carcere, et procedet ad apertas blasphemias et persecutiones. Sed mirum est quomodo in abyssum mitti dicitur, cum ibi ante esset, quia videlicet juxta quod sæpe superius dictum est, ejectus a fidelibus atrocius cœpit dominari in suis. *Et clausit*, id est, potestatem egrediendi illi interdixit, ne alibi gressus nequitiæ extendat, nisi quo occultum et justum Dei judicium permittat. *Et signavit super illum*, id est sigillavit, ut ea etiam quæ sub se habet, lateant illum. In hoc enim diabolus signatus est : quia qui sint vel ex his quos tenet, vel ex his quos amisit, qui ad electorum numerum pertineant, nec ipse diabolus nec membra illius scire possunt, sed ille solus a quo inclusus tenetur. Aliquando enim quidam ex his qui ejus esse videbantur, subito ad electorum numerum transeunt : aliquando vero ex his qui dominium ejus evaserant ad eum quem deseruerant revertuntur. Habuit enim

ipse Petrum sub se, quando negavit Christum : et David, quando adulterium simul perpetravit et homicidium, sed signum positum fuit super illum, quia prævidere non potuit, quod uterque per pœnitentiam ad vitam reversurus esset, et Dei misericordiam consecuturus. Quia itaque nescit, qui pertineant ad illum, qui ad Christum, idcirco etiam ea quæ sub ipso sunt quasi sub signaculo reclusa custodiuntur. Ac per hoc agitur, ut nec ille qui sint ejus ad plenum cognoscat, nec nos qui sunt Christi scire valeamus, verum in hoc quod sequitur: *Ut non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni.* Gravis ad solvendum oritur quæstio : si enim et ille idcirco ligatus est, ne seducat amplius gentes, quomodo quotidie contra tot homines pugnat, quos et seducit, dum ad vitia ruere facit? Sed sciendum quia nunc gentes in Christum credentes, et si ad tempus videtur seducere, non tamen seducit ut æternaliter pereant hi, qui in Dei prædestinatione sunt salvandi, et ideo a toto pars intelligenda est, quæ scilicet non potest seduci. Istæ enim sunt gentes, de quibus ad eum Pater dicit : *Postula a me et dabo tibi gentes* (*Psal.* II). — *Post hæc*, id est post mille annos, ut a toto sicut supra partem intelligamus, quoniam de mille annis adhuc restant tres anni et dimidius, *oportet illum solvi modico tempore.* Id est per tres annos, sed nec tunc seducere poterit eos qui ad vitam sunt prædestinati, sed eos quos antequam solveretur, seductos tenebat. Quia sicut nunc alligatus, a læsione fidelium cohibetur, sic etiam tunc solutus, a seductione illorum virtutis potentia deprimetur. Et mille quidem anni, quantum ad electos pertinet, omne tempus istius vitæ significant, usque ad finem sæculi : Quantum autem ad reprobos, usque ad adventum Antichristi. Tunc ille quasi exiet seducere, quia comparatione illius seductionis, ista quæ nunc agitur seductio esse denegatur. Quod si quis inquirit, cur Deus quem semel alligavit, solvi modico tempore voluit : Si a me quæris, dicit beatus Ambrosius, cito respondeo, et ut Dei virtus, et diaboli infirmitas manifestetur virtus Dei, in hoc, quod sancti etiam inter flagella et tribulationum angustias constanter in fide perseverant. Infirmitas autem diaboli in hoc quod etiam a puellis et infantibus vincitur. Si enim nunquam solveretur, minus appareret ejus maligna atque crudelis potentia, minus etiam probaretur sanctorum gentium fidelissima patientia. Solvetur enim modico tempore, et totis viribus sæviet contra electos, ut in illis et Dei potentia nota fiat qui non poterunt vinci tanto ejus impetu, et ille suam infirmitatem et propriam impotentiam erubescat tanquam ei dicatur a Deo exprobrantis voce, Vide quam infirmus sis, qui a puellis vinceris.

Et vidi sedes et sederunt super eas et judicium datum est illis. Thronus Græce Latine dicitur sedes. Per sedes vero generalis Ecclesia exprimitur. Per sessores autem sancti intelliguntur prædicatores, id est duodecim apostoli, et omnes qui perfectam vitam illorum sunt imitati. Nam et his sedibus Psalmista dicit : *Illic sederunt sedes.* Ipsi enim sunt sedes, quia in eorum cordibus Deus sedet, et ipsi sedebunt in judicio, quia aliorum facta judicabunt. Et isti cum Domino venturi sunt ad judicium, juxta quod eis ipse dicit: *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matt.* XIX). Jam nunc etiam sedent et judicant, quia potestatem in Petro apostolo acceperunt, cui dictum est una cum cæteris : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, etc. (*Matth.* XVI). Datum est eis judicium, id est potestas ligandi atque solvendi. Quæritur autem quare superius singulariter unam ponit sedem, dicens : *Ecce sedes posita erat in cœlo* (*Apoc.* IV), et hic pluraliter sedes enuntiantur. Non autem hoc pertinet ad illud generale judicium, sed ad præsens tempus, quo judicant inter bonos et malos. *Et animas decollatorum.* Subauditur vidi. Per animas vero decollatorum plenitudo intelligitur omnium sanctorum, sive scilicet qui spiritualiter in anima sunt mortui, sive corporaliter pro Domino jugulati per ingentis martyrii gloriam. *Propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei.* Hac enim sola causa interfecti sunt, quia confitebantur Christum Deum et hominem, et quia nolebant adorare diabolum. Jesus quippe proprium nomen est hominis assumpti, et interpretatur *salvator*, eo quod salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Verbum autem Dei divinitas intelligitur Filii Dei, in qua æqualis est Patri. Propter testimonium ergo Jesu, et propter verbum Dei, id est propter fidem humanitatis et divinitatis ejus, interfecti sunt. Cur autem decollatorum animæ specialiter visæ dicuntur, cum non hi solummodo cum Christo sint regnaturi? Nimirum propter excellentiorem dignitatis gradum. Erunt quippe virgines ibi, conjugati, et cæteri, sed majorem gloriam habebunt hi qui martyrium pro Christi nomine sunt perpessi. De quibus adhuc subditur *et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus*, id est Antichristum, *nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis.* Id est in fide, sicut Judæi faciunt. *Aut in manibus.* Id est in opere, sicut faciunt non solum pagani qui opera diaboli perpetrant, sed etiam falsi Christiani, qui fidem quam habent operibus destruunt, de quibus satis supra dictum est. Possumus et imaginem bestiæ accipere omne corpus diaboli, id est omnes reprobos qui illum imitantur. Quam imaginem justi non adorant, quia in nullo reprobos imitantur. Neque enim bestiam adorant, neque characterem illius in fronte aut in manu sua accipiunt, quia nec Judæorum Antichristum exspectantium perfidiam, nec hæreticorum dogma, ac gentium sequuntur errorem. Unde Apostolus admonet dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus* (*II Cor.* VI). Non enim adorant imaginem bestiæ, id est non imitantur simulationem reproborum, qui fidei confessionem ore proferunt, sed infideliter vivunt: *Et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.* Sancti et in præsenti vita regnant cum Christo et in futura regnabunt. Ideoque per millenarium numerum et præsentem vitam et futu-

ram intelligimus : Quia regnum sanctorum in die judicii non terminabitur, sed augmentum accipiet. Jam enim regnant per fidem, et etiam in illis, qui quotidie ab hac vita transeunt per apertam speciem, sed tunc amplius regnabunt, quando simul in regnum introducentur, et *erit Deus omnia in omnibus (I Cor.* XV). Unde et idem Joannes in Epistola sua dicit : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I Joan.* III).

Cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Sicut supra sancti intelliguntur, qui semper cum Christo sunt regnaturi, ita et hic reprobi, qui nunquam sunt victuri. Ideo enim dicit cæteri, quia et sancti moriuntur in præsenti vita. Juxta quod Paulus dicit : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, etc. *(Col.* III). Et iterum : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Ibid.*). Isti itaque moriuntur peccato, atque ideo in æternum vivent cum Christo. Cæteri autem mortuorum qui in anima per peccatum sunt mortui, non vixerunt, id est non vivent. Quia enim hic non vivunt per fidem et operationem, illic non vivent per resurrectionem. Tales utique et hic viventes mortui sunt in anima, et quotidie etiam ad mortem transeunt, quando ab hac vita migrantes, in inferno damnantur, et in futuro morientur, quando non ad hoc resurgent ut postea vivant, sed ut acceptis corporibus iterum ad mortem transeant sempiternam. Et non sunt victuri donec consummentur mille anni, id est per omnia futura tempora, ita illi miseri mortui erunt, et nunquam a vita separati vivere poterunt. Mortui quippe erant ante, sed in die judicii mors illorum non accipiet terminum, sed augmentum, quia videlicet in toto ipso tempore quo volvuntur mille anni, noluerunt audire vocem Filii Dei, ut viverent. Has mortes duas Dominus in Evangelio manifestat. De præsenti enim, quia sancti in anima post peccatum surgunt ad vitam, dicit : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* V). De illa autem : *Tunc omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Quia ergo reprobi hic (id est in prima resurrectione) a morte peccati nolunt redire ad vitam, profecto in secunda resurrectione, quæ carnis est, ad mortem secundam cum ipsa carne transibunt. Sicque electi de vita justitiæ, transibunt ad vitam beatitudinis per resurrectionem carnis ; et reprobi de morte peccati, ad ultionem mortis per eamdem resurrectionem carnis. *Hæc est resurrectio prima*, nequaquam diceret : *Prima*, nisi esset et secunda. Prima ergo resurrectio est, quæ fit in anima, quod est, ab infidelitate redire ad fidem, a vitiis ad virtutes resurgere. Secunda autem erit in die judicii, quando resurgent cum corporibus in æternum victuri. Sicut enim sunt duæ mortes, una scilicet animæ, altera corporis ; sic sunt et duæ resurrectiones, una quæ hic fit in anima sicut diximus. Altera quæ in futuro exspectatur in corpore. De hac quippe resurrectione, quæ in præsenti fit per baptismum, Apostolus fidelibus dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite (Col.* III).

Beatus, id est felix. *Et sanctus qui habet partem in resurrectione prima*, id est qui hic resurgit in anima. Felix est enim, qui dum adhuc vivit in corpore, a morte animæ resurgit, quia dum carnis resurrectio advenerit, in æterna lætitia vivet. Ille enim post in carne feliciter resurget, qui in hac vita a mentis suæ morte resurrexit. *Et in his secunda mors non habet potestatem*. Sicut scilicet habet in reprobis, de quibus satis supradictum est : *Cæteri mortuorum non vixerunt*, etc. Quia enim hi qui prius a morte animæ resurgere studuerunt, in his *secunda mors*, hoc est damnatio perpetua, non habet potestatem ; ut enim supradictum est, sicut sunt duæ resurrectiones, similiter et duæ mortes. *Sed erunt sacerdotes Dei* Patris, *et Christi* ejus, id est Filii. *Et regnabunt cum illo mille annis*. Hæc verba non ad solos pertinent episcopos ac presbyteros, sed ad omnes fideles, quicunque scilicet sunt membra veri regis et pontificis Christi, quibus Petrus apostolus dicit : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* III). Reges quippe sunt, quia et in se et in subditis, motus carnalium cogitationum bene regunt. Sacerdotes, quia seipsos mortificant, ut hostia viva fiant. De quibus per prophetam dicitur : *Isti sunt filii Sadoch, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei* (*Ezech.* XL). Sunt itaque sacerdotes et reges in præsenti. Verumtamen sacerdotium et regnum illorum in die judicii non accipiet terminum, sed augmentum, quando et semetipsos totos Deo offerent, et super omnia regna constituentur. Quo contra reprobi, qui hic mercedem suam recipiunt, omnibus rebus exspoliabuntur. In mille autem annis quibus regnabunt cum Christo, omne tempus futurum intelligitur, sicut supra dictum est. Neque enim nunquam a gloria illius regni, secundum quod hæretici voluerunt, separabuntur, sed semper cum Christo regnabunt. Juxta quod Dominus dicit : *Ibunt hi in vitam æternam* (*Matth.* XXV).

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo. Nunc redit ad describenda tempora Antichristi. Consummatos autem mille annos dicit, a toto partem comprehendens. Sic enim solvetur ut super sint anni tres et menses sex. Supra enim mille anni, a Domini adventu usque ad finem sæculi intelliguntur, hic autem usque ad regnum Antichristi, quando ille solvetur de suo carcere, hoc est de reproborum cordibus, in quibus modo ligatus est, ne tantum sæviat, quantum vult. Vel de carcere solvetur, quia de pravitate perfidiæ Judæorum nascetur. Juxta illud : *Fiat Dan coluber in via* (*Gen.* XLVI), etc. *Et exibit*, ad apertas scilicet blasphemias et persecutiones. *Et seducet gentes multas, quæ sunt super quatuor angelos terræ Gog et Magog*. De his gentibus varie quidam loquuntur, æstimantes eas esse gentes aquilonares, id est Getas et Massa-

getas, quæ Scanzam insulam inhabitant. Sed si has tantummodo duas gentes diabolus seducturus esset, nequaquam diceretur ad hoc exire, ut seducat multas gentes quæ sunt super quatuor partes terræ, cum hæ gentes, non quatuor, sed unam tantummodo partem mundi inhabitent. Dicunt etiam alii has gentes ab Alexandro magno in partibus Macedoniæ conclusas, ubi et intantum sunt multiplicatæ, ut viginti quatuor regna de se reddidissent. Sed neque istæ etiam si verum esset, omnes mundi partes tenere possent. Ideoque hæc sententia humana est, non divina. Nam in his duabus gentibus, omnis multitudo intelligitur reproborum, qui super quatuor partes terræ sunt, id est super Orientem, Occidentem, Aquilonem et Meridiem. Quo in loco ostenditur, et fides sanctorum in omnibus mundi partibus invenienda ante finem sæculi. Juxta quod Dominus dicit : Oportet Evangelium prædicari in toto mundo, et tunc veniet finis, et numerositas impiorum, similiter per omnes mundi partes sævitura. Quia enim ubique erunt fideles, idcirco ubique eos insequentur infideles. Gog quippe interpretatur *tectum*, Magog, *de tecto*, quod tale est, quasi dicatur domus procedens de domo. Per tectum itaque intelliguntur corda reproborum, in quibus modo latet diabolus. Juxta quod superius legimus in abysso eum esse conclusum. Diabolus autem est de tecto, tanquam scilicet de reproborum cordibus progrediens. Ipse est ergo modo in tecto, et tunc progredietur de tecto. Tectus est enim modo diabolus in illis, sed temporibus Antichristi exibit de tecto, quasi discoopertus, quia quod nunc facit occulte, tunc faciet manifeste. Vel certe ipsæ gentes sunt tectum, quia in ipsis modo tetigitur et concluditur diabolus, et ipsæ de tecto erunt, quando in apertam persecutionem prorumpent. Exibit ergo in apertam persecutionem, ut seducat Gog et Magog, id est omnia membra sua. Seductio autem hæc erit, quæ incitabit omnes reprobos, ut bellent contra Christum. *Et congregabit eos in prælium*. Non in unum locum, sed in unum consensum, et unam malam voluntatem, per quam omnes faciet concordes. *Quorum numerus est sicut arena maris*. Legimus in Genesi quod dixerit Deus ad Abraham : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam, quæ est in littore maris* (*Gen.* XVII). Ubi in stellis intelliguntur sancti ; in arena maris, omnes reprobi steriles et infructuosi.

Et ascenderunt, subaudis diabolus et membra illius, Gog et Magog super latitudinem terræ. Hic demonstratur Ecclesia sanctorum in toto orbe dilatanda. Juxta quod Dominus in Evangelio ait : *Oportebat*, inquit, *pati Christum et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Luc.* XXIV). Et iterum : *Prædicabunt hoc Evangelium in toto orbe, et tunc veniet consummatio*. Sicut ergo ubique erit Ecclesia, ita et ubique erit persecutio, et in nullo loco erit sanctus, quem non persequetur impius. *Et circuierunt castra sanctorum*. Sancti appellantur castra, quia semper dimicant contra diabolum, et membra ejus. Sic enim dicitur : *Ascenderunt super latitudinem terræ, cinxerunt castra sanctorum;* ac si diceretur, per omnem terræ habitationem, electorum Ecclesiam pressuris arctaverunt. Bene autem dicit, *ascenderunt*, contra electos videlicet, tumentes, et caput suum imitantes, qui dicit : *Ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Et hic quidem super altitudinem nubium, illi vero super latitudinem terræ ascendunt, quia videlicet caput specialiter contra Deum, membra vero generaliter contra electos elevantur. *Et civitatem dilectam*. Ipsa Ecclesia est civitas a Deo dilecta, de qua Dominus dicit : *Non potest civitas abscondi in monte posita* (*Matth.* V). Et Psalmista : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI).

Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit illos. Per ignem repentinum interitum Antichristi, vel membrorum illius intelligere debemus. Unde Paulus dicit : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Et in Evangelio ipse Dominus : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (*I Thess.* V). Sicut enim nunc iste mundus plenus est hominibus, sic erit in adventu Filii hominis. Sicque cum repente Dominus venerit ad judicium, quasi ignis, id est sententia damnationis subito descendet de cœlo, et devorabit impios, non solum in corpore, sed etiam in anima. Unde Dominus in Evangelio dicit : Sicut fuit in diebus Noe, sic erit in adventu Filii hominis (*Luc.* XVII). Aliter : Supra legimus de sanctis prædicatoribus quod ignis exiens de ore illorum devoravit inimicos eorum. Quasi enim ignis de cœlo descendit, cum ex divini verbi prædicatione, reprobis livor invidiæ accrescit, sicque ipsa prædicatio, quæ justis est vita, reprobis est damnatio perpetua. Unde Paulus : *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II). — *Et diabolus qui seducebat illos*, sive per se, sive per membra sua. *Missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia*, id est Antichristus.

Et pseudoprophetæ. Præteritum tempus positum est hic pro futuro missus est, scilicet pro eo quod est mittetur. Per stagnum vero ignis in quo missus est diabolus, profunditas intelligitur inferni, in quo impii cum capite suo damnati in perpetuis tenebris obvolventur. Quoniam licet sit ibi ignis, non erit ad lucendum sed ad miserorum corpora concremandum. Corpora enim reproborum erunt fomentum ignis. Ideoque et ipse ignis erit indeficiens, quia erunt et corpora immortalia quibus semper accendetur. Sulphur autem et ignem accendit et fetorem generat, quia sicut dictum est, et ignis ibi erit perpetuus, et fetor intolerabilis. Unde sequitur : *Et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Cum in inferno semper tenebræ sint, juxta illud : *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV), quid est quod hic dicitur, *cruciabuntur die ac nocte ?* Sed sciendum quia non pro vicissitudine diei ac noctis, hic dies

aut nox ponuntur, sed propter mutabilitatem pœnarum, caloris scilicet et frigoris. Quo contra de sanctis dicitur, quia jam tempus non erit, id est nulla immutabilitas. Quod exponens Paulus dicit : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV). Apud electos enim nullius rei erit vicissitudo, sed sicut erunt immortales corpore, sic erunt et immutabiles mente. Reprobi autem, licet sint immortales corpore, tamen corruptionem sustinebunt, quia a vermibus comedentur, et mutabilitatem animi patientur, semperque deficient, et nunquam ad defectum pervenient. Hæc itaque immutabilitas pœnarum hic exprimitur per diem et noctem. Aliter, diem possumus referre ad gloriam justorum, noctem ad pœnam reproborum. Illi ergo qui in inferno erunt, die ac nocte cruciabuntur, recordantes bonorum justorum et malorum suorum.

Et vidi thronum magnum candidum. Thronus Ecclesia est, cui Christus singulariter et generaliter præsidet. Magnus dicitur, quia Ecclesia ex multitudine populi constat, et per mundi partes dilatatur. Candidus quia fonte baptismatis ab omni abluitur macula criminis. *Et sedentem super eum.* Subauditur vidi. Per quem Dominus Jesus Christus intelligitur, qui habitat in cordibus fidelium. Juxta illud, *Inhabitabo in illis et inter eos ambulabo* (*II Cor.* VI),—*a cujus conspectu fugit terra et cœlum.* Hoc est quod Dominus dicit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Transibunt cœlum et terra, non ut esse desinant, sed immutabuntur. Juxta quod Paulus dicit : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* VII). Erit enim tunc cœlum novum et terra nova. Fugient quippe a conspectu judicis ab ea specie, quam nunc habent, et ostendent pulchritudinem, quam nunc celant. Unde et in hac eadem Apocalypsi dicitur : *Vidi cœlum novum et terram novam* (*Ap.* XXI). Primum enim cœlum et prima terra abiit. Ignis enim comitabitur Domini adventum, qui tantum spatium aeris occupabit, quantum occupavit aqua diluvii, quando quindecim cubitis fuit super omnes montes, qui erant sub universo cœlo. Inter hæc autem sciendum, quia quidam minus caute divinam Scripturam considerantes, prius dixerunt cœlum et terram transire per ignem, quam judicium fieri. Quidam vero affirmant, prius futuram resurrectionem, deinde cœli et terræ innovationem. Sed et hos et illos minus cauta conspectio fefellit, quod Paulus manifestat, qui dicit : *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur* (*I Cor.* III). Et Psalmista : *Ignis in conspectu ejus ardebit et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX). Simul enim Dominus veniet ad judicium, et mortui resurgent, et elementa igne solventur, atque omnia, Deo judicante per ignem, cum adversarios ignis involverit, et in infernum demerserit, atque electos ad regnum præmiserit, tunc cœlum et terra nova apparebunt, quod nos quoque exemplo colligimus, qui hiemalium dierum revolutionibus vernum tempus abundantiori solis lumine superius splendescere, varietate florum interius candescere videmus. Hinc et Dominus in Evangelio regnum cœlorum æstati comparat. *Et locus*, pristinæ subauditur visionis, *non est inventus ab eis.* Ac si diceret : Figura præterit, natura permanet. Hinc Paulus dicit : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* III). Possumus et per cœlum intelligere animas sanctorum. Per terram vero corpora illorum. Quæ non solum tunc incorruptionem corporis, verum etiam incommutabilitatem mentis recepturi sunt, quando ab ea specie, quam nunc habent, tanquam terram et cœlum transeuntes, in pulchriorem statum commutabuntur. Et locus pristinæ corruptionis et mutabilitatis non invenietur in eis. Quasi enim jam non ipsi sunt, sed alii, dum a vetustate primæ corruptionis in novitatem transeunt secundæ regenerationis.

Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. Magni sunt de quibus Dominus dicit : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V). Pusilli qui simplicitatem vitæ servant, nec altiora mysteria capere sufficiunt. Omnes enim hic generaliter comprehenduntur, quicunque in judicium sunt venturi in gloriam. Vel magnos et pusillos possumus intelligere, reges et principes hujus sæculi cum suis sibi subjectis. Hi enim omnes et justi scilicet et perfectiores, cum simplicioribus, et principes hujus sæculi cum suis sibi subjectis stabunt in die judicii. Illi quidem ut remunerentur, isti vero ut damnentur. *Et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Libri aperti, duo sunt Testamenta, quæ in judicio aperientur, quando singuli electorum manifeste videbunt, quid ex his compleverint, vel quid prætermiserint. Alius autem liber, *qui est vitæ*, Dominum Jesum Christum significat, qui vitam suis fidelibus tribuit. In illo enim libri, hoc est duo Testamenta, aperientur, quia in illo omnes actiones justi considerabunt. Vel libri aperti, opera justorum significant, quæ in judicio omnibus manifestabuntur. Nunc enim abscondita sunt justorum opera, quia humanum vitare cupientes favorem, omne opus suum in abscondito faciunt, tunc autem manifesta luce revelabuntur. Unde Apostolus : *Veniet Dominus et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor.* IV). Vel libri etiam intelliguntur conscientiæ quæ singulis invicem manifestabuntur, quia quidquid unus cogitabit, ab altero facile intelligitur. *Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Id est, ex utroque Testamento judicati sunt secundum quod ex his fecerunt aut non fecerunt. Vel etiam ex comparatione operum sanctorum judicabuntur reprobi, qui quasi in expansione librorum legunt bonum, quod agere noluerunt, considerantes vitam justorum, quorum comparatione damnantur. Quapropter expedit illis ut in præsenti vita actus eorum considerent, et deteriores usus conversione immutent. Qui enim plenissime intelligere appetit, qualis est, debet nimi-

rum tales conspicere, qualis non est : et in bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est.

Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant. Hoc prius fiet quam libri aperiantur, et ex his mortui judicentur secundum opera ipsorum. Quantum ad litteram pertinet, mare, flumina, et omnia stagna, suos qui in eis tenentur mortuos dabunt. Cui autem dabuntur, nisi vitæ? Tunc enim omnes resurrecturi sunt quacunque morte perempti fuerint, et quibuscunque locis absconditi. Altius autem mare, id est hic mundus in fluctuatione positus, dabit suos mortuos, generaliter scilicet bonos et malos producens. Juxta quod Apostolus dicit: *Omnes enim resurgemus.* Vel mortuos quos mare dabit, possumus intelligere eos, qui vivi in adventu Domini sunt reperiendi, qui utique subito mortui vitæ reddentur. *Et mors et infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant.* Mors diabolum significat, de quo Paulus dicit: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Infernus omnia membra diaboli. Vel per mortem possumus intelligere simpliciter mortem carnis. Inferni autem nomine, loca significantur tenebrarum. Et mors itaque et infernus suos mortuos dabunt, hoc est diabolus et omnia membra ejus. Vel etiam omnia loca inferni, quoscunque per mortem corporis astrictos tenent, tunc vitæ restituent. Postquam autem omnes resurrexerint. *Judicatum est de singulis*, pro eo quod est judicabitur, *secundum opera ipsorum.* Hoc est, dabitur unicuique secundum opus suum.

Et infernus et mors Hoc est omnia membra diaboli cum capite suo. *Missi sunt in stagnum ignis.* Hoc est in profundam damnationem inferni. Recte autem per infernum omnes reprobi figurantur. Vel quia ibi habitantes una cum inferno in quo habitant, una sunt domus : Vel etiam quia imitantes opera diaboli, nunquam saturantur malis, sicut infernus nunquam dicit, *Sufficit.*

Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus. Hoc est, qui non est ante mundi constitutionem ad vitam prædestinatus. *Missus est in stagnum ignis.* Liber quippe vitæ, sicut supra dictum est, jus divinitatis intelligitur, id est Dei præscientia, in qua qui non fuerit præordinatus, in stagnum ignis mittetur. Hoc est reproborum hominum societati copulabitur. Quod enim dicit, qui non est inventus, nihil est aliud, nisi non præordinatus. Electi autem in hoc libro scripti qui ante mundi constitutionem sunt præcogniti, et præordinati. Unde Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit* (*Rom.* VIII). Et alibi : *Sicut elegit nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I).

CAPUT XXI.

Et vidi cœlum novum et terram novam. In prædestinatione Dei omnipotentis quæ futura sunt jam transierunt, unde hic dicit se videre cœlum novum et terram novam, atque addit : *Primum enim cœlum et prima terra abiit.* Quod qualiter sit vel juxta litteram, vel etiam spiritualiter intelligendum, superius dictum est. Abiit primum cœlum, et prima terra, hoc est per innovationem immutata sunt, et a pristina figura recesserunt. Juxta illud Apostoli : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* III), Verum quod sequitur, *et mare jam non est*, utrum ad litteram, id est, ut mare cum fluminibus exsiccetur, possit intelligi, an etiam solummodo spiritualiter hoc dicatur dubium est. Terra enim aquarum conjunctione subsistit, quoniam et infra et extra et supra se aquas continet, ne naturali ariditate fatiscat, quoniam nisi aquis temperaretur, in cinerem redigeretur. Ideoque utrum maximo illo ardore mare cum fluminibus siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerimus. Quod et si factum fuerit per Dei potentiam, licet arida sit terra, satis subsistere poterit. Quatuor siquidem sunt elementa, ex quibus duo sunt immutanda in melius, sicut hic dicitur, et Dominus in Evangelio manifestat, cœlum et terra transibunt, id est immutabuntur. Utrum autem mare vel ignis transeat, id est immutetur, Deus scit, licet hic legamus, *et mare jam non est.* Et alibi : *Lumen lucernæ non lucebit in ea.* Hæc enim qualiter fiant, cum illuc pervenerimus, melius sciemus.

Et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem de cœlo a Deo. Hæc civitas sancta Ecclesia est, quæ idcirco civitas appellatur, quoniam a multis inhabitatur, et in quatuor mundi partes distenditur, habens habitatorem Deum. Hinc Paulus dicit : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Sancta dicitur, quia quotidie per baptismum sanctificatur. Vocatur quoque Hierusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, quia ad hoc laborat, ut visionem Dei in cœlestibus percipiat. Nova dicitur, quia a vetustate peccati exuitur. Peccati enim perpetratio ad veterem Adam pertinet. Et ideo dum Ecclesia a peccato originali mundatur, a vetustate peccati ad novitatem venit. Unde Apostolus : Exspoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui renovatur in agnitione Dei (*Col.* III). Idcirco autem civitas hæc a Deo descendere dicitur, quia ab exordio sui jam cum capite suo descendit, cum quo, et per quod sursum ascendit, unde idem Dominus dicit : *Nemo ascendit in cœlum*, etc. Aliter : In hoc de cœlo descendere dicitur, quia cœlestis est gratia, quod Deus eam fecit Ecclesiam, juxta illud : Ego Dominus faciens te. Quidquid enim habet in fide, spe, et charitate, cæterisque virtutibus et baptismo, desuper datum est illi. Unde Jacobus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Paratam, id est fide cæterisque virtutibus ornatam, ut mereretur fieri sponsa. *Sicut sponsam ornatam viro suo.* Duo dicit, sponsam et virum, in quo subintelligitur uxor, quia consuetudo est sanctæ Scripturæ, ut sponsos appellet viros, et sponsas uxores : unde est : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel* II), et Sephora ad Moysen : *Sponsus sanguinum tu mihi es* (*Ex.* IV). In Evangelio quoque ab angelo dicitur :

Joseph autem vir ejus (Matth. I). Et in lege : *Si invenerit vir puellam in agro desponsatam, et dormierit cum ea, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui (Deut.* XXII). Sponsa itaque nunc est sancta Ecclesia, per fidem, spem et dilectionem : sed tunc erit uxor quando ad amplexus viri, id est ad contemplationem Dei omnipotentis pervenerit. Quod quotidie quidem in singulis agitur electis, generaliter autem in fine complebitur, cum omnes in commune audierint : *Venite, benedicti, Patris mei (Matth.* XXX), etc. Ornatam dicit, id est omnibus virtutibus compositam, juxta illud Psalmistæ : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato (Psal.* XLIV).

Et audivi vocem magnam de throno dicentem. Thronus hic intelliguntur angeli, et homines sancti, in quibus habitat Dominus. Ideoque hæc vox magna, vox intelligitur Dei omnipotentis. Quæ idcirco magna dicitur, quia de magnis loquitur, dicens : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Magna est enim Dei gratia, ut homines illius fiant tabernaculum, cujus magnitudinem non capit mundus. Tabernaculum Dei cum hominibus, id est, ipsi homines sunt tabernaculum Dei. Joannes in hoc loco typum tenet sanctæ Ecclesiæ, quæ audit vocem dicentem . Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, quando per internam inspirationem seipsam cognoscit esse Dei tabernaculum. *Et habitabit cum illis.* Id est cum illis qui tabernaculum Dei esse meruerunt. Unde ipse apostolis dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (*Matth.* XXVIII). *Et ipsi populus ejus erunt.* Juxta illud : Hæreditas mea Israel. *Et ipse Deus cum eis erit.* Habitans in eorum fide et dilectione, sicut ipse dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan.* XIV). Unde et idem Joannes in Epistola sua ait : *Qui manet in dilectione, Deus in eo manet.* Et ipsorum Deus est omnipotens Deus, cum quibus habitare dignatur, unde Psalmista : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV). Et ipse in lege loquitur dicens : Filiis autem Levi non dabitis possessionem. Ego enim hæreditas illorum. Quando enim homo peccando recedit a Deo, non est Dei populus, nec Deum possidet. Deus autem pœnitendo revertitur ad Deum, populus Dei est, quia possidet Deum, et possidetur a Deo.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Hæc verba non ad præsentem vitam luctu et lacrymis plenam pertinent, sed ad futuram; quando omnis luctus auferetur a fidelibus, et perpetuum gaudium possidebitur, juxta illud : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Intuendum autem quid sit quod omnem lacrymam ab oculis sanctorum dicit auferendam, cum sufficere potuisset, si diceret : Absterget lacrymam ab oculis eorum. Sed sciendum quia diversæ sunt qualitates lacrymarum, quibus in hac vita affliguntur electi, aliquando scilicet propter timorem tormentorum, ne videlicet merito iniquitatis suæ pœnis tradantur ultricibus; aliquando vero propter amorem et consortium supernorum civium. Postquam enim veniam peccatorum consequuntur, iterum incipiunt flere, non jam quia timent damnari, sed quia differuntur a regno. Aliquando quoque deplorant aliorum peccata, sicut Samuel flebat Saul, eo quod pœnituisset Dominum, quod constituerit eum regem super Israel. Et sicut Paulus flebat Corinthios, qui post fornicationem et idololatriam, non egerunt pœnitentiam. Omnem ergo lacrymam ab oculis electorum Dominus absterget, quia neque timore arctabuntur pœnarum, neque jam differuntur a regno, quod præsentialiter possidebunt, neque etiam aliorum peccata deflebunt, quia justo Dei judicio damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit. *Et mors ultra non erit.* Postquam enim omnes a mortuis resurrexerimus, in electis jam ultra mors non erit, neque corporis neque animæ. Primus namque homo ea lege conditus est in paradiso, ut nisi peccasset, immortalis mansisset, et completo electorum numero, ab illo paradiso terreno absque mortis interventu transiret ad patriam cœlestem ; sic autem est conditus, ut si peccaret, mori potuisset. Quæ mors, qui eam per peccatum incurrit, destructa est per Domini mortem. Ideoque locum in electis non habet, postquam omnes ad vitam resurgemus. tales effecti, ut deinceps neque mori neque peccare possimus. *Neque luctus,* erit in illa Ecclesia, quia, ut superius dictum est, multis modis fit in præsenti. *Neque clamor. neque dolor erit ultra.* Clamor in hoc loco intelligitur querela pravæ suggestionis. Prius enim quam peccaret homo, in magna quiete erat, omniaque membra sibi subjecta et nullo modo in aliquo repugnantia possidebat ; sed postquam peccavit, statim clamorem pravæ suggestionis contra se exsurgentem sensit, vidensque mulierem concupivit ; factumque est Dei justo judicio, ut qui noluit esse subjectus Deo, non posset habere membra sibi subjecta. Hunc clamorem deinceps omnes sustinemus, quo laborare se ostendit Paulus, dicens : *Video aliam legem in membris meis (Rom.* VII), etc. Semper fit enim hic clamor, quia semper caro spiritui resistit. Sed cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, cessabit clamor tumultuari contra electos, qui eos in hac vita quiescere non sinebat Ibi enim cessabit omnis prava suggestio, ibi nulla erit carnis delectatio. Sed et dolor post hæc non erit, quia videlicet caro electorum ultra spinas et punctiones peccatorum pro quibus dolere debeant, non generabit. *Quia prima abierunt*, quia in præsenti sæculo hæc omnia sustinent, sed cum innovata cœlum et terra fuerint. tunc electi innovabuntur, et nequaquam præteritas passiones sustinebunt.

Et dixit qui sedebat in throno, id est Deus omnipotens, qui præsidet suæ Ecclesiæ : *Ecce nova facio omnia.* Ea scilicet quæ superius dicta sunt, inter quæ etiam cœlum et terra innovabuntur. *Et dicit mihi : Scribe.* In corde tuo, vel etiam litteris commenda, ut ad notitiam perveniat posterorum. Sed quod Joanni dicitur, ad omnem Ecclesiam pertinet, quæ

in tabulis cordis carnalibus verba Dei scribere videtur. *Hæc verba*, quæ ab initio istius libri divinitus tibi sunt ostensa, *fidelissima et vera sunt*, quia a Deo vero processerunt, ac si diceret: Eo in cordis memoria arctius deprimantur, quæ loquuntur, quo de tota fidei summa, de tota spei fiducia proferuntur.

Et dixit mihi: factum est. Pro eo quod est fiet, id est, complebuntur omnia quæ superius sunt dicta, sive de remuneratione justorum, seu de damnatione reproborum. Quia enim hæc omnia tempore suo pro certo complebuntur, quasi jam facta sint Dei omnipotentis voce firmantur, in cujus præsentia omnia futura præsentialiter manent, unde est: Qui fecit quæ ventura sunt. *Ego sum α et ω, initium et finis.* Non quod initium habeat in tempore vel finem, sed quia ab illo cuncta sumpserunt initium, et in ipso resumunt terminum. De quibus satis supradictum est. Quod autem Dominus hoc jam tertio per angelum in hac Apocalypsi ita nomen suum inculcat dicens: *Ego sum α et ω*, duo per hoc factum, quædam nobis insinuat: unum scilicet per quod intelligamus, neque ad angelum proprie, neque ad Joannem pertinere quæ in hac revelatione continentur; aliud vero quod scire possimus, ipsum esse Deum ante tempora et hominem in fine sæculorum. *Ego sitientibus dabo fontem aquæ vivæ gratis.* Sitientibus, id est esurientibus justitiam, promittitur fons aquæ. De quibus Dominus dicit: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* v). Fons autem aquæ vivæ inseparabilis Trinitas intelligitur. Pater enim fons, Filius fons, Spiritus sanctus fons. Unde Psalmista dicit: *Apud te est fons vitæ.* Sitientibus ergo Deum, seipsum dabit in remunerationem, in cujus contemplatione erit refectio æternæ satietatis. Quo fonte Psalmista avidius desiderans, dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (*Psal.* XLII). De quo fonte dicit: Qui biberit, vitam habebit. Habendo enim Deum, habebit vitam æternam, quæ est Deus, unde ipse dicit: *Hæc est vita æterna* (*Joan.* XVII), etc. Gratis iste fons datur fidelibus, hoc est, sine ullis præcedentibus hominum meritis.

Qui vicerit diaboli tentamenta, incentiva carnis esse, adversitates pravorum hominum, *possidebit hæc*, quæ superius dicta sunt, id est Deum omnipotentem, carnis immortalitatem et incorruptionem. *Et ero illi Deus*, id est æterna satietas et remuneratio. *Et ipse erit mihi filius*, qui credendo in Deum efficiuntur fideles filii Dei; hic quidem per fidem, illic autem per manifestationem. Unde idem Joannes in Epistola sua ait: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III).

Timidis autem et incredulis, et exsecratis, et homicidis. Timidos possumus eos intelligere, quia voluntas erat ut crederent in Christum, verum videntes diversa tormentorum genera, fidelibus præparata, timore concussi recedebant a fide Christi. Quidam autem etiam post fidem Christi, et baptismum, vel terroribus concussi, vel blandimentis illecti, timentes pœnas recedebant a fide.

Quorum pars erit in stagno ardenti. Id est in damnatione perpetua. Sunt etiam timidi in pace Ecclesiæ, qui metu principum et sæcularium hominum bonum operari metuunt. De talibus dicitur: *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor* (*Psal.* LII). *Cum incredulis*, id est cum paganis; et cum *exsecratis*, id est cum incredulis Judæis, vel falsis Christianis, qui sunt exsecrandi a Deo, id est valde abominabiles. Unde est: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Ps.* V). — *Et* cum *homicidis*, id est quocunque modo hominem interficientibus, vel odio seipsos jugulantibus. Unde est: *Qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III). *Et fornicatoribus*, id est cum idolis servientibus, seu immanditiam carnis sectantibus, vel etiam plus creaturam quam Creatorem diligentibus, et divitias ultra modum amantibus. Unde Paulus: *Et avaritia quæ est idolorum servitus* (*Gal.* V). *Et veneficis*, id est magis, qui incantationes peragebant. Sive etiam veneficos, id est maleficos, possumus eos intelligere, qui humana potestate aliis dominantur. Unde in Evangelio: *Reges gentium dominantur eorum* (*Matth.* XX), et qui potestatem habent super eos, venefici vocantur, id est malefici. *Et idololatris*, qui simulacra hominum mortuorum, vel etiam imagines rerum quarumdam, pro Deo venerantur. *Et omnibus mendacibus.* Nominatis superius per ordinem singulorum auctoribus vitiorum, ad extremum intulit, *et omnibus mendacibus*: ubi cum dicit *omnibus*, ostendit multa esse genera mendaciorum. Nam beatus Augustinus octo dicit esse genera mendaciorum, sed tamen nullum est mendacium quod peccato careat, unde scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et iterum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Nonnulli enim dicunt non esse peccatum, si pro veritate aut justitia proferant mendacium, sicut legimus factum in Ægypto de obstetricibus, quæ ad Pharaonem reversæ, et increpatæ cur vivificarent parvulos, quos jussæ fuerant interficere, mentitæ sunt dicentes: *Non sunt Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ, sed ipsæ habent obstetricandi scientiam* (*Exod.* I). Unde et Scriptura refert: Quam-

A

B

C

D

obrem ædificavit illis Deus domum. Nunquid ergo peccatum fuit illud mendacium, pro quo meruerunt accipere a Deo? Fuit quidem peccatum, sed tamen operæ misericordiæ est purgatum, unde et Deus ædificavit illis mansiones, id est multitudinem filiorum dedit illis, quia aliorum filios vivificaverant. Similiter legimus factum et in Raab meretrice, quæ nuntios Josue abscondit, et inquirentibus de eis respondit: *Fateor quidem, venerunt ad me, sed cum clauderetur porta, et illi pariter exierunt* (*Josue*, II). Quia opus misericordiæ circa eos exhibuit, et a morte eos liberavit, postea meruit pertingere ad unius Dei cognitionem, et inter Israelitas connumerari, quia peccatum illud mendacii purgavit opus pietatis et misericordiæ. Pejus enim fuisset si eos perderet ad

mortem, quam quod eos negavit, et mentita est. Unum sane debemus retinere, nullum genus mendacii inultum remanere, quod hic laxatum non fuerit pœnitentia, aut aliquo pietatis opere. Omnium enim istorum qui sunt superius connumerati, *pars eorum erit in stagno ardenti et sulphure*, id est in profunda inferni damnatione, ubi sunt simul ignis et sulphur. *Quod est mors secunda*, id est corporis et animæ. Prima enim mors fit in anima per peccatum, secunda autem intelligitur in anima et corpore. Sequitur :

Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis. Per septem angelos, sicut superius dictum est, vel universalis Ecclesia intelligitur, vel omnes prædicatores, propter septiformem Spiritum quo Ecclesia instruitur et doctores erudiuntur. Sæpe enim dictum est septenarium numerum universitatem ostendere, quia omne præsens tempus septem diebus volvitur, unus ergo ex septem angelis qui ad Joannem venit intelligitur Dominus Jesus Christus, qui est secundum prophetam *magni consilii angelus*, id est nuntius paternæ voluntatis, unus est ex angelis, quia caput est omnium electorum, et per assumptionem humanitatis illis est conjunctus in utero Virginis. Venit ergo per incarnationis mysterium, qui ubique erat per divinitatis potentiam. Isti angeli, hoc est prædicatores quorum caput est Christus, habent phialas plenas septem plagis novissimis, hoc est ipsi sunt pleni divina prædicatione, qua quidam auditorum vulnerantur ad salutem, quidam autem ad sui perniciem. Bene autem ipsæ plagæ novissimæ dicuntur, quia in novissima hujus sæculi hora, id est ab incarnatione Domini usque ad finem mundi immittuntur.

Et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Joannes in hoc loco significat Ecclesiam, cui loquitur Deus per occultam inspirationem in mente dicens : Veni, passibus fidei, et passibus amoris et *ostendam tibi sponsam uxorem Agni*, id est tibi ipsi manifestabo, qualis nunc sis per fidem, et qualis postea futura es, cum ad Dei veneris contemplationem. Duo autem dicit, *sponsam* et *uxorem* : qui sicut superius quæ nunc est sponsa per fidem et dilectionem, erit tunc uxor, cum ad amplexus sui pervenerit viri : *vir enim Ecclesiæ Deus* est, unde Salomon dicit : *Non est vir in domo sua (Prov.* VII).

Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum. Hic manifeste ostenditur quod Joannes non corporeis oculis hanc intuitus est visionem, sed spiritu, hoc est mentis oculis ad contemplanda cœlestia mysteria est elevatus. Mons magnus et altus, in quo dicit se elevatum, Christus intelligitur. De quo Daniel dicit : Quia *lapis præcisus de monte sine manibus, crevit in montem magnum, et replevit universam terram* (*Dan.* II). Ipse quoque de se dicit : *Non potest abscondi civitas supra montem posita (Matth.* VIII). Magnus est iste mons, quia totum mundum replet. Altus, quia ita est homo, ut sit etiam Deus verus. De hoc monte Isaias dicit : In novissimis diebus erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, id est Christus princeps omnium electorum. Quamobrem? Quia angelus et mons Christus, et in Joanne Ecclesia intelligitur. Angelus Joannem ducit in montem, hoc est Christus Ecclesiam suam super semetipsum constituit. Recte ergo Christus et angelus et mons dicitur, quia nuntius Ecclesiæ apparens ad cœlestem patriam invitat electos, et ipse eamdem Ecclesiam super se portando ad cœlestia sublevat.

Et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo a Deo habentem claritatem Dei. Civitas Ecclesia est, Deum habens habitatorem. Quæ sancta dicitur, quia quotidie per baptismum sanctificatur Jerusalem quia ad hoc laborat, ut ad visionem patriæ cœlestis perveniat. De cœlo descendit, quia omne quod habet bonum cœlitus datum est illi per Dei gratiam, unde Jacobus : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* III). Vel etiam sicut supra dictum est, in capite suo descendet de cœlo, quia eam in utero virginali conjunxit, unde Apostolus : Desponsavit sibi Christus Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Claritatem Dei habet, quia a Filio Dei illuminatur, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Unde et ipse apostolis dicit : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Unde sequitur : *Et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis*. Dicitur, quia dum electos suos illustrat, æternæ viriditatis pabulo nutrit ; lapis enim jaspis, viridis est coloris, et ideo non inconvenienter per lapidem jaspidem, visio intelligitur sanctæ Trinitatis, ad quam animæ sanctorum pertingere desiderant, veluti animalia virentia quæque perquirunt. Hinc ipse dicit : *Per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X), et ingredietur per fidem, et egredietur a fide ad spem, et pascua inveniet æternæ satietatis. Unde et Psalmista dicit : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit (Psal.* XXII). — *Sicut crystallum*. Per crystallum vero intelligitur præmium supernæ remunerationis, quæ in ipsa visione Dei complebitur. Quasi enim aqua in crystallum vertitur, dum præmium ex aqua et spiritu renatorum ipsa Dei contemplatio efficitur. Nam et si bene perpendimus, quod significat jaspis, hoc et crystallum, quia remuneratio sanctorum nihil aliud erit, nisi præsens Dei vultus.

Et habebat murum magnum et altum. Murus Ecclesiæ est Christus, de quo Isaias ait : *In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda : Urbis fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus* (*Isa.* XXVI). Ipse est etiam magnus, de quo Psalmista : *Dominus in Sion magnus* (*Psal.* XCVIII). Altus quoque est, quia a Patre super omnia sublimatus, et Deus quoque etiam per humanitatem est constitutus. Ipse quoque est murus, hoc est defensio et protectio Ecclesiæ suæ. Vel etiam murus generaliter ipsa Ecclesia intelligitur, quæ murus appellatur propter firmitatem fidei et constantiam virtutum. Magnus

est iste murus, quia Ecclesia ex multis constat fidelibus, et per quatuor mundi climata dilatatur. Altus quoque est, quia corpore inhabitat terram, mente autem possidet cœlum. De quo bene subditur: *habentem portas duodecim*. Per duodecim quippe portas duodecim intelliguntur apostoli. Et per duodecim apostolos, omnis ordo doctorum, per quorum ministerium intramus Ecclesiam. Ipsi enim nos baptizant, et docentes per fidem Ecclesiæ portis nos introducunt. De quibus adhuc subinfertur: *et in portis angelos duodecim*. Id est in apostolis omnes doctores subjecti, sicut sunt presbyteri et cæteri minoris ordinis Ecclesiæ præpositi : qui et si magna non valent, tamen minora quæ acceperunt, fideli populo nuntiare non desistunt. De quibus in Zacharia legitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II). In duodecim ergo portis, duodecim angeli consistunt, quia doctores Ecclesiæ fidem et vestigia apostolorum sequuntur. *Et nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel*. Filios Israel non debemus intelligere carnaliter duodecim filios Jacob, quorum fuit reproba vita, sicut Scriptura manifestat, sed patres spiritales, ex ejus progenie descendentes, sicut fuit Isaias, Jeremias, cæterique prophetæ, quorum nomina scripta sunt in portis, quia memoria illorum in fide continetur apostolorum. Quod enim isti annuntiant factum, illi prædixerunt futurum. Quia ergo eadem quæ illi prædixerunt annuntiant, memoriam illorum in suis cordibus se habere insitam demonstrant. Sive etiam in duodecim filiis Israel possumus intelligere omnes gentes, sicut in duodecim apostolis intelligimus omnem ordinem prædicatorum In duodecim ergo portis nomina duodecim filiorum Israel scripta sunt, quia in fide et dilectione apostolorum, omnes gentes consistunt. Hinc Paulus dicit: *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris* (*II Cor.* III). *Ab oriente portæ tres*. Per orientem populus intelligitur Judæorum, de quo Christus est exortus qui est verus sol justitiæ illuminans corda credentium. Ibi enim fuerunt primum portæ tres, hoc est fides sanctæ Trinitatis, in illis primum annuntiata est a prophetis et cæteris justis, qui per Spiritum illuminati, fidem sanctæ Trinitatis cognoverunt, unde Isaias dicit audisse se cherubim clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* IV). Sed quia in trinitate personarum intelligitur una majestas, cum pluraliter præmisissent, *Sanctus, sanctus, sanctus*, unitatem substantiæ attendentes adjungunt, *Dominus Deus Sabaoth*. Similiter et Psalmista præmittens: Benedicat nos Deus Pater, benedicat nos Deus Filius, benedicat nos Deus Spiritus sanctus, trinitatem personarum convertit ad unitatem majestatis, dicens: *Et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI). *Ab aquilone portæ tres*. Per aquilonem intelliguntur gentiles, in figura infidelitatis, et ignorantiæ positi, sicut fuerunt patres nostri. Ibi quoque sunt portæ tres, quia et gentiles per doctrinam apostolorum cæterorumque prædicatorum edocti, fidem sanctæ Trinitatis perceperunt. Et bene quidem primum ab oriente portæ tres, deinde ab aquilone commemorantur, quia prius Judæi crediderunt, deinde gentiles, qui ante erant in aquilone, qui est frigidissimus et durissimus ventus, habentes diabolum, qui dicit: *Ponam sedem meam ad aquilonem*. — *Et ab austro portæ tres*. Per austrum claritatem fidei intelligimus, quæ in toto orbe terrarum lucet: quia dum sol in austro, id est in medio centro cœli figitur, totum mundum illuminat, significans Christum, qui luce fidei claritatis suæ illuminat universam Ecclesiam. In austro itaque portæ tres sunt, quia fides sanctæ Ecclesiæ splendore sanctæ Trinitatis illuminatur baptizata in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. *Et ab occasu portæ tres*. Per occasum novissimam mundi ætatem accipiamus, in qua per Eliam et Enoch, cæterosque prædicatores, eadem fides sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem diffundetur. Judæos atque gentiles pariter complectens. Duodenarius enim numerus portarum, qui per quatuor mundi partes sub ternario comprehenditur, ad ministerium pertinet duodecim apostolorum, per quos fides sanctæ Trinitatis per quadripartitum orbem diffusa est.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim. Murus ipsa est civitas, quæ habet duodecim fundamenta, quia in apostolorum et prophetarum doctrina consistit. Quorum fundamentorum fundamentum Christus est, de quo Paulus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Quando enim singulariter fundamentum enuntiatur, ipse Christus intelligitur, super quem omnis ædificatio Ecclesiæ constituitur: Quando enim pluraliter, patriarchæ, apostoli, cæterique doctores. Unde idem Apostolus dicit: *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II). Sic ergo fundamentum apostoli cæterique doctores intelliguntur, in uno fundamento Christo fundati; ipse enim est fundamentum fundamentorum sicut est Rex regum et Dominus dominantium. Ad hoc enim pertinet quod etiam, nominatis fundamentis, agni nomen non siluit, sed ait: *Et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et agni*. Et in ipsis fundamentis, hoc est in fide patriarcharum et apostolorum, nomina duodecim apostolorum, quia videlicet quisquis in Ecclesia regimen suspicit, locum apostolorum tenet, quorum doctrinam et actus imitatur. Et ut absolutius hoc sit, dicamus fundamenta, patriarchas esse et prophetas, in quibus nomina duodecim apostolorum sunt, quia fidem quam perceperunt apostoli, habuerunt et illi: et quem isti crediderunt in carne venisse, illi prænuntiaverunt venturum. Hinc Psalmista dicit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI). Montes quippe ipsi sunt patriarchæ et prophetæ, super quos Novi Testamenti doctores fundantur, quia eorum fidem imitantur. Tanquam, scilicet fundamen-

tum super fundamenta, quia et ipsi montes fundamenta esse noscuntur.

Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem. Hic angelus typum filii Dei tenebat, quia omnia mensura et numero disponit. Nam per arundinem, divinam debemus intelligere prædicationem ; quia enim arundine scribitur, recte per arundinem Scriptura sancta intelligitur, ab efficiente videlicet illud quod efficitur. Hac itaque arundine, id est divino eloquio tangit et illuminat Deus corda fidelium, ibique perpendit et metitur facta singulorum atque profectus : dum alii tribuit sermonem sapientiæ, alii genera linguarum etc. Quæ mensura arundinea aurea dicitur, propter claritatem divinæ sapientiæ, quæ in plerisque locis auro figuratur. Unde est : *Accipite sapientiam sicut aurum.* Hic itaque arundine metitur civitatem, id est universalem Ecclesiam. *Et portas ejus*, id est doctores et præpositos Ecclesiæ. *Et murum*, civitatis, in quo nihil aliud quam ipsa civitas intelligit.

Et civitas in quadro posita est. In quadrata figura, non aliud latus majus est, aliud minus, sed cuncta simul quatuor latera, æquali spatio tenduntur. Per hæc autem quatuor latera, debemus intelligere, spem, fidem, charitatem et operationem, quæ æqualia sunt : quia unusquisque fidelis quantum credit tantum sperat, tantum amat et operatur. Similiter quantum sperat, tantum credit, tantum amat et operatur. Iterum, tantum amat quantum credit, quantum sperat, quantum operatur. Tantum operatur quantum credit, quantum amat, quantum sperat. Bene autem Ecclesia in quadro posita esse memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Habent etiam singuli fidelium fidem, qua credunt quæ videre non possunt, Deum scilicet trinum in personis et unum in majestate. Habent et spem, quia sperant posse se pertingere ad illud quod necdum vident. Habent quoque charitatem, id est Dei et proximi dilectionem. Quibus virtutibus, ut perfecta sit vita illorum, adjungitur operatio, sine qua fides mortua est, unde Jacobus apostolus : *Fides sine operibus* otiosa est (*Jac.* II). Sive etiam per quatuor latera civitatis, possumus intelligere quatuor virtutes principales, prudentiam videlicet, temperantiam, fortitudinem atque justitiam. Quæ ita debent esse in electis, ut una alteram non excedat. Prudentia quippe est scientia in appetendis bonis et vitandis malis. Cui debet conjungi seu coæquari temperantia, quia non est perfecta prudentia, nisi studeat homo semetipsum temperare, et a voluptatibus istius sæculi retrahere. Quod cum fecerit, debet habere fortitudinem, ut illud quod intelligit, opere perficiat. Deinde etiam debet possidere justitiam, quatenus actus suos ita temperet, ne nimis justus et plusquam oporteat sapiens sibi videatur. *Longitudo ejus tanta est quanta et latitudo.* Repetit quod supradictum est, quia quadrata figura ex omni parte æqualis est Tanta est itaque longitudo quanta et latitudo : quia quanta est fides, tanta est spes, tanta charitas, tanta nihilominus et operatio. Quantum enim credimus, tantum amamus, et quantum amamus, tantum de spe præsumimus ; et in quantum per spem ad superna erigimur, tantum per dilectionem circa Deum et proximum extendimur, tantumque ipsam fidem, spem et charitatem operibus exornare studemus. Similiter unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et justus. Tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus. Tantum fortis, quantum prudens, temperans et justus. Tantum justus, quantum prudens, temperans, fortis fuerit. *Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia.* Jam civitas Ecclesia intelligitur, arundo doctrina evangelica. Porro per stadia duodecim millia omnes exprimuntur laborantes in Ecclesia. Per stadium quippe illud intelligitur quod in stadio agitur, id est, per locum labor et præmium laborantium. Hinc Paulus dicit : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (I Cor.* II). Laborant itaque electi in stadio, hoc est, in labore præsentis vitæ, ut bravium supernæ retributionis possint percipere. Nam et per duodecim millia summa electorum exprimitur Duodenarius enim numerus idcirco perfectus habetur, quia ex denario et binario constat ; denarius pertinet ad decem præcepta legis : binarius ad duo dilectionis præcepta, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Sive idcirco perfectus habetur, quia ex partibus septenarii conficitur quæ sunt tria et quatuor. Ternarius enim ad fidem sanctæ Trinitatis refertur ; quaternarius ad quatuor Evangelia. Millenarius quoque perfectus numerus ostenditur, quia denarii numeri quadratum solidum reddit ; decies enim centeni fiunt mille. Atque idcirco millenarius numerus perfectus est. Unde dicitur : *Verbi quod mandavit in mille generationes*, per quas generationum universitas exprimitur Quia igitur duodenarius sive millenarius numerus in sacro eloquio pro perfectione ponitur, recte in duodecim millibus summa perfectionis illorum exprimitur, qui decalogum legis cum dilectione Dei et proximi implent, fidemque sanctæ Trinitatis custodiunt, et hoc secundum auctoritatem quatuor Evangeliorum. Hos metitur Deus omnipotens arundine, quia unicuique secundum capacitatem sui intellectus distribuit doctrinam scientiæ. Omnes tamen quos tangit in his quæ acceperunt perfectos ostendit ; et unusquisque quod non accepit in se, per charitatis studium possidet in altero, ut ex multis membris unum efficiatur corpus. Vel, sicut supradictum est, alii tribuitur sermo scientiæ, alii genera linguarum, etc. Et hi licet non æqualiter, quia ut Dominus dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV), tamen omnes supernæ remunerationis præmium percepturi sunt. Sed cum novo consilio auctor et dispensator noster huic illa largiatur, quæ alii denegat, extra mensuram arundinis egredi non vide-

tur. Quisquis posse plus quam accipit conatur, inde plerumque amittit; et hoc quod poterat, quia audacter ea quæ contingere non valet, arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc ministeriis bene utimur, cum sua eis officia distincta servamus. Lucem enim oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem mutato ordine, officia deserit, ad aliena non assurgit. *Et longitudo et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt.* Hæc est illa soliditas quadratæ figuræ, de qua superius dixit: *Et civitas in quadro posita erat.* Longitudo pertinet ad fidem, altitudo ad spem, latitudo ad charitatem, de qua scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis* (*Ps.* CXVIII). Sive etiam longitudo pertinet ad longanimitatem, altitudo ad contemplationem; latitudo sine dubio charitatem designat, quæ in tantum lata est, ut non solum ad amicos, sed etiam usque ad ipsos perveniat inimicos. Juxta illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Luc.* VI). Longitudo itaque civitatis, et latitudo atque altitudo ejus, æqualia sunt, quia quantum patiens fuerit mens per longanimitatem, tantum lata erit per amorem: et quantum patiens fuerit per longanimitatem, quantumque lata per amorem, tantum erit et alta per contemplationem; unusquisque ad altiora per contemplationem erigitur, inquantum semetipsum humiliat in toleranda mala proximorum. Longitudo itaque Ecclesiæ latitudo et altitudo, æqualia sunt, quia inquantum longanimis est inter adversa, inquantum charitate erga omnes dilatata, intantum est alta per contemplationem.

Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum. Hæc summa quadraturam duodenarii numeri continet; duodecies enim duodeni, centum quadraginta quatuor fiunt; centenarius numerus perfectionem significat. Unde in Evangelio Dominus: *Qui reliquerit domum, vel fratres aut sororem*, etc., usque *centuplum accipiet* (*Matth.* XIX), id est perfectionem mentis consequetur, ut ea quæ amisit semel, ultra repetere nolit. Quadragenarius quoque numerus in Scriptura sacra multimoda ratione habetur perfectus: sive propter Domini jejunium, quadraginta diebus peractum, sive propter decalogum legis, et quatuor Evangelia, in quibus perfectio decalogi continetur. Quaternarius similiter consecratus est, propter quatuor flumina paradisi, vel quatuor libros Evangelii, seu etiam propter quatuor mundi partes, vel quatuor virtutes principales. Quia autem in cubitu manus est, recte per cubitum operatio manus exprimitur. Muri autem ipsa est civitas. Mensus est itaque angelus muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitis, quia omnipotens Deus perpendit et considerat, quantum singuli electorum, per auctoritatem quatuor Evangeliorum, laborant in legis decalogo, quantamque perfectionem mentis consequuntur, ut ad societatem angelorum pervenire possint, unde sequitur: *Mensura hominis quæ est angeli.* Quantum ad litteram pertinet, hic ostenditur ipsum angelum, qui hæc ostendebat Joanni in figura hominis apparuisse; quantum autem ad altiorem pertinet intellectum, mensura hominis, quæ est angeli, intelligitur recte ipse angelus, qui Ecclesiam metitur, quia videlicet gloria angelorum et hominum in cœlesti beatitudine æqualis erit. Unde in Evangelio ipse dicit: *Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XII). Vel ideo mensura hominis, quæ est angeli, dicitur, quia quot angeli remanserunt in cœlo post casum archangeli, tot homines de terris sunt ascensuri in cœlos.

Et erat structura, id est ædificatio, *muri ejus ex lapide jaspide.* Jaspis lapis viridis est coloris, atque Dominum Jesum Christum significat, qui est refectio sanctorum animalium. In contemplatione enim Dei omnipotentis erit summa electorum perfectio, et æterna satietas, juxta illud Psalmistæ: *Dominus pascit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII). Sive etiam per lapidem jaspidem, electi exprimuntur, quorum fides nunquam marcescit, sed in viriditate operationis constat. Ex lapide ergo jaspide structura civitatis efficitur, quia prius in Ecclesia fundamentum Christi constituitur, cui etiam omnes fideles superponuntur, juxta illud Apostoli: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales* (*I Petr.* II). Nam sicut in muri ædificatione primo ponuntur lapides magni et quadrati, qui alios super se positos portant, qui et ipsi iterum alios portant, sicque omnis ædificatio construitur usquequo ad ultimum lapidem perveniatur, qui cum portetur ab omnibus, ipse neminem portat. Ita in fundamento Ecclesiæ, primo positi sunt apostoli, deinde martyres, deinde confessores, virgines, viduæ, cæterique sancti, qui se omnes invicem portant, passiones suas mentis libentissime tolerantes, juxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate* (*Galat.* VI). Vel etiam exemplo semetipsos invicem foventes, et ita agitur usque ad finem sæculi, quando ultimus electus in novissimo culmine hujus ædificii ponetur: qui cum portetur ab omnibus retro se præcedentibus, ipse tamen non habebit quem portare possit, quia in ipso omnis Ecclesiæ consummabitur ædificatio. Erit vero Christus et fundamentum et consummatio Ecclesiæ, qui est initium et finis.

Ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Per aurum claritas intelligitur cœlestis, de qua Dominus dicit: *Accipite sapientiam sicut aurum.* In vitro vero puritas cordium intelligitur: nam ex cæteris metallis, si conficitur aliquod vas, quidquid intrinsecus ponitur, extrinsecus minime videtur. In vitro autem, quidquid interius ponitur, totum exterius perspicitur. Atque ideo per vitrum puritas designatur cordis omnium sanctorum, quæ invicem in cœlesti beatitudine omnibus manifestabitur. Hæc enim verba non ad præsentem Ecclesiam referri possunt, in qua singulis singulorum conscientiæ occultæ sunt, sed ad futuram, quando veniente Domino, qui illuminabit abscondita tenebrarum, singulorum conscientiæ cunctis manifestabuntur. Quid-

quid enim cogitatum fuerit ab aliquo, totum videbitur ab altero, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse potest conspicabilis sibi. Vel per aurum sicut dictum est, intelligitur sapientia superna. Per vitrum vero puritas fidei; nam in vitro, sicut dictum est, quidquid ponitur interius, totum videtur exterius, et per hoc puritas fidei designatur, quam sancti tenentes corde, manifestant etiam ore. Nec quidquam intus agitur per simulationem, quod non videatur exterius per puram oris et operis confessionem.

Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamenta civitatis, id est Ecclesiæ, sunt patriarchæ, prophetæ et cæteri prædicatores, super quorum doctrinam vel exempla, constat Ecclesiæ structura. Quæ fundamenta omni lapide pretioso, id est omnibus virtutibus, fide scilicet, spe, charitate, hospitalitate, jejunio, abstinentia, cæterisque sunt ornata bonorum actuum operibus. Sive etiam lapides pretiosos intellige omnes imitatores illorum, qui in ædificio civitatis positi sunt, ipsamque civitatem moribus et vita exornant. De his lapidibus Dominus per prophetam dicit: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris* (*Isa.* LIV). Unde sequitur: *Fundamentum primum jaspis.* Qui lapis, ut superius dictum est, viridis est coloris, atque ideo non incongrue Dominum significat, qui est pabulum et refectio omnium electorum, ipse est primum fundamentum Ecclesiæ, quia ut Apostolus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Significat quoque et electos, quorum fides nunquam marcescet, sed semper in operationis virore perseverat. *Secundum sapphirus.* Lapis sapphirus in sua natura, nequaquam pretiosus est, sed in mysterio valde præclarus invenitur, quia videlicet aereum colorem retinet, atque ideo sanctos significat, qui cœlestia mente petunt, dicentes cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). *Tertium chalcedonius.* Chalcedonius lapis multo est vilior quam sapphirus in natura, sed in mysticis sensibus valde invenitur et ipse pretiosus. Est enim fortissimæ naturæ, adeo ut omnium sculpentium argumentis resistat: atque ideo significat sanctos, qui invictissimi sunt inter adversa hujus sæculi. Quorum unus dicit: *Quis nos separabit a charitate Christi* (*Rom.* VIII)? Et iterum: *Certus sum quia neque mors, neque vita; neque angeli*, et cætera, *poterunt nos separare a charitate Christi* (*Ibid.*); et tales bene in fundamento Ecclesiæ constituuntur, quia aliis exempla fortitudinis præbent. Unde et idem auditoribus suis dicit: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* (*I Cor.* VIII). Habet quoque idem lapis similitudinem lucernæ pallentis, et in hoc humilitatem sanctorum significat, qui in præsenti vita pallidi habentur, quia despiciuntur, contemnuntur et velut in nihilum reputantur. Attamen ipsi obscuro loco lucent, aliisque lumen scientiæ atque ardoris demonstrant. Unde et ex uno illorum dicitur: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V). Ardens videlicet fide et dilectione, lucens verbo et opere. *Quartum smaragdus.* Smaragdus pretiosus lapis est in sua natura, sed pretiosior in electorum figura. Qui lapis tantæ viriditatis est, ut omnem virorem herbarum superet, et aerem etiam circumfusum viridem reddat. Reddit etiam imagines aspicientium, si moles ejus fuerit ampla. Hujus lapidis genera sunt multa, sed pretiosissimi smaragdinei lapides reperiuntur in Scythia, regione deserta, quos tamen custodiunt gryphes, animalia terribilia et ferocia, quæ corpus habent leoninum, pedes autem, rostrum et alas, ut aquila: ideoque per terram currunt ut leones, per aera volant ut aves. Quæ bestiæ custodiunt ipsam deserti regionem, et servant ipsos lapides, non quod ipsæ in suam eos convertant utilitatem, sed hominibus eos auferunt. Cum quibus Arimaspi, homines unum oculum habentes, bellum gerunt, ipsosque lapides ejus auferunt. Quæ res pulchrum in se continet mysterium: Lapis quippe smaragdus, qui, ut diximus, nimiæ est viriditatis, Christum significat, qui pascua æternæ refectionis suis daturus est fidelibus. Porro desertum illud in quo lapides reperiuntur, significat corda sanctorum, qui se a terrenis et hujus mundi curis longe faciunt, ut in secreta cordis sui quiete Domino servire possint. Unde unus eorum dicit: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV). In quorum cordibus invenitur lapis smaragdus, quia in ipsis habitat Christus. Sed adsunt gryphes, id est maligni spiritus, qui Christum nituntur tollere fidelibus, non quod ipsi eum habeant, sed causa invidentiæ hominibus eum auferunt. Sed sunt Arimaspi unum oculum habentes, id est electi unum oculum mentis possidentes, qui bellantur cum gryphibus, hoc est, cum malignis spiritibus, Christumque sibi rapiunt, qui est lapis pretiosus. Et ut Dominus designatur per hunc lapidem, ita electi, quorum fides nunquam marcescit. Nam et ipsi in fundamento Ecclesiæ ponuntur, quia alios et exemplo et doctrina erudiunt, et in Christi doctrina confortant.

Quintum sardonyx. Sardonyx compositum est ex sardio et onyche, cujus genera plurima sunt, sed pretiosior tribus coloribus distinguitur in modum unguinis, quia in subteriori parte habet nigrum colorem, in medio rubicundum, in superiori candidum. Vel aliter: primam partem habet nigram, mediam candidam, superius rubeam, significans sanctos, qui nigri, id est despecti, contemptibiles, et abominabiles, videntur, sed tamen innovati per gratiam Christi, semper splendore fidei irradiantur ab eo, ut si necessitas ingruerit, etiam per charitatis officium proprium sanguinem non solum pro amicis, verum etiam pro ipsis fundere non metuant inimicis, quod significatur per colorem rubeum. Hinc in Canticis canticorum Ecclesia dicit: *Nolite me considerare quod fusca sum, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Unde Paulus apostolus ait: Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in

diem (*II Cor.* IV). *Sextum sardius.* Sardius lapis terræ rubræ speciem habet. ideoque significat sanctos, qui, licet ad sublimia intelligenda et contuenda ducantur, tamen suam semper student recognoscere fragilitatem, recordantes se esse filios Adæ, qui *terra rubra* interpretatur. Reducunt semper ad memoriam qui sint et unde venerint, scilicet ex radice fragilis et peccatoris hominis, ne videlicet ex accepto cœlestis gratiæ dono extollantur. Hinc Ezechiel sæpe contuens cœlestia mysteria, *filius hominis* vocatur ; et Abraham : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis (Gen.* XVIII). Et Psalmista : *Memento, Domine, quia pulvis sumus, homo sicut fenum dies ejus (Psal.* CII). Bene autem iste lapis sexto loco subrogatur, qui terræ rubræ speciem tenere videtur, quia et primus homo sexto die conditus invenitur, cui dictum est : *Terra es et in terram ibis (Gen.* III). *Septimum chrysolithus.* Chrysolithus quasi aurum fulget, et videtur emittere ex se quasdam ardentes scintillas. Cujus specie significantur hi qui luce supernæ sapientiæ resplendent, suas virtutes atque sententias cum verbo exhortationis velut scintillas in proximos effundunt, quibus ad amorem Dei et proximi alios accendunt. *Octavum beryllus.* Beryllus duos colores habet, viridem et pallentem. Per quem vita illorum designatur, qui æternorum contemplationi bonorum inhærent, et iterum cura fraternæ administrationis, quasi ad pallorem redeunt, dum exteriora per activam vitam fratribus ministrare student, et qui paulo ante fuerant virides in Dei contemplatione, pallescunt iterum in temporalium rerum per humanitatis officium administratione. *Nonum topazius.* Topazius lapis omnium lapidum colores in se habet ; unde et nomen accepit, quia *pan* Græce, Latine *omne* dicitur. Quo nihil carius reges in thesauris suis habere possunt ; et nascitur in insula Ægypti quæ dicitur Topazion. Significat sanctos omnibus virtutibus refertos, et quasi multis coloribus, sic multis virtutibus lucentes. *Decimum chrysoprasus.* Chrysoprasus aurei coloris est et viridis, quod ipso nomine manifestatur, parum distans a beryllo. Significat autem electos sapientia resplendentes, et viriditate fidei semper ad cœlestia tendentes : *Undecimum hyacinthus.* Hyacinthus similis est aquæ radio solis perfusæ. Et in hoc significat electos sapientia repletos, non tamen humana, qua sunt filii sæculi prudentiores filiis lucis, sed divina, quæ significatur per radios solis aquæ immissos. *Duodecimum amethystus.* Amethystus tribus coloribus principalibus respergitur, id est purpureo, violaceo et roseo. Et in hoc significantur sancti, qui cœlestem habitum gerunt in terris, et ad præmium et ad coævitatem angelorum venturi sunt in cœlis. Unde Dominus dicit : *Et erunt sicut angeli in cœlo* (*Matth.* XXII), quod designatur per purpuram quæ principum est indumentum. In viola autem, quæ humilis est herba, et tamen odorem optimum habet, humilitas illorum exprimitur, cum bonæ opinionis odore. In rosaceo autem colore charitas intelligitur, quæ intantum in illis viget, ut etiam usque ad passionem martyrii non solum pro amicis, sed pro ipsis quoque prosiliant inimicis. Unde Dominus dicit : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV).

Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas. Quantum autem ad litteram pertinet, hoc dicit, quod illa civitas habet duodecim portas, et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, id est unaquæque porta erat ex una gemma, et iterum in unaquaque porta erant duodecim margaritæ, quæ sunt centum quadraginta quatuor. Una porta, vel margarita singulariter Dominus intelligitur Jesus Christus qui sicut dicitur fundamentum fundamentorum, sic etiam potest dici margarita margaritarum. Istud est margaritum, quod negotiator venditis omnibus emit. In duodecim autem portis intelliguntur sancti apostoli et cæteri prædicatores, qui nobis januam Ecclesiæ aperiunt, unde Psalmista : *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII). Statimque unam portam annectit, quæ singulariter Dominum significat, sicut dictum est, sine quo nemo venit ad Patrem, dicens : *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam* (*Psal.* CXVII). Superius legimus quod mensus est angelus muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitorum. Qui numerus etiam hic replicatur, cum duodecim margaritæ per singulas duodecim portas describuntur ; quia duodenarius numerus duodecies ductus, centesimum ac quadragesimum quartum numerum consummat, in quo omnis multitudo sanctorum concluditur. *Et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* Superius dictum est quod ipsa civitas fuerit ex auro mundo tanquam vitrum perlucidum, et hic platea civitatis iisdem metallis fertur. Per muros quippe civitatis, robustiores et eminentiores sæculi intelliguntur : per plateam vero, quæ a latitudine ita vocatur, quia Græce *platon*, Latine *latum* dicitur, simplices intelliguntur, ipsisque subjecti in latitudine charitatis morantes. Dicitur autem platea civitatis ex auro mundo, sicut et muri fuisse feruntur, quia licet sit ibi distantia meritorum, quia sicut in hac vita invenitur alius alio sanctior, sic in illa beatitudine alius invenitur alio eminentior. tamen unusquisque quod non habebit in se, possidebit in altero per charitatis amorem. Hinc per beatum Job dicitur : *Parvus et magnus ibi sunt*, et Apostolus : *Stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* XV). Nam per aurum claritas designatur æternæ retributionis, per vitrum vero puritas cordis illorum exprimitur, quæ tunc singulis invicem manifestabitur. Iisdem itaque metallis adornatur platea, quibus et muri : quia non licet tantam habeant gloriam subjecti, quantam prælati et doctores Ecclesiæ, tamen (ut dictum est) quod in se quisque non habebit, possidebit in altero per charitatis ardorem, quando sicut Apostolus dicit : *erit illis Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Unde sequitur :

Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et agnus. Præsens Ecclesia templum Dei est, juxta quod Apostolus dicit : *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III).

Tamen habet etiam ipsa templum corporale, id est locum orationis, quo conveniunt fideles ad audienda divina eloquia et celebranda Christi sacramenta. Illa autem cœlestis civitas Jerusalem jam non habebit templum visibile, quia Dominus Deus omnipotens Pater et Agnus (id est Filius Dei), templum ejus est. Hinc Paulus dicit : Non enim in manufactis habitaculis Jesus introivit, et alibi, *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, introivit semel in sancta* (*Heb.* IX). Et hoc templum, id est totam Trinitatem. nunc Ecclesia possidet per fidem, tunc vero possidebit per manifestam speciem, quando erit Deus omnia in omnibus et in illo. Erit enim tunc templum Ecclesiæ, Pater cum Filio et Spiritu sancto, quia inhabitabit ille Ecclesiam regendo, et ista inhabitabit illum in eo quiescendo. In qua scilicet mansione, id est in divina protectione, tribus qualitatibus vigebit, quia ibi habebit esse feliciter, et nosse sanctam Trinitatem perfecte, et eam quam noverit, diligere caste. In his autem tribus beatitudinum qualitatibus omnis summa beatitudinis consistit.

Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Hæc Jerusalem quæ in præsenti agitur, in die fruitur lumine solis, nocte vero lumine lunæ : illa autem cœlestis Jerusalem nihil horum indigebit, quia verum habebit lumen, quod non solum corpora, sed etiam mentes singulorum illuminabit, unde sequitur : *Nam claritas Dei illuminabit eam.* Ipse enim Deus, qui nunc illuminat mentes fidelium per fidem, ipse jam tunc multo magis illuminabit, cum eum videre meruerint facie ad faciem. Hinc ipse dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). *Et lucerna ejus Agnus.* Lucerna ad ignem pertinet. Nam præsens Ecclesia eget lucerna, hoc est igne corporali illuminari. Illa autem jam non indigebit hac frui lucerna, quia lumen ejus est agnus, id est visio Christi cum Patre et Spiritu sancto, de ipso enim Filio in libro Sapientiæ dicitur : *Candor enim est lucis æternæ.* (*Sap.* VII). Quæ lux utique in præsenti videri nequit. Unde Dominus ad Moysen dicit : *Non enim videbit me homo et vivet.* (*Exod.* XXXIII).

Et ambulabunt gentes per lumen ejus. Lumen Ecclesiæ Christus est. Unde per Isaiam dicitur : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum.* (*Isa.* LX). Hæc autem verba non ad futuri temporis remunerationem, sed ad præsentis laborem, referenda esse satis elucet. Neque enim jam tunc sancti in ambulando laborabunt, sed post laborem beate viventes quiescent. Nunc itaque ambulant per lumen ejus, hoc est, per Christi fidem, cæterasque virtutes, ut postea pervenientes ad patriam cœlestem, quiescant in ipso lumine, hoc est, in ipsius Dei contemplatione. *Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.* Reges terræ intelliguntur omnes justi, qui bene se cum subjectis regere satagunt, de quibus dictum est: *Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit, vertet illud* (*Pr.* XXI) Isti itaque regis, hoc est, omnes justi. suam gloriam et honorem, quod idipsum est, referent ad illam cœlestem Jerusalem, quia omnem suam remunerationem et prosperitatem, atque omne suum gaudium et exsultationem ibi recipient : et quo amplius in præsenti vita affliguntur et despiciuntur, eo amplius ibi exaltabuntur. Quo contra reprobi, qui in præsenti suam gloriam et honorem possident, et in prosperis hujus sæculi se extendunt, ibi vacui remanebunt. Unde Dominus dicit : *Væ vobis divitibus, qui hic habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI). Quia enim sancti in præsenti vita gloriam hujus sæculi, quæ reproborum est, non amant, idcirco suam ad æternam felicitatem gloriam deferunt, quando ibi exaltati remunerabuntur, cum et uni illorum dixerit Dominus : *Te esto supra decem civitates ;* alteri autem : *Te esto supra quinque*, sicut in Evangelio ipse manifestat. Aliter : Reges terræ intelliguntur apostoli cæterique prædicatores, qui propter regimen animarum quas regunt, jure reges vocantur. Isti afferent gloriam et honorem in illam, hoc est, omnes quos Christo acquisierunt sua prædicatione et doctrina. Unde Paulus quibusdam dicit: *Gloria nostra vos estis in die Domini nostri Jesu Christi* (*II Cor.* I), recte enim gloria regum et honor vocantur hi pro quibus iidem reges coronantur.

Et portæ ejus non claudentur per diem. Magna securitas erit in Jerusalem cœlesti, ubi nullæ jam erunt insidiæ inimici, et idcirco portæ ejus non claudentur, quia videlicet dies erit ibi perpetua, cui nox non succedet. Unde sequitur : *Nox non erit illic.* Sed videamus quomodo in præsenti vita clauduntur portæ, quæ utique prædicatores intelliguntur, per quorum ministerium Ecclesiam intramus. Portæ enim civitatis dum clauduntur, ingredientibus aditum non permittunt. Itaque quasi clauduntur portæ, dum sancti prædicatores diabolum repellunt a cordibus fidelium, ipsique aditum ingrediendi denegant, dum fideles instruunt quomodo ejus tentationibus resistant. Hinc Petrus dicit: *Adversarius vester tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*II Petr.* V). Ideo autem ibi dicit : *Portæ ejus non claudentur*, quia sublato noctis timore, perpetua dies electis fulgebit. Non jam dicetur ibi : *Vigilate et orate* (*Marc.* XIII), quod ad noctem adversitatis pertinet, sed : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV), quod ad diei redigitur securitatem.

Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Haud dubium ipsi qui superius appellantur reges terræ, id est sancti prædicatores, qui gloriam et honorem gentium in illam civitatem afferent, quando aggregata turba fidelium, ipsos quos prædicando adduxerunt ad fidem, secum ad patriam cœlestem introducent. Magna enim gloria, magnusque honor gentium in illam civitatem afferetur, quia maxima ex parte ex ipsis gentibus decorabitur.

Non intrabit in illam aliquid coinquinatum et faciens abominationem. In hanc civitatem coinquinati, id est vitiis maculati, et facientes abominationem, id

est peccatum, simul intrant cum bonis, quia sicut hæc vita media inter cœlum et terram consistit, ita utriusque partis cives in se continet. In illam autem, ubi soli erunt boni, non intrabit coinquinatum, et faciens abominationem, id est peccatum, quia nulla erit ibi permistio malorum, sed sola societas bonorum. Soli enim boni regnabunt cum Christo, cum quo et in quo in eadem Jerusalem cœlesti feliciter permanebunt. *Et mendacium*, subaudis, non intrabit in eam, id est quilibet jam mendacii noxam perpetrans. Omne enim mendacium, sicut supradictum est, non caret peccato. *Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, id est hi soli ingredientur cœlestem Jerusalem, qui in Dei præscientia ad hoc ante omnia sæcula sunt præsciti et prædestinati. Liber quippe vitæ Agni vis intelligitur omnipotentis Dei, sicut supradictum est, quia omnia scit antequam fiant.

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei et Agni. Flumen aquæ vivæ intelligitur doctrina Veteris et Novi Testamenti. Quod enim aqua prædicationem sanctam significet, Salomon docet qui dicit : *Aqua profunda, verba ex ore viri : et torrens redundans, fons sapientiæ* (*Prov.* XVIII). Et Dominus dicit in Evangelio : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Sed cum una sit doctrina Veteris et Novi Testamenti, pluraliter enuntiatur, quia scilicet et unitatem fidei annuntiat, et tamen ad multos auditores pervenit, et per multorum ora diffunditur. Bene autem *flumen aquæ vivæ* vocatur, quia quos irrigat, vivificat, et ad vitam æternam invitat. Recte ergo crystallo splendenti comparatur propter puritatem fidei, quæ in baptismo percipitur. Quos enim vivificando vivificat, ad aquam baptismatis perducit, eosque et puritate fidei splendidos, et robore fortissimos reddit. Sedes autem Dei Patris et Agni, id est Filii Dei, ex qua ipsa procedit, Ecclesia est fidelium, quibus Paulus dicit : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III), quia in illorum cordibus Christus sedet cum Patre et Spiritu sancto. Quorum, quia inseparabilis est potestas, inseparabilis est etiam sedes. Ab ipsa ergo Dei sede procedit aqua, quia per ipsam Ecclesiam diffunditur prædicatio.

In medio plateæ ejus. Id est in medio ipsius Ecclesiæ. Nec solum ipsa doctrina robustos quosque irrigat, sed etiam simplices, qui per plateam designantur. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus per menses duodecim.* Hoc juxta litteram non potest intelligi, ut videlicet lignum ex utraque parte fluminis sit, nisi forte in medio fuerit collocatum, ut rami illius hinc et inde sint expansi. Verum spiritualiter hoc intelligendum est, quod scilicet lignum ex utraque parte fluminis sit. Lignum quippe vitæ Christus est sapientia Dei Patris, de qua Salomon dicit : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam ; et qui tenuerit eam, beatus* (*Pr.* III). Hinc et in libro Geneseos legimus, quod fuerit lignum vitæ in medio paradisi, quod scilicet lignum Dominum Jesum Christum significat, qui vitam æternam præstat se digne comedentibus. Lignum itaque ex utraque parte fluminis est, quia Vetus et Novum Testamentum Christum annuntiat : et quod in Veteri prænuntiatur futurum, hoc in Novo manifestatur impletum. Per menses autem duodecim, in quibus ipse Christus qui est lignum vitæ, suos affert fructus duodecim apostoli intelliguntur. Dicit enim ipse de se et de ipsis apostolis in Evangelio : *Nonne duodecim sunt horæ diei?* (*Joan.* XI) seipsum appellans diem, horas autem duodecim apostolos. Et quia ex horis dies, et ex diebus menses efficiuntur, quod significatur simpliciter per duodecim horas, hoc et per duodecim menses, id est ipsi duodecim apostoli, per quos Christus fructum suum affert, hoc est, miracula, prædicationem atque opera cœlestia. Hinc in Evangelio legitur, quia profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante. Hinc et Paulus dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII) ? *singula*, subauditur ligna, *reddentia fructum suum.* Quod intelligitur per menses, hoc intelligitur et per ligna, quæ ab ipso stipite prodeunt, duodecim videlicet apostoli, et in ipsis omnes sancti, qui fructum fidei suæ atque operationis reddere assidue non cessant. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Si per ramos stipitis intelliguntur apostoli, per folia ligni intelliguntur apostolorum discipuli, qui ad sanitatem gentium perveniunt, quas suo exemplo et doctrina instruunt, et ad veram sanitatem mentis perducunt. Si autem hæc ad cœlestem Jerusalem referre voluerimus, flumen aquæ vivæ intelligamus contemplationem sanctæ Trinitatis, in qua est satietas æternæ refectionis, juxta illud Psalmistæ : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Ps.* XVI). Nam et supra, dicente ipso Domino, legimus : Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Hinc Psalmista ipsum esse fontem ostendens, dicit : *Filii hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Ps.* XXXV). In hoc vero fonte est vita perpetua, quia quicunque ad Dei contemplationem pervenire poterit, habens vitam æternam, id est Deum, ipse quoque vivet in æternum. Quod videlicet flumen, splendidum tanquam crystallum dicitur, quia videlicet sua contemplatione perducet ad firmitatem immortalitatis atque incommutabilitatis. Quod etiam flumen bene a sede Dei procedere dicitur, et in plateam civitatis derivari. Quod enim est sedes, hoc est et platea civitatis, id est omnis Ecclesia generaliter, sed propter diversorum personas ita distinguitur. Quia enim quos possidendo regit, ubertate suæ visionis satiat, bene in sede tanquam fons redundat, ut unusquisque habitator pro viribus inde hauriat, pro meritis accipiat : quia licet eadem visio simul habeatur ab omnibus, tamen pro singulorum meritis unicuique distribuitur. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Quod superius designatur per fontem

aquæ vivæ, hoc nunc etiam designatur per lignum ex utraque parte fluminis positum, id est contemplatio sanctæ Trinitatis, quæ angelicam simul et humanam naturam hinc inde satiat, ipsaque visionis potio ita est multimoda, ut quidquid cuiquam in desiderio tunc venerit, hæc eadem visio fiat, quando sicut Apostolus dicit : erit *Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV). Sed nec mirum, cum et ipsum manna filiis Israel de cœlo attributum, per quod æterna satietas figuratur, hoc secundum Scripturæ sententiam unicuique sapuerit in ore, quo fuisset delectatus. Per menses, quibus ipsum lignum fructus affert, æternitas intelligitur : Per annos, ut, *annui tui non deficient* (*Psal.* CI) : per menses vero, ut est illud Isaiæ (*c.* LXVI) : *Et erit mensis ex mense* : per diem, ut est illud : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII) ; et iterum : *Ordinatione tua perseverant dies* (*Psal.* CXVIII). Lignum ergo vitæ per duodecim menses fructus reddit, quia ipsa merces beatæ immortalitatis, quæ per fructus designatur, quaque electi perfruuntur, nullum terminum habet, sed sine fine manet. *Singula ligna reddentia fructum suum.* In hoc fructum suum reddent, quoniam mercedem operum suorum percipient. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni, laudes intelliguntur sanctorum, de quibus Psalmista : *Beati qui habitant in domo tua* (*Psal.* LXXXIII). Quæ laudes ad sanitatem gentium proficient, cum eorum corda perpetua Creatoris laus replens, nullam in eis fatigationem, nullam lassitudinem, nullam tristitiam sinit inesse.

Et omne maledictum non erit in ea *amplius.* In præsenti Ecclesia maledictum est, scilicet genus hominum, qui in Cain maledictionem perceperunt. In illa societate sanctorum, nullum erit maledictum, sed omnis Ecclesia electorum benedicetur in suis habitatoribus, cum audierint : *Venite, benedicti patris mei* (*Matth.* XXV), etc. *Sed sedes Dei et Agni in illa erunt.* Superius unam sedem posuerat ; de qua et dixerat se vidisse emanare flumen aquæ vivæ : nunc autem pluraliter sedes introducit, dicens : Sedes Dei in illa erunt. Sed et hoc significant plures sedes, quod una, id est omnem electorum Ecclesiam, quæ scilicet propter unitatem fidei in una sede propter diversitatem gentium in pluribus exprimitur. Unde et superius viginti quatuor sedes visæ esse referuntur. *Et servi ejus servient illi.* Cum Dominus discipulis dicat : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV), quomodo hic Scriptura jam immortales effectos vocat servos ? Aut si jam servitute corruptionis liberati, ad libertatem et gloriam filiorum Dei tunc pervenient, quomodo in illa quiete æterna servire narrantur ? Sed sciendum est nobis, quia in eo quod jam nullo certamine desudabant, sed æterna quiete fovebuntur, liberi erunt, ac nulla servitute obnoxii. Nam et nunc non sunt servi timoris, sed amoris. Duæ enim sunt servitutes, quia aliter timet servus ne verberetur a Domino, aliter autem filius ne privetur hæreditate paterna, offendens in aliquo pii patris oculos. Ille enim servit timore, iste autem amore. Hac servitute serviunt electi hic omnipotenti Deo, præcaventes omnino, ne eum in aliquo offendant peccato. Ibi autem servient illi, laudando et glorificando illum, juxta illud : *Beati qui habitant in domo tua* (*Psal.* LXXXIII).

Et videbunt faciem ejus. Id est perfectam cognitionem ejus habebunt. Neque enim pueriliter hoc intelligendum est, ut putemus Deum habere faciem, quæ corporeis oculis possit videri, sed quia in facie hominis cognitio est, ideo hic per faciem quam electi videre dicuntur, nihil aliud quam cognitio sanctæ Trinitatis intelligetur. Hinc scriptum est : *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Talem enim videbunt sancti Deum, qualem nunc angeli vident, de quibus Dominus dicit : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). De hac autem visione quomodo scilicet sit intelligenda, satis supradictum est. Et beatus Ansbertus Ambrosius, dicta aliorum doctorum sequens, plura, inquit, loquuntur, patefacientes oculos mentis, Dei naturam esse contemplandam, sicut et charitas videtur. Si enim exterior homo noster videre nequit interiorem, quanto magis Deum conspicere nequit, qui utique multo est subtilior anima nostra ? Videbunt illum itaque mente, id est perfectam ejus (ut dictum est) habebunt cognitionem, ut impleatur quod Dominus dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Cætera ex illius investigentur contractione. *Et nomen ejus* scriptum *in frontibus eorum.* Per frontem (sicut superius dictum est) exprimitur fides. Sed cum ibi jam non sit fides aut spes, quid sibi vult, quod electi nomen Dei in frontibus habere perhibentur ? Sed sciendum, quia fides hic pro remuneratione fidei posita est, quæ remuneratio contemplatio Dei omnipotentis erit. Cum enim acceperit Ecclesia, quod per fidem credidit, recte ipsum fidei præmium pro titulo gloriæ in suis frontibus gestare videbitur.

Et nox ultra non erit. Id est vicissitudo temporis, vel etiam tribulatio angustiæ, quæ sæpe per noctem figuratur. Hæc namque supra jam dixerat, sed in repetitione verbi demonstrat, quam appetendum sit lumen illud, quod totiens loquendo inculcat. *Et non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis.* Nunc humana infirmitas ad exercenda diurna opera, noctis quiete redditur idonea, utitur etiam in nocte lucerna pro consolatione : tunc autem quando erit Deus omnia in omnibus, qui est lux vera omnes illuminans, non egebit lumine lucernæ vel lumine solis. Unde sequitur : *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Si vero noctem intelligamus ignorantiam, lucernam vero vel solem, divini verbi prædicationem, neque nox erit tunc ignorantiæ, neque prædicatio doctrinæ, quia sicut Isaias dicit : Non docebit vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum, quia omnes scient me a majore usque ad minorem (*Jer.* XXXI). Sed omnes æternæ sapientiæ inhærentes, perfecta scientia fulgebunt. *Et regnabunt* cum capite suo *in sæcula sæculorum. Et dixit mei.* Haud dubium quin

angelus qui hæc illi ostendebat : *Hæc verba* quæ scilicet ab initio libri dicta vel ostensa tibi sunt. *Fidelissima sunt* quia quidquid tibi dictum est, veraciter implebitur. *Et vera sunt* quia a Deo vero sunt prolata. Quod autem dicitur Joanni, pertinet etiam ad universalem Ecclesiam, cui per internam inspirationem ipsa verborum veritas revelatur : et ideo nullus in tantum debet insipiens fieri, ut aliquo modo dubitet de his quæ sub tanta contestatione pronuntiantur esse verissima. *Et Dominus Deus spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis,* id est ipse qui locutus est prophetis, ipse misit angelum suum ostendere Joanni, et in illo omni Ecclesiæ *quæ oportet fieri cito.* Nomine spiritus tota Trinitas intelligitur, quæ ipsum angelum misit, qui natura quidem angelus fuit, sed incarnati Verbi solius personam gessit. Unde et aliquando ex persona Christi loquitur, dicens : *Ego sum primus, ego novissimus* (*Is.* XLIV), etc. Aliquando suam attendens naturam, Joannem ne se debeat adorare prohibet. Notandum autem quod in initio istius libri dixit et significavit, mittens, per angelum suum servo suo Joanni. Hic vero non uni singulariter, sed servis pluraliter dicit ostendenda quæ oportet fieri cito. In quibus verbis ostendit, utique, non uni specialiter, Joanni, sed omnium in se utilitati in Joanne generaliter prospexisse, quia quod Joanni dicitur, omnibus Ecclesiæ fidelibus congruit. Quæ sunt autem quæ oportet fieri cito ? utique remuneratio sanctorum, et damnatio reproborum. Unde et sequitur :

Ecce venio velociter ad reddendum, scilicet unicuique juxta meritum suum. Licet enim quantulumcunque spatium hæc præsens vita videatur, tamen omne tempus præsentis vitæ comparatum æternitati, veluti momentaneum habetur, atque idcirco velociter se venire protestatur, ut cito impleantur quæ oportet fieri. *Beatus*, id est felix, *qui custodit verba prophetiæ libri hujus*, servans quæ in eo scripta sunt, ut dignus habeatur remuneratione perpetua.

Et ego Joannes, subauditur, beatus sum, *qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ante pedes angeli ut adorarem eum, qui mihi hæc ostendebat. Et dicit mihi : Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus* Hoc loco, sicut et superius, Joannes et angelus proprias personas resumunt. Ne enim quisquam de conscriptione libri hujus dubitaret, suam auctoritatem Joannes interponit, dicens : *Ego Joannes qui audivi et vidi hæc.* Ipse quoque angelus resumit suam personam, prohibetque Joannem ne se adorare debeat, dicens : *Vide ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum.* Ex quibus verbis satis supradictum est, quod videlicet ipse angelus æthereum corpus susceperit, atque ideo pedes habere dicitur, et quod timuerit post adventum Filii Dei adorari ab homine, qui super se sciebat jam esse hominem, cum nihil tale leganius in Veteri Testamento, ubi frequenter quidem legimus angelos ab hominibus adoratos, nec prohibitos. Sed mirum valde est cur Joannes contra interdictum angeli secundo eum adorare voluerit. Jam enim simili modo se adorare vetuerat, unumque Deum adorandum esse docuerat. Ad quod dicendum, quia aut magno visionum stupore perculsus, oblitus fuerat eorum quæ supra audierat, aut certe potest esse repetitio prioris sententiæ. *Deum adora.* Id est non creaturæ, sed Creatori honoris reverentiam offer. Nota vero quod sæpe angelus Joanni futura prædixit, et multa etiam in hoc libro reperiuntur prophetarum verbis similia. Nam et integri versus Isaiæ et Zachariæ, aliorumque prophetarum ibi reperiuntur. Unde est : *Videbunt in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX).

Et dixit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ hujus. Quare hic dixit : *ne signaveris,* id est, ne sigillaveris, ne clauseris verba libri hujus, cum in media hujus orationis serie dictum sit Joanni : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere?* Quia videlicet malis et contemptoribus signanda et claudenda atque abcondenda sunt divina mysteria. Unde est : *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII), et : *Ne miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Ibid.*). Fidelibus autem manifestanda sunt divina eloquia. Unde Dominus dicit : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* XI). Dicitur itaque propter infideles : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere,* propter fideles autem. *Scribe quæ vides,* et : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Vel certe, quod in principio hujus revelationis dicitur Joanni : *Scribe quæ vides, quæ visurus es,* in medio vero : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua,* atque in fine : *Ne signaveris verba prophetiæ hujus,* potest ita intelligi, quod Spiritus sanctus prævidit, primo tempore quosdam in Ecclesia futuros, qui cum gaudio et aviditate recepturi erant Domini sermonem : deinde etiam quosdam futuros, in quibus abundat iniquitas et refrigescit charitas, quin potius verbum Dei contemnunt, quam suscipiunt : extremo vero appropinquante judicio, erunt (verum non solum gentiles, sed etiam Judæi) qui cum maxima aviditate verbum Dei suscepturi sunt, prædicantibus Elia et Enoch, cæterisque prædicatoribus. Quia ergo in primo et ultimo tempore fideles fuerunt, sive futuri sunt, verbum Dei cum gaudio suscipientes, bene initio hujus libri dicitur : *Scribe quæ vides,* et in fine : *Ne signaveris verba prophetiæ hujus.* At quia in medio multi sunt contemptores verbi Dei, congrue quoque et hic in medio dicitur : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. — Tempus enim prope est.* Hoc ad illud pertinet, quod præmisit : Ne signaveris verba prophetiæ hujus, quo hæc impleri debeant, a tempore scilicet resurrectionis Christi usque ad diem judicii, quando singulis juxta opera sua retribuetur. De hoc brevissimo tempore idem Joannes in Epistola sua dicit : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II).

Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Permissivus modus est, non opta-

tivus ; sæpe enim Deus omnipotens permittit homi- A nem propter peccata præterita ruere ad graviora ; unde per Psalmistam dicitur : *Non audivit populus meus vocem meam. et Israel non intendit mihi*, etc. usque : *Ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX) In qua sententia aperte ostenditur præcessisse culpam inobedientiæ, per quam a Deo permissi sunt ire in voluntatibus suis. Hinc Paulus de quibusdam dicit: *Qui cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Dicatur itaque, *qui nocet*, sibiipsi subauditur, id est, qui non vult verba Dei audire, *noceat adhuc*, id est, permaneat impœnitens. et peccatis præteritis conjungatur. Et qui in sordi- B bus vitiorum versatur, *sordescat adhuc*, id est ad deteriora labatur. Dum enim quis tempus pœnitentiæ accipit, et impœnitens permanet, ipsumque peccatum convertit ipse remedium gratiæ convertit in augmentum culpæ. Et quia non vult deserere malum ut vivat, auget unde moriatur. De quibus Paulus dicit : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II). *Et justus* per fidem *justificetur adhuc* per operationem. *Et sanctus sanctificetur adhuc*. Juxta illud : *Ibunt sancti de virtute in virtutem*. Electi enim semper sunt in profectu virtutum, quia quotidie inchoant, et per momenta temporum virtutibus virtutes addunt.

Ecce venio cito, ad judicandum scilicet. *Et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Hæc locutio et electos ad meliora proficere, et C reprobos hortatur a malis recedere, ne pereant sine excusatione. Quæ verba expositione non indigent quia ipsa se explanant.

Ego sum α *et* ω, *primus et novissimus, principium et finis. Primus*, ante quem nullus : *et novissimus*, post quem nullus. *Principium*, a quo omnis creatura sumpsit initium ; *et finis*, quia in eo omne redigitur. Alpha pertinet ad verbi dignitatem, omega ad susceptam in fine temporum humanitatem. Ipse est ergo alpha, id est, principium manens cum Patre Ipse et omega, id est finis, natus temporaliter ex matre. Unde Paulus : *Christus finis legis ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). Principium quoque non ad ipsum est referendum, quod scilicet ipse, secundum quod hæretici voluerunt, ex tempore cœperit, sed ad ordi- D nem creaturarum pertinet, quæ ex illo sumpserunt initium. De alpha Joannes dicit : *In principio erat Verbum*, et, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). De omega vero, qui est finis elementorum apud Græcos, sicut et alpha principium : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*). In his totius salutis Christianæ summa consistit, ut scilicet in uno eodemque Christo et perfecta deitas, et vera credatur humanitas.

Beati qui lavant stolas suas, id est, corpora sua et vitam fonte baptismatis et lacrymis pœnitentiæ, atque custodia mandatorum Dei. *Ut sit potestas eorum in ligno vitæ*. Id est, in Domino Jesu Christo. Quæ habentes, utique in capite suo omnia possidebunt. Unde superius cum præmisisset : *Et ego sitienti dabo aquam vitæ gratis*, illico adjunxit : *Qui vicerit*, possidebit hæc. *Et portis*, id est per portas, per apostolos videlicet, cæterosque doctores *intrent in civitatem*, hoc est, in cœlestem Jerusalem. Per quorum enim ministerium nunc intramus Ecclesiam, per ipsorum ora et solutionem ingrediemur regnum cœlorum, de his portis Psalmista dicit : *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII). Statimque unam principalem portam, ad quam etiam istæ pertinent manifestat, subdendo : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam*. Hæc enim porta Christum significat, qui dicit : *Ego sum ostium*, dicit Dominus : *per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X). Cum enim quilibet fidelium per ora prædicatorum aditum intrant regni cœlorum, nimirum per illum ingrediuntur, qui per ora illorum loquitur.

Foris canes, id est Judæi, hæretici, cæterique increduli, qui contra Ecclesiam latrant. *Et venefici*, id est, malefici sive magi, *et impudici*, id est, inverecunde peccantes. *Et homicidæ* diverso modo homines interficientes. *Et idolis servientes*, hoc est, simulacra quædam pro Deo colentes, sive etiam plus terrena quam Deum diligentes. *Et omnis qui amat mendacium, et facit illud*. Multi enim mendacium faciunt, sed tamen non amant mendacium, quia studio atque amore peccandi non mentiuntur. Quod mendacium purgant opere misericordiæ, sicut dictum est superius de obstetricibus Hebræorum. Sed sicut isti in tali mendacio, nisi emendationis studium subsequatur, perditione non carent, Scriptura dicente : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V), sic et isti graviori pœna plectendi sunt, qui studio, voluntate atque amore, fallaciis illaqueantur. Hi omnes superius dicti, erunt foris, hoc est, ab aditu cœlestis Jerusalem repellentur, cum audierint : *Discedite a me, maledicti* (*Matth.* XXV).

Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Hoc et supra jam dictum fuerat. In quibus verbis aperte ostenditur, cujus figuram Joannes in hac revelatione tenuerit : nec solum ad ipsum pertinent Joannem, quæ ei dicta sunt, sed ad omnes Ecclesias, quæ superius septenario numero comprehenduntur, in quibus una catholica, id est universalis exprimitur. *Ego sum genus et radix David*. Quod nihil aliud est, nisi : Ego sum ex ipsa natura David. Beata enim Dei genitrix de stirpe David descendit, atque idcirco ipse Filius Dei, filius David est. Unde ipse interrogans Judæos. *Quid vobis videtur de Christo cujus filius sit*, hoc responsum ab eis accepit : *David*, et ille : *Quomodo ergo David vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?* (*Matth.* XXII). Sed secundum divinitatem est Dominus Deus David, secundum humanitatem vero non alius, sed idem ipse genus et radix David, id est, natura. Aliter : *Ego sum radix David*, quia ex me David sumpsit initium. Et *ego sum genus et radix David*, quia ex illo in fine temporum carnis materiam sumpsi. *Stella splendida et matutina*.

Quantum ad litteram pertinet, stellam splendidam et matutinam appellat Luciferum, quæ dum extremas horas noctium illustrat, mane citius affuturum declarat. Ipse atque Christus est stella splendida, quia ipse est *lux vera illuminans omnem hominem* (*Joan.* I) Et bene *matutina*, quia mane surrexit, et tenebras totius mundi fugavit, nobisque claritatem æterni diei, devicta mortalitate, post resurrectionem ultimam demonstravit, juxta illud Apostoli : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII).

Et spiritus, id est tota Trinitas, Pater videlicet, Filius et Spiritus sanctus. *Et sponsa*, id est sancta Ecclesia, *dicunt*, cuilibet fideli : *Veni* ad Deum, scilicet gressibus fidei et passibus amoris, juxta illud : *Accedite ad eum et illuminamini* (*Ps.* XXXIII). Spiritus, id est Deus, dicit hoc per occultam inspirationem cordibus fidelium. Sponsa autem, id est sancta Ecclesia per apertam prædicationem auditores suos invitat ad patriam cœlestem. *Et qui audit* sive per occultam inspirationem, sive per doctorum prædicationem Dei vocem. *Dicat* alteri cuilibet fideli. *Veni*. Per fidem rectam et per operationem fidei congruam. Qui enim a Deo jam vocatus est, necesse est ut et alium vocet, ne solus ad remunerationem pergat. Nam et qui ad balneum pergit, ut beatus Gregorius dicit, socios habere desiderans, alios hortatur ut secum pergant. *Et qui sitit* justitiam, id est Deum omnipotentem. *Veniat*, id est accedat ad illum, ut satietatem æternam accipiat. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*, id est qui desiderat frui Dei contemplatione, in qua est refectio æternæ satietatis, studeat recte vivere, ut postea ad ipsam Dei visionem valeat pervenire. Sed cum Apostolus dicat : *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* XVI), quomodo qui vult, accipit aquam vitæ gratis? Sed sciendum est, quia prius prævenit misericordia ut velimus : deinde etiam subsequitur nostra voluntas per eamdem gratiam, ut operemur. De hoc Paulus dicit : *Qui operatur in vobis et velle et perficere* (*Philip.* I). *Qui* itaque *sitit*, id est, qui æternas delicias prævemiente se gratia Dei desiderat, passibus amoris ad eas tendat. Et *qui vult*, id est qui volens ex nolente effectus est, non suis meritis, sed gratuita Dei voluntate, hauriat aquam æternæ delectationis.

Contestor ergo, id est, obtestor et testificor *omni audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc* quæ in libro hoc continentur, aliquem errorem. *Apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto*. Ut post innumera tormenta ad æternam perveniat damnationem. Tempore quo beatus Joannes ista scripsit, surrexerunt hæretici in Ecclesia, Valentinus scilicet et Ebion, et Cerinthus, quos et in Epistola sua Antichristos vocat, idcirco hanc contestationem eis objecit, ne per pravitatem erroris aliquid huic libro superaddere auderent, sicut, verbi gratia, Arius auferre nisus est ex suo libro : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Photinus quoque dixit : Ego principium tribuo Jesu ex Maria.

Et si quis diminuerit de verbis hujus libri prophetiæ vel sensum, vel etiam verba contra suam conscientiam, sicut Arius fecit ex Evangelio, ut prædictum est, *auferet Deus partem ejus de libro vitæ*, id est in memoria præscientiæ Dei non scribetur. *Et de civitate sancta*, id est de cœlesti Jerusalem et societate sanctorum angelorum et hominum. *Et de his* præmiis *quæ scripta sunt in libro isto*. Tamen hoc sciendum est, quia hoc non propter eos dicitur, qui simpliciter quod dicunt sentiunt, sed de his utique, qui contra conscientiam suam male de Deo loquuntur.

Dicit qui testimonium perhibet istorum, subauditur verborum atque idcirco manifestatur, quam vera sint, quia Dominus ipse Christus eis testimonium perhibet. Unde sequitur : *Etiam*, id est, sic fiat, ut compleantur omnia quæ superius dicta sunt. *Venio cito*, ad judicandum et reddendum unicuique secundum opera sua. *Amen*, id est, *verum est*, quia quæ prædicta sunt, procul dubio complebuntur. *Veni, Domine Jesu*. Hæc omnis Ecclesia loquitur in Joanne, optans ut veniat Christus ad judicium. Unde et quotidie in Dominica oratione postulat suppliciter : *Adveniat regnum tuum*. Et illud : *Ostende nobis faciem tuam et salvi erimus*.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. In hoc loco Joannes typum gerit prædicatorum, qui scientes hominem non posse justificari per legem, sed per gratiam, optat ut eadem gratia semper cum Ecclesia permaneat. Nota autem quod hic liber a gratia sumpsit initium, et in gratia posuit terminum : quia videlicet et prævenlente Dei gratia salvamur et subsequente justificamur : unde et Paulus hujus locutionis more Epistolas suas ordinavit Ecclesiis, ut a gratia inchoaret, et in gratia terminum poneret.